

SYNODUS DIOECESANA

AUSPICIIS SANCTISSIMI D. N.

PII VII. P. M.

HABITA

IN CATH. BASILICA VELITERNA S. CLEMENTIS

VI. V. ET IV. KAL. JUN. AN. MDCCCXVII.

AB EMINENT. ET REVEREND. D.D.

ALEXANDRO EP. OSTIEN. ET VELIT.

S. R. E.

CARD. MATTHAEJO

SACRI COLLEGII DECANO, EJUSDEM SANCTITATIS SUAE PRO-DATARIO, ET SACROSANCT. BASIL. VATICANAE ARCHIPRESBYTERO &c. &c.







ROMAE AN. MDCCCXVIIII.

TYPIS FRANCISCI BOURLIAEI AD COLLEGIUM URBANUM.

Praesidum Facultate.



S. D. N.
PIO VII. PONT. MAX.

ALEXANDER CARD. EP. OSTIENSIS.

Quam Dioecesanam Synodum longo centum viginti annorum spatio desideratam Dei cum gratia, et auxilio habui in Veliterna Basilica, eam in lucem,

aspectumque hominum prolaturo haud sane deliberandum mihi fuit diutius, cuinam recepta consuetudine destinarem. Summo quippe Christianae legis Antistiti, juriumque sanctissimorum vindici, et omnis pietatis adsertori ea debebatur lucubratio, qua in concredito mihi Grege et Sacra ordinare, et rectam morum restituere disciplinam, et rei Ecclesiasticae incolumitatem protueri connisus sum. Hinc quod ad Praecessorem Tuum Urbanum II. scripsit Cantauriensium Episcopus Anselmus, fas mihi sit usurpare eo animi sensu, qui hominem decet Sanctitati, Majestatique Tuae, quam qui maxime, devotissimum: *Sicuti nimirum nulli dignius possum, ita nulli libentius opus hoc, quam Tuae de-*

stino Sapientiae, *quatenus si quid in eo corrigendum est*, *Tua censura castigetur* (1). Atque haec profecto consilii mei in hoc Tibi volumine nuncupando ratio est, Beatissime Pater, eaque de rei tenuitate plane convicto animos mihi addit, non quidem ut fulgorem, majestatemque Nominis Tui praeferens commendatius inde prodeat, atque spectatius, quod certe ingens, immortaleque beneficium existimo, sed ut ad Tuae Apostolicae Sedis auctoritatem, supremumque rerum arbitrium ipsam Synodum rejiciens, meque, ac mea omnia, qua debeo, fide, reverentiaque submittens, *ex hac totius Fidei Arce*, *totiusque discipli-*

(1) *Lib. de Fide Trinit. & de Incarnat. Verbi in praefat.*

nae Metropoli (1) meos hosce conatus probari, ac judicio veritatis fulciri conspiciam. Concrescet profecto, ubi ex Tuo Numine commendetur, sicut pluvia, doctrina haec mea, et fluet, sicut ros, eloquium meum, ac lex Domini immaculata, Canonumque praescriptio salutaris, convertens animas, facilius, firmiusque inseretur in cordibus eorum, qui traditi sunt mihi. Quae me igitur, Beatissime Pater, perpulerunt caussae, uti offerre Tibi hoc opus auderem, eaedem, opinor, Clementiam Tuam fastigio tam excelso parem adducent, ut qua comitate Sanctissimus Decessor Tuus Pius Sextus Ferrariensem meam Synodum

(1) *Ex S. Caesario Arelaten. ad Symmach.* 6. *Tom.* 2. *Concil. Harduin. pag.* 956.

complexus est, et qua benevolentiae significatione Tua ipsa Sanctitas alteram meam Praenestinam Synodum est dignata, hanc quoque Veliternam volens propitia excipiat, suoque praesidio, ac tutela non abnuat honestare. Haec porro ex Tuae Sanctitatis indulgentia fidenter praestolor, mihique, et Gregi meo universo Apostolicam Benedictionem ad sanctissimos Tuos pedes abjectus supplicans postulo.

INDICTIO SYNODI



ALEXANDER MISERATIONE DIVINA EPISCOPUS OSTIENSIS, ET VELITERNENSIS S. R. E. CARDINALIS MATTHAEIUS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE PRO-DATARIUS &c. &c.

CLERO UNIVERSO DIOECESIUM SUARUM GRATIA, ET PAX IN COGNITIONE DEI, ET CHRISTI JESU DOMINI NOSTRI.

Quod diuturna Ostiensis, et Veliternae Ecclesiae vota efflagitabant, ut nimirum Dioecesana Synodus post longissimi temporis spatium denuo haberetur, id tandem in praesens nos urgere, id intenta sollicitudine curare, denunciamus, idque, si suo nobis auxilio volens propitius adsit Deus, sollemnibus Pentecostes diebus praestituros nos fore, confidimus. Ubi enim primum ad istas Dioeceses regendas adsciti fuimus, nostras illico in id operis cogitationes, et impensissima studia

contulimus, probe gnari ex Alexandri VII. monito (1), *nihil frequenti Synodorum celebratione Populorum saluti, ac veteri disciplinae constituendae accomodatius esse*, *eisque intermissis magnam in moribus continuo ad omnem improbitatem, ac peccandi libidinem factam fuisse immutationem*. Quae quidem cum animo pervolveremus adsidue, jucundissima etiam voluptate praeclaros fructus recordabamur, quos ex Synodis dimanasse compereramus, quas habuimus, cum rem sacram Ferrariensem primo, ac Praenestinam postea (2) gereremus.

Cum itaque, prout graviorum munerum curae patiebantur, ad quae ex SS̃mi D. N. PII VII. indulgentia honorati fuimus, universam Dioecesim lustraverimus, ut traditas nostrae fidei oves agnosceremus, et si quae irrepsissent mala, conaremur auferre, cunctos primum per litteras hortati, ut quae ad Synodum utilia dignoscerent, renunciarent, Primores e Clero statis quibusdam congressibus advocavimus, ut pro Dioecesis statu, ac pro temporum ratione de communibus rebus, et maxime de moribus, atque de divinorum officiorum procuratione consultaretur. Res e sententia successit: collatis quippe salubriter consiliis, omnia pene, quae pro Ferrariensi, ac Praenestina Ecclesia decreveramus, in nostrarum Dioecesium usum bene, mature, apteque accomodata in promptu jam sunt, ut vocato Coetu, sanctificata Ecclesia, coadunatis Senibus (3) proferantur in lucem. Ut igitur, quod faustum semper, fortunatumque sit, omnes, quibus vel a lege, vel a consuetudine id juris est, rite conveniant, Synodum his Litteris indicimus habendam in Cathedrali Basilica Veliterna, ad VI. et V. et IV. Kalen. Junias, per quos dies ex illapso in Apostolos, Plebemque Credentium Spiritu Sancto novam celebramus super Babylonis ruinas Hierusalem non in exercitu, ac robore, sed in verbo Dei, aeterna stabilitate fundatam (4).

Animo quidem percupido auspicatissimos hos dies approperamus,

(1) *Constit. 20. §. 8.*

(2) *Syn. Ferrarien. an. MDCCLXXI. et Praenest. an. MDCCCIII.*

(3) *Joel. 2. 15.*

(4) *Ex Serm. I. S. Leon. de Pent... Zacch. 4. 6.*

quibus lectissimam Venerabilium Fratrum Coronam intueri, ac de Gregis salute alloqui datum erit, quos cum Cardinali Augustino Valerio Veronensium Antistite oculos nostros compellamus, aures nostras, manus nostras, nostros pedes, quorum opera, vigiliis, laboribus, itineribus, atque etiam periculis partem nobis sollicitudinis ademptam, vel certo sublevatam persentimus (5).

Verum ut res haec tanta prospere, ac feliciter eveniat, Advocatum adeamus cum fiducia, quem habemus apud Patrem, JESUM CHRISTUM justum (6) ut quod Apostoli legem ipsius prolaturi assequuti sunt, id et Nos ex divini Spiritus virtute nanciscamur, ut scilicet quae recta sint, quae sancta, quae utilia, quae opportuniora, sanciamus, eaque in usum deducere, et quae cujusquae sunt partes, eas pro se quisque exequi, ambulantes unanimes in Domo Domini, connitamur. Praecipimus proinde, Sacerdotes quoscumque addere in Missa Orationem de Spiritu Sancto, et Sacrum praeterea de Eodem fieri semel in mense, primo, quo liceat, die per Canonicos Pontificalis Templi, et Collegiatarum Ecclesiarum, ac demum a Parochis, et Sacris Virginibus diebus festis Mariales Litanias coram frequenti Populo recitari.

Reliqua vero, quae de Personis ad Synodum accessuris, de itineris, et hospitiorum disciplina, de vivendi, et agendi modo mandari oporteat, aliis edictalibus litteris, quando praestituti dies instabunt, denunciaturi, haec interim praemonitos omnes e Clero voluimus, nedum ut si quae sancienda censeant, accurate adhuc, ac religiose proponant, ut nos inde omnibus cognitis, quae ex re Ecclesiae esse videbuntur, adjuvante Domino, statuamus, verum ut ipsi etiam multa, adsiduaque apud Deum prece, suisque consiliis, studiis, et curis, atque animo cum primis docibili in prosperos nostrarum actionum exitus adlaborent.

Hac nos jucunda spe recreati levamus oculos nostros in Montes,

(5) *Card. Aug. Valer. in libello ad Cler. Veronen.*

(6) *I. Ep. Joan. §. 2. 3.*

unde veniet auxilium nobis, Eosque, qui custodes sunt in Israel, Gregemque ipsum, pro cujus commodo instanter operamur, affectu patrio Deo commendamus, pacem singulis adprecantes ab eodem Deo Patre nostro, et Domino JESU CHRISTO, qui benedicat nos in omni benedictione, ut simus sancti, et immaculati in charitate (7).

Datum Romae ex Aedibus nostris Kalen. Januarii an. MDCCCXVII.

A. CARD. EPISCOPUS OSTIENSIS, ET VELITERNENSIS.

Sebastianus Lazzarinus a Secretis.

(7) *Ad Ephes. 1.*

LITTERAE PRAEMONITORIALES.

ALEXANDER MISERAT. DIVINA EP. OSTIENSIS
ET VELITERNENSIS S. R. E. CARD.
MATTHAEJUS &c. &c.

COLLEGIIS CANONICORUM, PAROCHIS, PRESBYTERIS, CLERO UNIVERSO
DIOECESIUM NOSTRARUM
CHARITAS DEI, ET COMMUNICATIO SANCTI SPIRITUS.

Quos aliis nostris ad Vos Litteris ineunte hoc anno denunciavimus, dies auspiciatissimos, quibus os ad os adlocuturi in Synodum convenire decrevimus, adesse illos tandem, Eo juvante, qui Pater est totius consolationis, summo perfusi gaudio gratulamur. Nuncias tantae faustitatis litteras iterum mittimus, ut datis quibusdam legibus cuncta pro actionis majestate, ac splendore belle, ac feliciter eveniant, nihilque minus decorum, vel a rei gravitate alienum, vel perturbate, ac temere peragatur.

Rursus itaque monitos Universos volumus, ad diem VI. Kal. Junias Synodo initium fore, quam binis continentibus diebus confectum iri, divino freti praesidio confidimus. Accedant ergo per eos dies praefinitis horis in Basilicam nostram Cathedralem Veliternam omnes tum Pontificalis Templi, tum ex inferioribus Collegiis Canonici, Vicarii Foranei, Parochi vel Saeculares, vel Regulares, ac ceteri quilibet, quorum est de jure, et consuetudine Synodo interesse. Iis quippe omnibus id praecipimus in virtute Sanctae Obedientiae, iisque poenis propositis, quas per Canones novimus irrogatas, nisi quis fortasse justis causis per nos adprobandis sese praepeditum ostenderit.

Singuli adsint veste induti ad talos demissa, et superpelliceo mundo, et candido, aut cum ornamentis, et insignibus suo ordini, et dignitati consentaneis. Parochi stolas deferant rubri coloris. Teneant autem omnes locum, quem ex nostra auctoritate Caeremoniarum

Magister iisdem assignet: nullumque proprio juri discrimen illatum existiment, quocumque loco jubeantur considere: nullam quippe exinde actionem conferri, nullum privilegium attribui, firmissime pronunciamus.

Nemo ad cauponas divertat, sed quisque adeat domum ab Hospitiorum Praefectis praestitutam, nisi forte altera apud honestos homines pateat hospitalis sedes, ad quam amice deducantur. Eam vero universi modestiam in moribus, temperantiam in victu, et in omni actione religionem retineant, ut vere exemplum sint Fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.

Prima Synodi die Presbyteri, qui forte eo mane Sacrum agere nequiverint, et ii, qui e Sacerdotali ordine non sint, accedant jejuni, ut a Nobis, si Deus volet, sollemniter operaturis Sanctissimam Eucharistiam accipiant.

Intentis omnes auribus accipiant, quae referentur in Synodum, neque silentio praetereant, quae ad Sacrorum procurationem, et ad Animarum salutem pertinere censuerint, ut nos inde omnibus rite perpensis, quae sint e re Ecclesiae, utili sanctione statuamus.

Ne vero ex Parochorum absentia Fideles Populi detrimentum patiantur, ipsorum sit, suas oves probo, et idoneo Presbytero per id temporis commendare, qui ad confessiones audiendas per nos adprobatus possit iisdem ad Sacramentorum praesertim administrationem praesto esse.

Ast ut nostra in hanc tantam, tamque salutarem actionem consilia, vota, ac studia recte succedant, suo nobis adsit numine SPIRITUS SANCTUS, qui eos dies excellentissimo sui muneris miraculo consecravit, ille inquam Spiritus Veritatis, qui suo in Templo nec tenebrosum aliquid vult esse, nec tepidum. Levemus idcirco manus, et oculos ad ejusdem Divini Spiritus Sponsam, ad MARIAM Sanctam, ex qua omnis gratia, omne consilium, omnis prudentia: beatissimis tantae Matris pedibus provolvamur; teneamus Eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Id demum adsidua, multaque prece posca-

mus Coelites universos, quos sospitatores veneramur, conservatoresque Civitatum, ac Dioecesium nostrarum.

Mandamus proinde, ut praeter eas, quas antea in eum finem edixeramus, precationes, diebus undecima, decima quinta, et decima octava Maji Litaniae majores cum precibus post Conventualem, aut Parochialem Missam per Canonicorum Collegia, ac Parochos, et Sacras Virgines recitentur: die vero sollemni Pentecostes vespertinis horis in Basilica Cathedrali, et in Aede principe oppidorum Dioecesis Sacramentum Augustum palam Fidelibus adorandum, venerandumque proponatur, ut recitatis Litaniis majoribus sacra Populus precatione lustretur.

Id tandem notum sit omnibus, indulgentiam plenariam a PIO VII. Pontifice Maximo decretam in eos fuisse, qui Sacramento Poenitentiae rite expiati, et divino Epulo refecti Basilicam Cathedralem per eos dies, quibus habetur Synodus, pie adierint, et in ea secundum animum, atque sententiam ipsius Pontificis precati Deum fuerint.

Hisce nos confisi auxiliis in Synodalem actionem lubentes contendimus, vosque, Venerabiles Fratres, quos in osculo sancto salutamus, per fidem, per religionem, per sacerdotium vestrum rogamus, ut idem sapientes in Christo, nec ea quaerentes, quae nostra sint, sed quae JESU CHRISTI, adnitamur insimul praeclaris legibus, utilibusque institutis corroborare Templum, suffulcire Domum, amplificare Civitatem in laudem gloriae CHRISTI JESU, in cujus CORDE suavissimo fausta omnia, ac felicia patrio vobis affectu adprecamur.

Hae vero litterae ad valvas propositae Basilicae Cathedralis, Ecclesiarum Collegiatarum, et Parochialium, perinde valebunt, ac si cuique eorum, ad quos pertinent, fuissent annunciatae.

Romae ex Aedibus Nostris VI. Kal. Majas: Die sacro MARIAE SANCTAE a Bono Consilio Anno MDCCCXVII.

A. CARD. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN.

Sebastianus Lazzarinius a Secretis.

ORATIO
HABITA IN PRIMA SYNODI SESSIONE
AB EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO
CARDINALI EPISCOPO.

Jam satis perspectum, exploratumque est omnibus, non illud solum munus sacris Ecclesiae Pastoribus impositum fuisse, ut in rectam commissi sibi Gregis procurationem intenta sollicitudine incumbant, opemque idcirco a Summo Deo pro ipsius salute operanda in formidando vel Angelicis humeris Ministerio gemitibus postulent inenarrabilibus; verum illud insuper et veteribus Ecclesiae Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis, et recentioribus Summorum Pontificum Constitutionibus praestitutum esse, ut iis in Synodum adscitis, quos et vitae sanctitas, et sapientia mentis, et religionis zelus spectabiles reddunt, de communibus rebus, et maxime de moribus, ac de Ecclesiastica disciplina, deque Sacrorum ordinatione consultent, collatisque hoc pacto consiliis leges decernant pro Dioecesis rationibus bene, mature, atque accomodate conquisitas, quibus (1) quod infirmum sit, consolidetur, quod aegrotum, sanetur, quod confractum, alligetur, quod abjectum, reducatur, quod perierit, quaeratur, ut ex virtute, quam administrat Deus, in omnibus ipse honorificetur per Jesum Christum Dominum Nostrum (2).

Sane, venerabiles Fratres, dilectissimi Filii, ex sacra Visitatione Dioecesis, quam totam Deo adjuvante perlustravimus, ex scientia, quam acquisivimus privatis colloquiis, et diuturno pastoralis muneris exercitio, haud exigua habuimus argumenta consolationis, et solatii in Deo, et per Deum, qui consolatur Nos in omni tribulatione, et angustia. Invenimus enim et Parochorum zelum impensissime

(1) *Ezechiel. 34. 15.* (2) *I. Petri Cap. 4. v. II.*

ad majorem Dei Gloriam, Animarumque salutem quaerendam conniti, et Cleri mores praeclaros effulgere, tum Sacrarum Virginum religionem, et modestiam commendari, et universi demum Populi ingenium ad pietatem esse magnopere conformatum: et exinde laetati sumus in Domino, qui non respiciens infirmitatem nostram, divitias bonitatis, et misericordiae suae in dilectum Gregem effudit.

Sed ab ipso momento, quo inscrutabili Dei judicio inter vos ingressi sumus, nullus ferme dies pertransiit, quo haec praesertim animo revolventes, in hanc sacram Synodum quam primum habendam cogitationes, et curas non converteremus. Etsi enim Praedecessores nostri et zelo, et doctrina praestantes post Synodum ab Eminentissimo Cybo habitam ad diem octavum, et septimum kalendas Decembres An. MDCLXXXXIII. alteram cogere vehementer discupierint, nihilominus vel aliis gravioribus curis distenti, vel ex temporum acerbitate praepediti, desideratissimo tantae jucunditatis fructu infeliciter caruere.

At Nobis tandem, quod illis datum non fuit, etsi maxime concupitum, dies illuxere auspicatissimi, quibus frequenti conspectu vestro mirifice recreati, Deique confisi praesidio, sine quo nihil validum, nihil sanctum, iis, quae vel in visitatione Dioecesis, vel in praehabitis Synodicis Congregationibus, vel aliis jam latis legibus, utcumque a Nobis vel incoepta, vel acta sunt, communi in praesens consilio, opera, studio, postremam veluti manum apprime imponamus. Cur igitur et vehementer exultare, et in Domino gaudere non debeamus, cum haec omnia in id unice intendantur, ut Filios nostros dilectos in veritate videamus ambulare?... Haec enim est illa major Gratia, qua prae caeteris gratulabatur Apostolus Paulus, et unusquisque Sacer Animarum Pastor debet laetari in Domino.

Unum tamen, nec certe dissimulare possumus, subest, quod in hac laetitiae die, quam placet appellare diem Domini, animum aliquantisper conturbat, et moerore afficit. Quidquid in hac Synodo statuendum erit, ad Populi mores informandos, pietatemque augendam, atque ad Cleri sanctitatem procurandam, ejusque pro Anima-

rum salute zelum excitandum dirigitur: at praeire debent Sacerdotes, ut nostis, verbo, et exemplo, sanctis muniti legibus, iisdemque quodammodo induti, ita ut praecedat Sacerdos, et sequatur in viis justitiae Populus. Sed proh dolor! Synodales Coetus aliquando ea carent utilitate, quae caeteroquin exinde erat opperienda, et inanis non raro evadit tum cura Pastorum, tum Ecclesiae, et Sanctorum Canonum praescriptio. Sunt namque nonnulli Ecclesiastici Viri, qui id genus conventus vix quidquam amplius, quam externam quamdam, nec multum utilem praeferre actionem, seu consuetudinem arbitrantur. Sunt, qui Leges Synodicas, tamquam importabilia onera, sumunt, et eis parent non tam ut conscientiae consulant, sed ut poenam effugiant. Sunt demum, qui alacres accedunt, lubentesque latas leges accipiunt, sed non longo tempore elapso, a prima charitate excidunt, et a proposito cursu defervescunt. Jam Vos ipsi, charissimi Fratres, perspicitis, quantum hoc triplex Ecclesiasticorum genus a fine, et utilitate Synodi aberret. Itaque si qui ex hisce inter Nos habeantur, Nobiscum paulisper advertant, volumus, primi, quo Synodi spectant, alteri, quo eis spiritu parendum, tertii demum, quonam studio, quae susceperint, constanter tenenda.

Ac sane a veritate plurimum desciscunt, qui authumant, solam, ac externam zeli speciem, et sollicitudinis velut umbram, ut ita dicam, hanc Synodicam actionem praeferre. Agitur de Dei Optimi honore, et Animarum salute, quo certe majus, sanctiusque opus aliquod excogitari haud potest. Agitur de Fidei integritate servanda, de obsequio Ecclesiae praestando, de disciplinae Ecclesiasticae vel retinendae, vel temperandae ratione. A Synodo probandi, qui lance aequissima excutiant Animarum regimini praeficiendos. In Synodo ii designandi, quibus cognoscendae, definiendaeque causae ab Apostolica Sede demandentur. Hoc etiam tempore eligendi, quibus Synodalium Decretorum custodia, atque cura committatur. Ad gravissima ista negotia discutienda, atque firmanda huc omnes, Venerabiles Fratres, convenimus in Domino Jesu.

Neque alter sane aut Sanctissimorum Pontificum, aut Tridentini

Concilii animus, neque alia mens fuit, dum non modo Sacris Pastoribus dioecesana Comitia commendarunt, sed eadem iterum, iterumque habenda praecepere. Neque Nos ipsi aliud pro nostra imbecillitate spectavimus, cum et singulos Parochos excitandos censuimus, ut si quid pro locorum, temporumque varietate necessarium, et utile dignovissent, solliciti deferrent, et lectissimos Viros ex utroque Clero in consilium ad utiliorem rerum tractationem adhibuimus, et publicas, privatasque subjecto Nobis Gregi preces indiximus. Huc igitur Synodus tota contendit, ut si quid sanctae huic Ostiensi, Veliternaeque Ecclesiae e suo decore fortassis exciderit, eam iterum Christo Jesu, tamquam Sponsam ornatam Viro suo exhibeamus, vel ubi nihil exciderit, eam ipsi sine macula, et ruga servemus.

Ast quid, ajunt, necesse est, condere novas Leges, sive jura firmare, cum jam sint, eruntque, quoad litterae, et scripta manebunt, Leges sapientissimae, quas coram universis Filiis Israel illi proposuerunt Viri magni, qui spiritum intelligentiae, quo repleti erant, in universum Orbem effuderunt? Fatemur et Nos, hoc in Ecclesia Ostiensi, et Veliternensi contigisse. Habuit enim ista antiqua, et perillustris Ecclesia singulari Dei beneficio Antistites pietate, vigilantia, ac doctrina praestantissimos, qui optimis eam legibus, institutisque nullo umquam tempore munire destiterunt. Unum prae caeteris honoris causa volumus nominatum, cujus memoria in benedictione apud Vos est, Eminentissimum Cardinalem Antonellum Praecessorem nostrum praeclarissimum, qui vitae innocentia, doctrinae laude, studio religionis, prudentiaque commendatus vixit Ecclesiae universae acceptissimus, suique desiderium bonis omnibus reliquit. Non defuit et ipse vestigia sequens Praedecessorum, zelo, quo flagrabat, impensissimo dilectum Gregem datis opportune legibus ad salutaria pascua perducere.

Cum tamen Hominum animi proni sint ad malum ab adolescentia sua, ac repugnanter ut plurimum, aut leviter legibus imbuantur, nisi vel animadversionis metus impendeat, vel monita urgeant luculentiora, facile nimis est, leges ipsas negligi, e memoria dilabi.

et saepe etiam in vitiosam desuetudinem abire. Idcirco visum est Pontificibus Maximis, sapientissimisque Patribus, animorum levitatem, naturaeque vitium stata identidem opportuna legum renovatione, abigere, coercere; temperare, ut si quae temporis lapsu, sive obliteratae, sive neglectae fuerint, eae ad pristinam vim, dignitatem, lumenqne revocentur.

Agite ergo, Venerabiles Fratres, et sententias non tam nostras, quam Sanctissimorum Pontificum, nec non Sanctorum Canonum statuta, et Conciliorum praesertim Tridentini Decreta, consentientibus animis, suscipite.

Praecepta audite Patrum vestrorum, qui in hoc maxime incubuere, ut mundaremur ab omni inquinamento carnis, et spiritus, perficientes cunctorum sanctificationem in timore Dei. Recogitate Praepositos vestros, qui vobis vitae, et salutis monita reliquerunt, et tamquam Filii obedientiae, ne quaeso, disciplinam Patrum dimittatis, sed custodientes eam, instate Verbo, quod salvare potest animas vestras, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu, et probantes potiora, sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi.

Haec porro perficientes, jam quaecumque Synodalibus Decretis contineantur sive novae, sive veteres Leges, illas lubenti animo exciperetis, nec sane terreno, vel servili oculo eas intueremini, externo dumtaxat obsequio, aut pavida quadam paenarum fuga custodiendas: sed imposita ab iis, qui pro Deo inter Nos legatione funguntur, praecepta observare diligenter, et accurate tenere adniteremini *non propter iram tantum, sed etiam propter conscientiam*, uti monet Apostolus (3) qui Praepositis obediendum clamat: *Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*.

Sane si Populus, cui nedum verbo, sed et exemplo praesidere nostrarum est partium, Nos videat tardiores, et quasi obesiores in exequendis ecclesiasticis legibus, quae Nobis dulciores esse deberent super mel, et favum, quomodo et ipse persuasum habere

(3) *Rom. Cap. XIII. v. 6.*

potest, viam mandatorum currere prompto, et alacri animo, jugum cogitans Domini suave, et onus ejus leve? Nemo igitur vestrum humano ducatur spiritu, sed spiritu, qui ex Deo est, quo regi perspicimus ea, quae a Deo donata sunt Nobis. Ipse idoneos Nos fecit Ministros novi Testamenti: induat proinde unusquisque vestrum spiritum charitatis, ut serviens Domino non littera, sed spiritu, praeceptis se submittat non timore poenae, sed amore justitiae. Sit eadem vox omnium, quae fuit olim Filiorum Israel: (4) *Domino Deo nostro serviamus; et obedientes erimus praeceptis ejus*: laetique offeramus hanc oblationem, quam pridem vovimus, jurantes custodire judicia justitiae suae, ut in sanctitate stemus coram Domino omnibus diebus nostris.

Sed jam non sufficit, sanctam Domini jussionem libenter amplecti, vel alacres, docilesque a principio explere, si deinde quasi retro respicientes, laborisque pertaesi despondeamus animo, et a concepto proposito misere deficiamus. Hoc ideo vehementer rogamus, atque obsecramus in Domino: Constantes estote, Fratres carissimi, in via Domini currenda, et in mandatis ejus persolvendis. Hoc enim exposcit et vestra excelsa dignitas, qua nulla major potest inveniri, et ardentissima Christi charitas, quae Vos urget, et immarcescibilis illa corona gloriae, praemiorumque magnitudo, quae vobis est repromissa, si fideliter modo, constanterque in destinatum bravium contendatis supernae vocationis in Christo Jesu.

Audite ergo, verbis Ambrosii vos alloquimur, (5) audite Nos, stirps Levitica, Genus Sacerdotale, Propago sanctificata, Duces, ac Rectores Gregis Christi: Audite Nos rogantes pariter, ac verentes, ut cum honoris praerogativam monstramus, congrua etiam merita requiramus

Vos ii estis (potiori jure dici vobis potest) quos separavit Deus ab omni Populo, et sibi junxit, ut serviatis Domino, et staretis coram frequentia Populi, et ministraretis ei. Non ergo vos pigeat, quod vobis impositum est, jugum libenter, constanterque ferre, praesertim cum leve ipsum, et suave sit. Nihil enim in hisce, quas edici-

(4) *Hebr. C. 13. v. 17.* (5) *Josue 24. 24.*

mus, legibus durum, nihil asperum, nihil difficile. Namque ita omnia disposita, ac temperata esse confidimus, ut nec habeant infirmiores, quod reformident, nec studiosioribus desit, in quo ipsorum zelus, exerceatur.

Quod si grave aliquid infirmae naturae appareat, aut difficile diuturnitate temporis redderetur, solliciti estote, Fratres carissimi, quoniam charitas Christi urget Nos, ad currendam adsidue viam mandatorum Domini. Nam si prae caeteris innumeris Dei Beneficiis, quae sunt omnibus communia, ineffabilem Dei misericordiam expendamus, qua Nos a Populo segregatos ad sacra Ministeria vocavit, ad infinita nimirum sapientiae, et bonitatis arcana pertractanda, ad thesauros absconditos perspiciendos, ad sanctiora Sacramenta procuranda, quis nostrum conflagrare se haud sentiet studio ad ea omnia adimplenda vehementissimo, quae Nobis a sacris Ecclesiae Legibus imperantur? Itaque nostrum est, Venerabiles Fratres, Nos exhibere Populo Dei, tamquam Dei Ministros sobrios, benignos, justos, integritate irreprehensibiles, charitate ferventes, sapientia honorabiles, et in habitu sancto testimonium habentes bonum, ne simus offensioni cuipiam, sed omnibus exemplum praebeamus bonorum operum, ut qui ex adverso est, vereatur, nihil malum habens dicere de Nobis.

Sit tandem pro coronide: intentis jugiter animis, (in vos effusi patrio clamamus affectu), revolvite immarcescibilem illam gloriam, quam dabit Nobis Dominus justus Judex, si inconfusibiles operarios Nos inveniat in die illa magna, iniquis amara valde, sed justis nimis laeta, immo jucundissima. Haec porro cogitatio in Ministerio recte adimplendo nos foveat, in laboribus perferendis Nos sublevet, in exequendis Ecclesiae mandatis Nos confirmet. Laboremus, sicuti boni Christi Jesu Milites, (6) probemus Nos dignos Operarios inveniri expectantes beatam Spem. Est siquidem merces operi tuo, ait Dominus. Quaenam vero merces? Pro levi nimirum, et momentaneo labore, aeternum gloriae pondus retribuetur. Pro fideli quidem, sed brevissimo obsequio, pro temporaria diligentia in Ecclesiae man-

(6) 2. *Tymot*. 2. 3.

datis protuendis, dabitur ingredi in illam requiem opulentam, et in gaudium intrare Domini sui. Oh quam magna est domus Israel, et ingens locus possessionis ejus! Quam pulchra Tabernacula Jacob! Beati, qui habitant in Domo tua Domine. In lumine tuo videbunt lumen, et torrente voluptatis tuae potabis eos: (7) *Perpendite quaeso*, ait S. Augustinus (8) *qualis Misericordia Dei. Non dicit, centena millia Annorum labora: Non dicit, mille Annos, vel quingentos Annos labora. In paucis Annis labora, cum vivis, labora, et inde requies erit, et finem non habebit.* Fieri nè potest, ut harum rerum seria meditatione animus non exardescat, suamque unusquisque imbecillitatem, et infirmitatem erigi quodammodo, ac confirmari non sentiat, nec virtute indutus ex alto fateatur cum Apostolo: *Omnia possum in Eo, qui me confortat?* (9)

Exposuimus vobis, venerabiles Fratres, quae cogitatio Nos, atque cura mox vehementer afficiebat. Verum Deus ipse Pater Misericordiarum eam demum spem injicit, quaecumque a Nobis in hac Synodali celebritate agentur, finienturque, et alacriter suscipienda ab omnibus fore, et firmiter, constanterque servanda. Ipse enim vires praebebit, qui solum infirmitatem nostram et vere noscit, et potenter adjuvat. Levemus itaque cum fiducia oculos nostros ad Montem, unde veniet auxilium Nobis, et ad Eum Nos clamemus, qui fortitudo est, potens ex lapidibus suscitare Filios Abraham.

Te igitur humili prece compellamus, o Divine Spiritus, qui per hosce dies a Patre in Christi nomine in Apostolos missus es, ut eos doceres omnem veritatem: Tu nobis adsis praesenti auxilio in nostram, Gregisque salutem collaborantibus: Tu nostra repleas corda, ut quae opportuna sint, sanciamus, quaeque sancita fuerint, corde magno, et animo volenti, justis, sanctisque operibus exequamur.

Tu vero Mater pulchrae dilectionis, et agnitionis, Dulcissima Virgo Maria, quam sequentes non deviamus, qua rogante non desperamus, qua protegente non metuimus, Mater sanctissima Gratiarum,

(7) *Ps. 35. 9.*
(8) *Enarrat. in Psal. 93. §. 24.*
(9) *Philip. 4. 13.*

quam hoc praesertim titulo nostra haec Civitas Sospitam veneratur, opiferam, tutelarem, Tu volens propitia sacrum hunc Coetum respice, Tu votis fave, Tu coeptis adsiste nostris, ut quaerentes sapientiam ambulemus unanimes in viis justitiae, et properemus in gloriam.

Vos deinde in vota, precesque compellamus, Angeli Custodes, quibus de Grege hoc mandavit Deus: et Vos, Coelites Sancti, quos utraque haec Dioecesis Patronos suos colit, Statoresque, et Te cum primis, Aurea Sancta, Virgo, et Martyr, cui Civitas, ac Dioecesis Ostiensis devota est, et Te, Clemens Pontifex, et Martyr invicte, Civitatis, ac Dioecesis Veliternae Parens, et Dux, Vosque demum, Pontiane, Eleutheri, Geralde, ad quorum tumbam consistimus; vos auxilio nobis adstate praesenti; ad vestram quippe opem fidentes confugimus, Vosque deprecatores adhibemus, ut sollemnis haec sacrarum rerum tractatio prospere eveniat, nobisque sit Cor unum, et Anima una, ut in rite tradenda justitiae norma, nullis difficultatibus territi, nullis tentationibus victi deficiamus.

Sed hisce suffulti praesidiis manum tandem operi imponamus, Venerabiles Fratres, et qui sua misericordia opus incepit Deus, pari ipse caritate perficiat, quo et novum Ostiensi, ac Veliternensi Ecclesiae accedat decus, et Populi salus incrementum capiat, et major semper accrescat honor, et gloria Auctori bonorum omnium Deo, qui vivit, et regnat in saecula saeculorum.



ORATIO
HABITA IN SECUNDA SYNODI SESSIONE
AB ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
GESUALDO MACIOTO
EPISCOPO ELEUSINORUM, ET SUFFRAGANEO VELITERNENSI.

Quod erat optandum, Eme, et Rme Praesul, Ven. Fratres, Auditores Ornatissimi, quod erat optandum, et quod nostris praesertim temporibus maxime congruebat, ut scilicet Synodica Comitia, nescio quo fato, jam centum, et fere viginti ab hinc annis praetermissa, tandem aliquando haberentur, id primum divino plane consilio, tua dein, Eme Princeps, cura, diligentia, ac pietate datum nobis, atque oblatum hisce auspicatissimis diebus gratulamur. Vix enim in hanc sedem evectus, quamvis innumeris distentus negociis, tamen pro pastorali Tua sollicitudine et utramque Dioecesim perlustrare, et oves praesens agnoscere, omnesque suscepti muneris partes implere hucusque non destitisti, ut posses tandem, rebus omnibus optime constitutis, hanc Dioecesanam Synodum quamprimum indicere, et feliciter habere. Hoc quippe unum gloriae Tuae supererat addendum, ut quemadmodum Ferrariensem primum, deinde Praenestinam Ecclesiam sanctissimis Legibus communisti, ita demum hanc Ostiensem, et Veliternam, tamquam optimus praeses, conservator, et custos ad veterem lucem non solum revocares, sed novis, opportunisque sanctionibus exornares.

Advenit tandem, Auditores, nobisque illuxit haec dies optatissima. Ecce adsumus hic congregati in Nomine Domini, de rebus, quae ad bonum regimen harum Dioecesium pertineant, tractaturi. Adsumus pro salutari hujus agri Dominici cultura, quae vepres, spinas, ac tribulos extirpet, excessus corrigat, deformata reformet, ipsumque ad frugem uberrimae fertilitatis adducat (1), Adsumus, ut quod

(1) *Concil. Constantiens. Sess. 19.*

periit, requiramus, quod abjectum est, reducamus, quod confractum, alligemus, quod infirmum, consolidemus, quod forte, et pingue, custodiamus (2).

Surge itaque, Veliterna Civitas, leva in circuitu oculos tuos, et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi (2): Tibi inquam venerunt, ut tuam causam solliciti peragant, tuaeque collatis insimul consiliis studeant felicitati. Ne recogites, nec ostentes, quid valeas in Civitatibus Juda, quantum polleas Civium cultu, Magistratuum splendore, factis atavorum insignibus, loci amoenitate, fecunditate agrorum: verum attende, quot emolumenta in spiritualibus, et coelestibus in Christo sit tibi in praesens Seniorum concilium allaturum. Jucundare, Filia Syon, exulta satis, Filia Jerusalem, quoniam occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio (3). Ego autem in hoc pleno majestatis, et amplitudinis coetu verba facturus, ingenue fateor, me et haerere ingenio, et deficere eloquio. Quapropter pauperem Ruth imitatus, velut a tergo, sequar Emum Praesulem, qui hesterno die tam copiose, luculenterque praefatus est, ac nonnisi pauculas colligam spicas, quas ille campum demetens post se reliquit.

Neminem Vestrum latet, Sapientissimi Viri, hos Seniorum conventus, quos Graeci *Synodos*, Concilia Latini appellant, ad Reipublicae bonum cum antiquitus institutos, tum semper in more habitos fuisse. Unde perbelle in Proverbiis dicitur: Multitudo Sapientum sanitas Orbis; atque ibi salus, ubi multa Consilia (4). Cum enim sint arctissimis finibus circumscriptae hominum mentes, admirabili providentia sua voluit Deus, ut quod in singulis dispersa virtus non posset, id collecta in unum ex omnibus tentaret, atque efficeret. Sane in Veteri Testamento Dominus praecepit Moysi, ut septuaginta viros de universo Israel eligeret, quibus ille adjutoribus ingentem, nec docibilem multitudinem facile gubernaret. Hinc neque legem tulit ante initum Synagogae concilium, neque sanguinem foederis respersit, nisi in Concilio. In novo autem Testamento vel ab ipsis Eccle-

(2) *Ezech. 34.*
(3) *Isaiae 60. 18.*
(4) *Sap. 6. 26.... Prov. 11. 14.*

siae incunabulis Apostoli primores populi in unum cogebant, deque communi bono, legumque sanctissimarum observatione, aut rogatione iis in congressibus agebant: hinc in Concilio Mathias in locum Judae suffectus est; in Concilio septem Diaconi electi; ac demum prima illa juris Ecclesiastici decreta, nonnisì ex Concilio edita, ad nos promanarunt.

Sed quorsum prolixius ista recenseo? Eo profecto haec valent, Auditores, ut intelligatis, quam sano consilio sacrarum rerum moderatrix Ecclesia divino Spiritu afflata toties insinuavit, imperavitque, ut identidem Dioecesani conventus fierent, qui ex purissimis divini, atque ecclesiastici juris Canonibus adsciscunt, quae magis e re sint, eaque pro tempore, et loco ad peculiaris Ecclesiae usus accomodant. Quippe sanctas Scripturas consulunt, sanctos Patres, Pontificum decreta, Concilia generalia, et particularia, uno verbo omnem retro antiquitatem, et aptissimam exinde proponunt credendi, et vivendi regulam, ad quam dum quisque fidem, moresque exigit suos, quae forte oblitus fuerat, dogmata in mentem revocat, errores, si qui irrepserint, removet, vitia antea parum nota animadvertit, ac refugit, ac tandem in perfectum Christi sectatorem, hominemque vere spiritualem reformatur. Liquet igitur, quam uberes fructus inde referantur, et quam prompta, opportunaque remedia malis exhibeantur. In Concilio namque Dioecesano, quod quaedam generalis visitatio est, se se mutuo cognoscunt Episcopus, et Clerus, et mutua caritate inflammantur ad promovendum unanimiter Dei honorem. Hinc de iis deliberatur, quae in aptiorem Dioeceseos procurationem cedunt, cum his, qui administrationis participes sunt. Hic errores, et abusus, qui serpunt, et invalescunt in populo, convelluntur. Hìc agitur de gloria Dei, agitur de salute animarum, agitur de institutione Cleri, et disciplina populi ad primaevam castimoniam reformanda; agitur denique de spiritualium aegritudinum curatione,

Et re quidem vera cum ea sit humanarum rerum vicissitudo, ut omnia paulatim occulto quodam morbo labefactentur, et consenescant, et nihil sit tam firmum, quod aliquando vetustate non absumatur, id quod videtur quotidie in physicis, plorandum est etiam

in moralibus. In moralibus quippe experimur in dies, homines, divina licet lege quasi sepimento vallatos, pro summa tamen, qua laborant, naturae imbecillitate, indomitisque ut plurimum animi cupiditatibus saepe labi, saepeque ab officii semita deflectere; proinde plurimis et conciliis, et institutis, et decretis opus esse, quibus quasi sanctissimis vinculis adstricti a recto cursu non declinent, aut aliquando digressi in viam salutis redeant (5). Christum idcirco si audiamus, qui se Agricolam professus est esse, ac sub Agricolae imagine saepe in Evangeliis repraesentari voluit, non aliam deprehendemus parari rationem ad mores, et religionem utiliter excolendam, quam quae pro agrorum cultione assignatur. Non satis est Aratori optimum optima tempestate spargere semen, ac terram, quae cum gremio mollito, et subacto illud excepit, identidem irrigare; sed instandum est magna cura segeti, eaque rastris, sarculis, aliisque agrestibus armis premenda, et veluti insectanda est, ut laetae fruges, uberesque succrescant, noxiae autem herbae, et gramina eradicentur. Nonne autem vel similes omnino artes adhibere sacer hic Senatus debebit? Postquam coelesti sapientia deductas leges scripserit, animisque fidelium insinuarit, nonne oportet disciplinae ferro armare manus ad reprimendas libidines, vitia expurganda, scelera persequenda, denique ad semen malorum hominum extinguendum, ne sanctissimarum legum observantia violetur, ne Ecclesiae decor, Clerique sanctitas pereat, ac demum ne Sacerdotii majestas vilescat, ac deprimatur?

Quod quidem, Ven. Fratres, si quovis tempore adeo expediens, et opportunum videtur, ut in postremo Concilio Tridenti habito cautum fuerit, Synodos Dioecesanas quotannis celebrandas fore; quanto magis haec Synodi convocatio omnium votis erat expetenda, non solum quia diutius protracta, ac dilata, verum etiam ut aliquo modo occurreretur miserrimae temporum asperitati, quibus Ecclesia Christi tot malis premitur, et fere ubique oppugnatur ab impiis?

Vos certe memineritis, et quidem non sine magno animi vestri dolore, quot, et quanta superioribus annis ante oculos vestros misere

(5) *S. Carolus in Syn. Provinc.*

acciderunt: Ecclesiarum bona direpta; Templa solo aequata; Caenobia incolis destituta; Pastores e sedibus dejecti; Sacerdotes in exilium acti; sacrae Virgines e claustris divulsae; Sanctiora quaeque proculcata, discerpta, confracta... Eheu, eheu quot flagitia, quae sacrilegia, quae abominationes vel in ipso loco sancto!..

Et haec quidem evanuerunt; eaque feliciter demum evanuisse, gratulati sumus. Ast o utinam obducta esset cicatrix Filiae populi mei! Serpit etiam nunc cancer virulentus, et non obscure grassatur. Eheu qui pessimi, et teterrimi mores in Christianum orbem non irrepserunt: quae effrenata opinandi libido: quae in Religionem conspiratio! Dudum elanguit impietate pietas, superstitione religio, mendacio veritas, subjectio rebellione, caritas cupiditate, fides infidelitate, ut nihil jam, quod complorabat Cyprianus, non caeperit esse licitum, cum publicum est.

Proh dolor! quomodo vinea electa Domini exercituum conversa est in pravum? Nonne pro uvis protulit labruscas? Nonne vastata est maceria ejus, et vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam? Numquid non surrexit aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam?... Conversum est aurum in scoriam, conversa est in malum ex hominum factiosorum machinatione Christianae disciplinae ratio; externis hostibus, et domesticis laborat Ecclesia... Quousque tandem, irasceris Domine, et accendetur, velut ignis, indignatio tua? Quousque cibabis nos pane lacrymarum, potum dabis nobis in lacrymis, et in mensura?

Verum quod dolendum magis est, nec minus pertimescendum, in tanta rerum perturbatione nonne, quasi sopore gravi demersi, vix identidem expergisci cernimur, aut esse potius, tamquam febri jactati, qui nec medicum agnoscunt, nec pharmacum admittunt? Quotidie a Deo flagellis caedimur, quotidie peccati poenam sentimus, et tamen peccandi pertinaciam non vitamus; et licet tot aerumnis attriti, tantum abest, ut resipiscere velimus, quin, quod extremae est caecitatis, vitam traducimus oscitanter, perinde ac in summa pace versaremur. O nos miseros, qui ad flagella, ut alter Pharao, obdurescentes, et ad correptiones, ut aspides surdae obturantes aures

suas, efficimus, ut merito cadat in nos illud Jeremiae: Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam: (6) magnumque imminet periculum, ne penitus nos exscindat Deus: ac licet cum Israelitico Populo cantare in praesens debeamus misericordias Domini, quia non sumus consumpti, formidandum attamen valde est, ne malos male perdat, potiorique jure, quam antea oleam, nunc in ignem mittat oleastrum.

Haec est, Auditores optimi, haec est temporum, quae nacti sumus, conditio, hic status, haec ratio Christianae Reipublicae lacrymis potius, quam vocibus exponenda. Perpendite ergo, quae omnibus Religionis fovendae, vindicandae, tuendae, et conservandae impendeat cura, et sollicitudo, sed nobis praecipue Ministris Christi, quorum est proprium suffulcire Domum, corroborare Templum; nobis inquam, quos ut antesignanos in exercitu Christi oportet fortiter praeliari praelia Domini, et murum se opponere pro Israel. Quod si in gravioribus rebus deliberandis natura ipsa, ac ratione ducimur ad multorum exquirenda consilia, patet profecto, quo difficiliora sunt tempora, eo majorem urgere necessitatem hujus Synodi ineundae, qua plures insimul et ad cavenda pericula, et ad hostium jacula propulsanda in Spiritu Sancto convenientes a Deo misericordiarum Patre auxilium facilius impetremus. Stultissimum quippe esset ob malorum multitudinem, gravitatemque animis despondere. Oportet haereses esse, scandala insurgere: Paullus omnes Antistites admonet, non defuturos multos inobedientes, vaniloquos, seductores, docentes, quae non oportet: quorum certamina per desperatam fugam deserere nefas foret.

At vero hoc tam salutare, quod, auspice Deo, inceptum est opus, ut non modo progrediatur ex voto, sed felicem etiam consequatur effectum, duo Nobis, Ven. Fratres, ante oculos potissimum habenda sunt. Primum, ut in re tanti momenti mentes nostras humiliter convertamus ad bonorum omnium largitorem Deum, sine quo non modo nihil agere, et moliri, verum ne cogitare quidem

(6) *Jerem. 5. 3.*

aliquid boni sumus sufficientes ex nobis, cum sufficientia nostra ex Deo sit (7). Oportet igitur, si quovis tempore, his praesertim diebus, ut orationi instemus, vigilantes in ea (8). Haec enim clavis est Coeli (9): hac conversamur cum Deo; cum Christo miscemus colloquia; et desiderata postulamus, et postulata obtinemus. Profecto hac ope adjuti facile superextruemus in fundamento, quod est Christus, domos spirituales: nec metus erit illarum ruinae. Nam intuentes in Eum, qui potens est aedificare, et dare haereditatem in sanctificatis omnibus, dicemus cum Psalmista: Nisi Dominus aedificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam. Hoc quoque praesidio muniti vigiles erimus in custodienda civitate; nec verebimur, quae circumstant, inimicorum insidias. Nam in Eo, qui est adjutor fortis, spem nostram figentes, iterum clamabimus cum Psalmista: Nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilant, qui custodiunt eam.

Alterum vero est, ut qui in sortem Domini vocati sunt, tales se exhibeant moribus, ut eorum vita ob omnium oculos, tamquam absolutissimum ad imitationem exemplar, posita esse videatur. Incredibile enim dictu est, quantum haec vitae sanctimonia, et morum integritas valeat in Ecclesiasticis viris ad fructuosam fidelium procurationem. Nam ipsi si eximia continentia floreant, si ambitioni non serviant, si nihil privatis commodis indulgeant, si demum non sua quaerant, sed quae Jesu Christi; tunc certe apprime proderunt Leges, et Synodicae constitutiones, quas prius ipsi suis virtutibus ornant, atque exemplis corroborant. Leges enim etsi optimae, sunt, velut mortuae, et in contemptum abeunt ab ore eorum inculcatae, qui eas suis moribus non referunt; tantum abest, ut observatione dignae eadem ducantur a populis, atque executioni demandentur. Cum exemplum vitae magnam auctoritatem verbo afferat, oportet, ut verbis facta respondeant, et quae hoc in loco probantur Leges, firmentur exemplis: oportet, ut nos ipsi et facientes, et docentes simus vivae

(7) *7. Corinth. 3. 5.*
(8) *Coloss 4. 2.*
(9) *S. Aug. Serm. 125. de divers.*

leges, ac veluti norma quaedam, ad quam populi suas componant actiones. Oportet demum Sanctos a sancto concilio discedere; sic enim sanctitas, quae elucet in Clero, facile diffundetur in populo; atque utroque santificato, Ecclesia haec, velut in diebus juventutis suae, plena virtutum ubertate florebit.

Intentos modo in nos tenent oculos tum boni, tum mali, expectantes, quid e nostris consultationibus proditurum sit. Illi quidem, tamquam oves Dominici gregis lectissimae, optant a Pastoribus animarum suarum deduci ad saluberrima pascua, et ad aquas refectionis, tum ab erroribus prohiberi, et adversus feras defendi. Nos equidem felices, si eorum spem adimpleamus, ut possint in gaudio succlamare Populi: Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt (10). Improborum vero, et omni scelere oppletorum hominum turba curiose, ac maligne observabit, num decreta nostra dictet Christi sapientia, quam despicere quidem simulant, sed maxime verentur; ac si quid peccatum a nobis fuerit, vel cacchinnis excipient, vel maximo cum dedecore nostro vituperabunt, agentque triumphum, quasi nequeat Ecclesia abusibus, si qui ex temporum improbitate irrepserint, liberari, proximumque eidem funus (quod per impietatis portentum haud raro audent ex iis, quos vere puteos dixeris abyssi, tenebricosissimis congressibus blasphemare) absque medela immineat. Macti igitur estote virtute, Ven. Fratres: vires intendite, gratiam Dei in vobis excitate, ut per vos illa eadem huic nostrae Ecclesiae feliciter succedant, quae in prima Oecumenica Synodo Nicaena evenisse testantur Historiae.

Nicaeam enim ex Ethnicis Philosophis complures convenerant, ut gauderent adspectu malorum, quae novam Religionem afflictabant, utque intestino ipsam morbo laborantem, facileque, ut putabant, caducam, dicendi arte, et Philosophia citius subverterent, omni, qua poterant, vi argumentorum, sophismatum, fallaciarum illam depugnabant. Patres autem illi Sanctissimi, egregia pietate fulgentes, et scientia Domini eruditi, praeque caeteris B. Spiridion vix aliud, quam purissimum objiciebant, suaque majestate ornatum Dei verbum,

(10) *Psal.* 22. 4.

nudamque, ordinatam, in omnibus mire cohaerentem, pondere proprio nixam, propria luce, et bonitate sua fidentem mysteriorum, legumque nostrarum expositionem. Victi sunt adversarii, conversi sunt, fassi sunt, verborum contentione se non fuisse cessuros, verum obsistere non potuisse, quia virtus procedebat ex ore dicentium, palamque per Patres illos Deus loquebatur. Nobis non adstant Concilio, sed circumstant in insidiis, ut sagittent in occulto, filii nostri, qui vere filii non sunt, pejores Ethnicis, rebelles Christiani. Ostendendum his est, virtutem Dei adhuc adesse nobis, divinam Sapientiam nostro etiam praesidere conventui, regere disceptationes, et nobiscum professionem dogmatum, et decreta disciplinae, et moralium praeceptorum syllogem elaborare. Forte hinc recognoscent, Populo sancto non deesse Duces, ac videntes, suaeque Ecclesiae Christum perenniter advigilare. Forte adspicientes, in quem transfixerunt, revertentur tundentes pectora sua: forte, (quae Christi Domini est pietas, et misericordia) toto corde a viis suis pravis convertentur, Cruci adhaerebunt, quamque sprevere Religionem, praedicabunt caeteris, diffundentque latius, ex persecutoribus in Paullos mirifice commutati.

Sed jam dicendi sit finis. Hic vero flecto genua ante Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut quae hactenus exhòrtati sumus, opere compleantur, omnipotenti gratia Ipsius adjuvante. Utque in summam omnia referam, vos omnes oro, atque obtestor, Ven. Sacerdotes, per viscera illius paternae, et divinae misericordiae, ut memores vocationis, qua vocati estis, exhibeatis vosmetipsos, sicut Dei Ministros. Vos huc convenistis in Nomine Jesu Christi; ea igitur, quae Jesu Christi sunt, curate, et facite. Renovamini spiritu mentis vestrae; explete ministerium, quod accepistis a Domino: apprehendite disciplinam, ne pereatis de via justa. Et quoniam asperrima tempora nacti sumus, et tot undique urgemur aerumnis, obsecremus supplices Deum, qui mortificat, et vivificat, ut recordatus misericordiae suae, propitius, tandem respiciat de Caelo, videat, et visitet Vineam istam, quam plantavit Dextera Ejus. Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam, Ipse nostra haec communia vota, consilia, studia perficiet, confirmabit, solidabitque; Ipsi gloria, et imperium in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO
HABITA IN TERTIA SYNODI SESSIONE
AB REVERENDISSIMO
DOMINICO MAZZONIO
ARCHIPRESBYTERO BASILICAE CATHEDRALIS VELITERNENSIS.

Quod olim, Eminentissime Princeps, in amplissima Dioecesi Ferrariensi, inde vero in Praenestina cum tanto Ecclesiarum illarum emolumento recte, sapienterque per Te gestum est, quodque in hacce Ostiensi, ac Veliterna per quatuor fere, ac viginti lustra a bonis omnibus desideratum, et ab Eminentissimo Praedecessore tuo Cardinali Antonello expetitum fuerat, ne dicam tentatum frustra ob variam, adversamque temporum conditionem; id Tu hodie, tanta licet negotiorum mole distentus, supremo favente Numine, gerendum aggrederis. Aggrederis? immo et jam numeris pene omnibus, ut mihi videtur, absolvisti. Habitis namque tot privatis prudentiorum, doctiorumque Virorum Congregationibus, Synodum Dioecesanam coegisti jam, seu potius celebrasti, et per eam, quae in hac non spernenda Dominici Gregis portione erant injuria temporum collapsa, restaurasti, periclitantia munisti, et labefactata restituisti. Bene est: feliciter est. At Synodo jam pene perfecta, quid itaque nunc restat?

Primum sane omnium illud nos omnes decere arbitror, Auditores Sapientissimi, ut scilicet D. O. M. gratias habere, quantas summopere possumus, ac referre studeamus, quippe qui tantam mentibus nostris opis suae vim, tantamque superni luminis copiam infuderit, quantam ad celebrandam Synodum necessariam judicavit: tum vero, ut Tibi, Praesul Eminentissime, totius Dioecesis nomine gratulemur ex animo, quod tantum opus cum tanta ejus utilitate, ut par est augurari, ad finem usque feliciter sis prosecutus. Quid mihi praeterea, hodierna luce, ad praesens institutum restet dicendum, quod Sapien-

tissimos hosce Auditores omnigena rerum cognitione, Ecclesiasticarum Legum prudentia, animasque regendi arte, usuque praestantes latere possit, certe non video; cum praesertim Pastorem ipsum Emum, egregiumque ipsius Suffraganeum, Viros ingenio, doctrina, dicendique copia longe me praestantiores hoc ipso in loco, hoc eodem de argumento pro illius dignitate jam disserentes audierint. Ne tamen imposito deesse videar muneri, ea Vobis hinc propediem discessuris paucis exponam, quae ad ipsius Synodi robur, firmitatemque conferre maxime videantur. Illud interim Vos oro, atque obtestor, ut si quid fortasse vel liberius a me dictum, vel minus ex personarum loci, officiique majestate prolatum videatur, Vos illud pro ea, qua praediti estis, humanitate, haud aegre ferre dignemini.

Nihil equidem arbitror, ad Religionis, Ecclesiasticaeque disciplinae praesidium, utilius unquam a Majoribus nostris excogitari potuisse, ac institui, quam ut quotannis in unaquaque Dioecesi Animarum Pastores eodem convenientes, communicatis consiliis, coram proprio Episcopo rationem inirent, qua iis cognitis, quae indigeant emendatione, depravata reformarentur, corrigerentur errores, et in Vinea Domini debitus restitueretur cultus, quo ad uberiorem frugem magis magisque in dies perveniret. Constans enim apud omnes ferme Gentes, et a remotissimis usque temporibus probata semper fuit opinio, seu potius naturae vox, ardua videlicet, ac difficilia quaeque negotia, quae graviora, et saniora expostulant consilia, communibus plurimorum, prudentiorumque Virorum suffragiis, atque sententiis tractari semper, decernique oportere. Hinc saluberrimum hocce institutum, priscis Ecclesiae temporibus, nonnissi perraro, urgentique de causa legimus intermissum.

Sed quid, amabo, nova prodesset Synodus, nisi reduceretur ad praxim? Ad nibil omnino. Quemadmodum enim nullam hominum, cujuscumque tandem sit generis, societatem, sive quae sacrum aliquem, ac religiosum, sive quae civilem tantum sibi praeseferat finem, coalescere unquam posse, ac institui certum est, quae legibus ad eumdem assequendum finem idoneis non indigeat communiri; ita pariter certissimum, societatem nullam diu bene moratam

recteque compositam servari posse, si praefatae leges haud executioni mandentur. Ecquid enim Leges ipsae quantavis sapientia excogitatae pollerent, quidve prodessent, si scripto tantum proditae remanerent, aut tabulis insculptae, minime vero subditorum simul alte imprimerentur animis, eorumque moribus, usuque firmarentur? Cum scilicet mores hominum pro temporum vicissitudine, proque eadem ipsa humani animi indole relaxari continuo, atque a legibus ipsis deflectere contingat non raro; in eo propterea tota eorum versari debet industria, qui Societatis alicujus regendae curam suscepere, ut legibus sapienter praestitutis, instabiles subjectorum mores ad ipsarum normam identidem redigere, ac revocare adnitantur, vel novas videlicet, si forte opus sit, sanciendo leges, vel veteres, ac pristinas, obsoletas quandoque, ac neglectas in usum denuo, ac vigorem reducendo.

Hinc autem probe intelligitis, Pastores Plebium, Duces Populi, qui honorabilior Dominici Gregis portio estis, intelligitis, inquam, praecipuum hoc Vobis hodie impositum onus, ut scilicet decreta haec Synodalia recipiatis ex animo, hisque custodiendis assiduitate quotidiana assuescatis, et ut oves Vobis concreditae assuescant, curetis intente, ut ea in vestrum, earumque succum, ut ita dicam, et sanguinem brevi convertantur.

Eja ergo, Milites Christi, macti animo estote, et ad propositum Vobis opus properate. Sinite, me pari, ac vos, munere fungentem de communibus officiis simul agere, ad Vos propterea sermonem praecipue conversurum. Proponite Vobis ante oculos, quid in hac Synodi celebratione expectet, ac requirat communis omnium nostrum Parens, Ecclesia nimirum Ostiensis, et Veliterna, quae Vos ad hanc, qua effulgetis, dignitatem evexit. Haec Vos hodie harum legum executores deligit, custodes, ac vindices, quibus id muneris incumbat, ut omnem earum vim, ac firmitatem sarctam tectamque servare studeatis; haec, inquam, novae Synodi observantiam fidei vestrae, probitati, integritatique committit, hortaturque Vos per Viscera Ejus, cujus ope, auxilioque confisi ad tantum opus huc convenistis, ut quaecumque in ea sapienter sancita sunt, *quaecumque sunt vera*, utar

Apostoli verbis, *quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae*, haec cogitetis, haec sapiatis, haec alios edoceatis.

Estote itaque vigiles Synodalium Sanctionum custodes; et si quando, ut fiet non raro, eas violatas noveritis, ad accuratam earum redintegrationem omnibus ingenii vestri nervis, omni animi, corporisque contentione, omnique sollicitudine statim intendite. Infausta scilicet nimis compertum est experientia, nihil penitus in humanis firmum esse, ac stabile, nihilque omnino constans, et permansurum, ipsasque leges, quantumvis sapienter excogitatas, utiliterque invectas, temporum progressu paulatim languescere; sicque nonnunquam hominum ignavia, et negligentia, atque, utinam! non prava eorum indole, in desuetudinem abire, indeque minus bonas, minusque utiles succedere, atque invalescere consuetudines, moresque sensim sine sensu irrepere ab Ecclesiae spiritu alienos, quibus leges ipsas postmodum suffocari, contemni, penitusque interire contingat. Vigilandum propterea incessanter est, ne et haec nova, sicut illa vetus Synodus, in desuetudinem prorsus abeat, atque ita oleum, ut ajunt, perdatur, et opera.

Et quoniam verbis quibuscumque, et adhortationibus exempla longe potentiora sunt, ac efficaciora, Vosmetipsos in primis ita praebete, ut forma Gregis ex animo facti vivendi normam caeteris jugiter exhibeatis, et a Vobis, tamquam in sublimiori loco positis, quid sequi, quid effugere debeant, subjecti queant ediscere. Sic enim, Deo dante, fiet aliquando, ut ob publicum, quo insigniti estis, magisterium a Vobis ad Laicos Sanctae Synodi observantia feliciter pertranseat. Sin minus, qua fronte audebit aliquis subditorum vitia reprehendere, qui propriis forte scateat, iisque erubescere debeat, quove ore ad virtutum exercitium hortabitur alios, quarum ipse sit expers? Nonne in eum intorqueri jure posset illud: *Medice cura teipsum*? Oportet ergo irreprehensibiles esse, et ubi labore opus sit, patientissimos; ubi cura, diligentissimos; ubi prudentia, sapientissimos; ubi constantia, intrepidos; ubi concionibus, disertos; ubi co-

mitate, mansuetissimos, faciles aditu, ad misericordiam propensos. Mementote, charitatem, quam Christus Servator noster Pastoribus animarum in earum salute promovenda praecipit observari, ministerii vestri maximum esse fundamentum. Coelesti hac virtutum omnium regina incensi, ad unam Dei gloriam, ad unam Ecclesiae utilitatem, ad unam Ovium, quas curae vestrae, ac regimini concredidit Deus, salutem, indefesso labore incumbatis. Scilicet divini cultus cura in primis, ac studium Vobis cordi erit, vestrosque animos jugiter detinebit; proindeque Sacrarum Coeremoniarum pompam quam maximam, dies festos, sacros conventus, et Sacramentorum administrationem ea, qua par est, dignitate peragendam curabitis; Ecclesiam ipsam, cui respective addicti estis, sic ornatam semper habebitis, ut ejus nitore ingredientium pietas augeatur, nihilque omnino, sive in sacris vestibus, sive in pavimentis, ac parietibus sordidum conspiciatur. Non ultima etiam cura Vobis erit, ut pueri utriusque sexus, a teneris, ut ita dicam, unguiculis, primis imbuantur Christianae Fidei rudimentis, quibus quasi lacte enutriti, solido postea ipsius cibo, caeterarumque virtutum incrementis augeantur. Nisi enim optime, firmiterque jacta fuerint prima educationis Christianae fundamenta, quidquid postea superextruatur, everti necessum erit, et corruere. Pacem denique, tranquillitatem, animorumque concordiam servare, et in aliis fovere praecipuae Vobis curae erit; litium strepitus omnino declinantes, et dissidia, simultates, ac partium studia, si quae forsitan inter vestrae Paroeciae subjectos exoriantur, quaeque mutuam possent dissolvere charitatem, paterno animo, ac benevolentia componentes, dirimentesque.

Sed neque a charitate, qua in procuranda Animarum salute totus aestuare debet Christi Minister, alienum est errantes, praesertim pervicaces juxta Evangelii normam corripere. Arguite itaque, si quando opus est, obsecrate, increpate pro sua quemque indole, verum in omni semper patientia, et doctrina, memores aureae illius sententiae, quam Moderatoribus quibusvis tantopere inculcant Sancti Ecclesiae Patres, ut scilicet plus *amari*, quam *timeri* studeatis. *Magnum* enim, ut recte, luculenterque pro more suo inquit D. Joannes Chrysosto-

mus, *magnum quiddam est Ecclesiae praelatio*, quam Vos geritis, *sed quae multa indiget sapientia ac fortitudine*; ac propterea in id semper vestra adlaborare debet industria, ut subjecto Gregi prodesse magis, quam praeesse videamini.

Haec erant, Auditores Sapientissimi, quae muneri meo satisfacturus ad Synodi robur, firmitatemque pro modulo meo dicenda censui, quibus per eos, ad quos spectat, servatis et vigebit Synodus diutissime ad commune utriusque Dioeceseos bonum, et aurea redibunt Ecclesiae saecula, et vobis posthac minime collaborandum erit de novis ad Animarum regimen excogitandis legibus, sed de promovendo dumtaxat jam editarum exercitio, deque Fidelium animis ad ipsas revocandis. In promptu siquidem Vobis erit quamprimum, quem diuturna, nocturnaque manu versare, et in deliciis habere Vos deceat, eximius Ecclesiasticarum Legum Codex, in quo quidquid ad divini cultus, Ecclesiarumque nitorem augendum, ad Ecclesiasticam disciplinam reformandam, Animarunque salutem promovendam pro temporis, ac Dioecesis conditione magis in Domino expedire visum est, perbelle congestum reperietis. Ab eo haurire licebit, quid agere, quid adhortari, quid inculcare, quid utriusque sexus Fideles edocere debeatis; ab eo ergo ne latum quidem unguem deflectatis, neque oves vestras deflectere patiamini, recogitantes jugiter, quanta cura custodire Vos oporteat depositum ab ipso Christo Vobis traditum, et commendatum, et quam gravis proinde poena Vos maneat, si ex thesauro, quem Divinus Servator Sanguinis sui pretio comparandum duxit, vestra forte incuria, quod Deus avertat, quidquam disperire contigerit. Vobis namque commissa est cura Animarum, de quibus strictissime aliquando reddenda erit Vobis ratio coram Judice, quem ne intimiores quidem latent humani cordis recessus, et penitiora hominum consilia. Dicebam

OFFICIALES SYNODI

JUDICES QUERELARUM ET EXCUSATIONUM.

Illmus et Rmus D. Geraldus Macioti Episcopus Eleusinus, et Suffraganeus Ost. et Velit.

Illmus et Rmus D. Felix Bezzi Auditor Generalis, et Canon. Patriarchalis Basilicae S. Mariae Majoris, SSmi D. N. Praelatus Domesticus, et Signaturae Justitiae Votans.

Rmus D. Paulus Polidori Vicarius Generalis Ostien. Canon. Basilicae Collegiatae S. Mariae in Via lata, Qualificator Sac. Rom. et Univ. Inquisit. Relator Sac. Congr. Indicis, ac Theologus Emi Episcopi.

Rmus D. Augustinus Maria Rinaldi Vicarius Generalis Velit. J. U. D. ac Protonotarius Apostolicus.

Rmus D. Dominicus Mazzoni Archipr. Basilicae Cathedr. Velit.

Rmus D. Michael Cella Canonicus Basilicae Cathedr. Velit.

PROCURATOR CLERI.

Rmus D. Dominicus Mazzoni Archipresbyter Sacros. Basil. Cathedr.

PROMOTORES SYNODI.

Rmus D. Appius Colonnesi Can. Decanus Sac. Bas. Cath. Sac. Theol. Doctor.

Rmus D. Vincentius Macioti Can. Sac. Basil. Cathedr. et Seminarii Veliterni Rector.

SECRETARIUS SYNODI.

Rmus D. Joannes Baptista Mazzoni Can. Theol. Sac. Bas. Cath. Sac. Theolog. et Philos. Doctor.

LECTORES, SEU COADJUTORES SECRETARII.

Adm. Rev. D. Valentinus Pocci Benefic. Sac. Bas. Cath.

Rev. D. Joannes Angelus Argenti Presbyter.

f

PRAEFECTI DISCIPLINAE ET SCRUTINII.

Rm̃us D. Joseph Cella Can. Sac. Bas. Cathedr.

Rm̃us D. Aloysius Maggi Can. Poenitentiarius Sac. Bas. Cathedr. et Sac. Theologiae Doctor.

Rm̃us D. Nicolaus Romani Can. Sac. Basil. Cathedr.

Rm̃us D. Joannes Dominicus Pellicani Can. Sac. Bas. Cath.

Rm̃us D. Alexander Macioti Can. Sac. Basil. Cathedr.

OECONOMUS PRO EXIGENDO CATHEDRATICO.

Rm̃us D. Michael Cella Can. Sac. Basilicae Cathedr.

PRAEFECTI HOSPITIORUM.

Rm̃us D. Dominicus Santucci Can. Sac. Basil. Cathedr.

Rm̃us D. Vincentius Pietromarchi Can. Sac. Basil. Cathedr.

Adm. Rev. D. Valentinus Pocci Benef. Sac. Bas. Cathedr.

Adm. Rev. D. Pontianus de Lazaro Benef. Sac. Bas. Cath.

CONFESSARII CLERI.

Rm̃us D. Dominicus Mazzoni Archipresb. Sac. Bas. Cath.

Rm̃us D. Aloysius Maggi Can. Poenit. Sac. Bas. Cathedr.

Adm. Rev. D. Aloysius M. Cari Archipresb. SSm̃i Salvatoris Velitrarum.

Adm. Rev. D. Franciscus Leggi Parochus et Rector S. Mariae de Trivio Velitrarum.

Rm̃us P. Octavius M. Paltrinieri Vicarius Generalis Congreg. Somaschae et Praepositus S. Martini Velitr.

Adm. Rev. D. Augustinus Jannoni Archipresbyter Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Plebe Civ. Coranae.

Adm. Rev. D. Thomas Marchiafave Archipresbyter Eccl. Colleg. SS. Petri et Pauli Civ. Coranae.

Adm. R. D. Alexander Tiraborelli Vic. Foran. Corae.

Adm. R. P. Vitalis Bennetti Rector Collegii Congr. Doctr. Christ. Velitr. atque in eodem Philos. Professor.

Magistri Coeremoniarum.

Rm̃us D. Andreas Giannoli Can. Insign. Colleg. S. Marci de Urbe , et SSm̃i D. N. Papae , et Sanctae Sedis Coeremoniarum Magister .
Rev. D. Joannes Franciscus Mancini Sacerdos .

Coadjutores Eorumdem.

Rev. D. Cajetanus Mammucheri Sacerdos .
Rev. D. Joannes Angelus Argenti Sacerdos .
Rev. D. Melchior. Olimpj Sacerd. et in Sem. Vel. Grammaticae Professor .
Rev. D. Germanus Sagnori Sacerd. et in Sem. Velit. Praefectus .

Ostiarii Synodi.

Adm. Rev. D. Eugenius Galloppi Benef. Sac. Bas. Cath,
Adm. Rev. D. Joseph Padovani Benef. Sac. Bas. Cathed.
Rev. D. Eusebius Merolli Coadjut. Ecclesiae SSm̃i Salvatoris .
Rev. D. Aloysius Cajola Coadjut. Eccl. S. Mariae de Trivio .
Rev. D. Antonius Cajola Sacerdos .
Rev. D. Petrus Fontana Sacerdos .
Rev. D. Paschalis Scoppetta Sacerd.
Rev. D. Sebastianus del Sasso Sacerd.
Rev. D. Laurentius Cascapera Subdiacon.

Notarius.

D. Archangelus Alfonsi Cancellarius Episcopalis .

Testes adhibiti in Celebratione Synodi.

Rm̃us D. Aloysius Monti Can. Sac. Basil. Cathedr.
Rm̃us D. Johannes Felix Ulisse Can. Sac. Basil. Cathedr.

Mater Gratiarum

S. Aurea V. M.

Silvestro Bossi dis. | Alessandro Mochetti inc.

S. Clemens PP. et M.



IN NOMINE
SANCTISSIMAE ET INDIVIDUAE
TRINITATIS
PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

AMEN.

Nos ALEXANDER Miseratione Divina Episcopus Ostiensis et Veliternus S. R. E. Cardinalis MATTHAEJUS Sacri Collegii Decanus.

Ad majorem Omnipotentis Dei Gloriam, ad honorem Beatissimae Mariae semper Virginis Gratiarum Matris, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Sanctorum Martyrum Clementis Pontificis, et Aureae Virginis, utriusque Civitatis, et Dioecesis Patronorum, nec non Sanctorum Pontificum Eleutherii Mart. Pontiani Mart. Geraldi Confess. in quorum tutela est Civitas Veliterna, ex ea, qua fungimur, sive ordinaria, sive delegata auctoritate haec, quae sequuntur, decreta in hac prima Nostra Dioecesana Synodo rite congregata statuimus, sancimus, et promulgamus.

Fili, ne effluant haec ab oculis tuis, custodi legem, atque consilium; et erit vita animae tuae, et gratia faucibus tuis.

Prov. III. 21.

CONSTITUTIONES SYNODALES.

Quae causae ad ordinandam, tuendamque in Dioecesibus rei ecclesiasticae, atque morum disciplinam Tridentinis Patribus suasere, ut Dioecesanas Synodos ab singulis Episcopis habendas esse decernerent, eas apprime concurrere, ut sacra haec Comitia pro nostri Gregis bono properaremus, statim ab Ostiensium Episcopatu suscepto manifeste cognovimus. Cum enim ea sit humanarum rerum conditio, ut paullatim ex temporis diuturnitate hebescant, et langueant, id in nostra etiam Ecclesia factum perdolemus, ut complures ex synodalibus legibus, quibus universa Dioeceseos ratio a Praecessore nostro Cardinali Cybo sanctissime, ac providentissime constituta fuerat, longo centum fere et viginti annorum intervallo, aut ipsa sua vetustate consenuerint, aut novis praescriptionibus sint sublatae, vel ignotae ut plurimum in vulgus conticescant, neque amplius communi in usu, atque hominum more, et sermone versentur. Huc accessit asperrimorum temporum, quae haud ita pridem nacti sumus, acerbitas collacrymanda, quibus, re qualibet in summum discrimen perducta, nihil certe miserius, nihil perditius, nihil foedius pertimescendum esse videbatur.

Ut itaque, faciente Deo misericordias, sanaremus contritiones Israel, atque ut confracta alligaremus, et quae sunt abjecta, reduceremus, id omnino a nobis praestandum necessario esse censuimus, ut leges ad Sacrorum Canonum jura, et ex eorum praeceptionibus conquisitas, qui in hujusce Ecclesiae procuratione facem nobis praetulere luculentissimam, sollemni actione Synodali sanciremus. Id Nos in praesentia conniti-

mur, idque ut prospere, atque e sententia succedat, ex singulari Dei beneficio, atque ex Mariae Adjutricis, Coelitumque praesidio salutari, animo fidenti praestolamur. Ut vero faciliori id, atque securiori modo assequeremur, operae pretium facturos nos fore non dubitavimus, si ex Synodis, Veliterna cum primis Cardinalis Cybo, tum ex Ferrariensi, ac Praenestina, quas, fortunante Numine conatus nostros, feliciter habuimus, ea excsribenda curaremus, quae vel morum emendatio, vel ordinatio Sacrorum, vel disciplinae sanctitas pro temporum, ac locorum varietate, in Populi nobis concrediti utilitatem efflagitassent, rite, mature, accomodateque referri.

PARS PRIMA

DE FIDE CATHOLICA.

Cum praecipuum nostrum munus sit, *ad aeternitatis templum vasa viventia in sinu nostrae sponsionis portare* (1) a Fide exordiamur, necesse est: *Ipsa quippe est ante gradus, et portam, quia prius ad fidem venimus, ut postmodum per spiritualium donorum gradus coelestis vitae aditum intremus: non enim per virtutes venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes* (2).

CAPUT I.

DE FIDE TENENDA.

Fides est, quemadmodum B. Paulus ait, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium .... Haec igitur est fides, quando illis credimus, quae non videntur, et mentem ad dignitatem ejus qui promisit, intendimus (3). Sed ne in his, quae non apparent, error aliquis in mentes nostras irreperet, Deus, qui *multifariam olim loquutus est in Patribus, novissime locutus est nobis in Filio* (4), qui divinum Fidei depositum credidit Ecclesiae, *quam acquisivit Sanguine suo* (5). *Qui vult ergo discere mysteria veritatis, in Montem Ecclesiae debet ascendere* (6), ad Ecclesiam scilicet Romanam, *omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram* (7) cujus qui tenet cathedram, Romanus Pontifex, PIUS nunc VII. ipse est aspectabile, ac summum Ecclesiae Catholicae universae caput in terris, quem placet venerationis, obedientiae, fidei caussa cum Florentinis Patribus conclamare *Successorem B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem, cui pascendi illam, regendi, et gubernandi a Domino Nostro Jesu Christo potestas in*

(1) S. Greg. Reg. Past. Part. II. Cap II.

(2) Id. lib. II. in Ezech. Hom. XIX.

(3) S. Jo. Chrysost. Hom. 36. in Genes.

(4) ad Hebr. I. 1.

(5) Act. XX. 28.

(6) Auct. Op. imperf. in Matth. hom. IX. int. Op. Chrysostomi.

(7) Trid. Sess. VII. Can. 3. de Bapt.

B. Petro tradita fuit (1). Hinc *decipi haud potest, qui jam novit, quid pertineat ad Christianam fidem, quae Catholica dicitur per orbem terrarum sparsa, et contra omnes impios, Domino gubernante, secura* (2). Quidquid haec nos docet, amplectamur, *credamusque ex toto corde, non claudicantes, non haesitantes, non contra ipsam fidem humanis suspicionibus argumentantes* (3). Omnes proinde errores divinae huic fidei vel minimum contrarios, et adversos, quos Romani Pontifices improbandos, damnandosque censuere, toto mentis, animique assensu rejicere, ac damnare debemus.

I. Sed quamvis fideles singuli credere debeant implicite, et generatim, quidquid Catholica docet Ecclesia, quaedam tamen necesse est distincte, et explicate scire, ac tenere, et ex iis quaedam *ex necessitate*, ut ajunt, *medii*, quia nimirum absque eorum fide non datur salus, quaedam vero *ex necessitate* dumtaxat *praecepti*, cum ad salutem ita ex vi legis dignoscenda sint, ut absque piaculo studium ad ea perdiscenda nequeat ommitti (4).

II. Necessitate *medii* firma fide credere unusquisque debet, Deum esse, eumque bonis praemia, malis supplicia decreturum: mysteria praeterea Trinitatis Augustae, et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi: tum Sacramenta, quae quis excipit, ad quae nemo sane potest se se instituere sine fide Sacramenti illius, quod sibi postulat administrari.

III. Necessitate autem *praecepti* Christiani omnes Fidei Symbolum memoriter habere debent, vel si nimia sint ingenii tarditate, ejus saltem sensum, Orationem praeterea Dominicam, et Decalogi praecepta, quae jure ipso naturali, ac divino sunt ab omnibus servanda. (5)

IV. Ut Fidelium animi ad haec addiscenda vehementius excitentur, Pastores palam edicent, neminem adultum, qui explicatam eorum fidem non habet, quae necessitate medii credenda sunt, *aeternam salutem obtinere posse* (6). Meminerint Confessarii, irritam esse absolutionem tali ignorantia laborantibus impertitam; eam vero opportune a se differendam iis, qui ea nesciunt, quae sunt ex necessitate praecepti, dummodo tamen gravis necessitas non urgeat, in qua positus Poenitens de sua doleat socordia, ac negligentia, di-

(1) *Conc. Florent. Sess.* 22.

(2) *D. Aug. de Agon. Christiano Cap. IV.*

(3) *Id. Serm.* 49. *alias* 237. *de temp.*

(4) *Emus Lambert. Instit. LXXII.*

(5) *Can.*Vos ante *de Consecr. Dist.*4. *S. Aug. de Symb. ad Cat. . . Lambert. ibid.*

(6) *S. Joannes Chrysostomus hom. VIII. in Epist. ad Rom.*

ligentemque sese operam ad ea quamprimum tenenda daturum esse polliceatur. (1)

V. Parentes, Tutores, Heros, et quosvis alios ad puerorum institutionem ex suo munere adstrictos, quos graviter negligentes hac in re Confessarii deprehenderint, omnes sine absolutione dimittent.

VI. A Sacramentis praeterea Confirmationis, et Matrimonii, tum a Patrinorum officio arceantur, qui tali ignoratione sordescant, neque sint de eorumdem Sacramentorum vi pro ingenii ratione satis edocti. (2)

VII. At non de solo habitu fidei oportet nos esse sollicitos. Praecepto quippe divino ad eliciendos saepe (3) fidei actus adigimur, praecipue vero cum periculum mortis impendet, aut cum quis contra fidem tentatur.

VIII. Atqui *Deus colitur* non fide tantum, sed *fide, spe, et charitate* (4). *Ex fide enim charitas, ex charitate spes, et rursus in se sancto quodam circuitu refunduntur* (5). Hinc Parochi suos doceant alio praecepto compelli ad concipiendos actus harum virtutum, et praesertim in quovis probabili mortis discrimine: aegros propterea in eodem constitutos ad frequentem, ferventemque horum actuum prolationem hortentur (6).

IX. Sedulo igitur, et quam saepius fieri potest tradendae Populo formulae, quibus harum virtutum interni actus promuntur. (7) Singulos autem moneant Parochi, ne frigida, jejunaque verborum pronunciatione contenti sint, sed cordis affectu, in ea, quae pronunciant, ferantur, ita ut ex animo credant, sperent, ament, quod se credere, sperare, amare verbis dicunt: utque ipsi lubentius iisdem immorentur, proponant identidem Parochi Indulgentias a Summis Pontificibus erga eos decretas, qui expressos hosce virtutum actus concipiant, earumque formulas pie recitarint. (8)

X. Ac ne qua confusio in puerorum praecipue, et rudium animis suboriatur, visum nobis est, unam ex hisce formulis seligere, eamque omnibus Nostrae curae commissis Populis proponere, quam Appendici inseruimus (9) et seorsim typis editam evulgabimus, ut in singulis Templis, et in campestribus Sacellis perlegenda omnibus aperto e loco prostet. Qui diversis formulis uti volent, eos Parochi hor-

(1) *Bened. XIV. Const.* Etsi minime *XLII. Bull. Tom. I. Vid. Prop. 64. 65. inter proscr. ab Innoc. XI.*

(2) *Can.* Vos ante *de Consec. dist. 4.... Pont. Rom. part. 1.*

(3) *Contra id quod docent Propos. 1. inter damnatas ab Alex. VII. tum 5. 6. 7. 16. et 17. inter proscr. ab Innoc. XI.*

(4) *S. Aug. Enchirid. cap. 2.*

(5) *S. Ambros. in Luc. Lib. VIII. cap. 30.*

(6) *Contra easd. Propos. cit. supra.*

(7) *Bened. XIV. Const. cit.*

(8) *Append. Num. I.*

(9) *Append. Num. II.*

tentur, ut iis precatiunculas subdant, quibus nostrae concluduntur.

XI. Severe praecipimus, ut unoquolibet festo die in omnibus Parochialibus Ecclesiis tam in Catechesi, quam in Missa Parochiali, et in Missa sub auroram, seu alia hora opportuniori pro populi commodo celebranda, dummodo constans ea sit, neque cum divinis officiis concurrat, hujusmodi formulae diligenter, accurate, religiose, distinctaque voce ita a Parocho, vel Sacerdote proferantur, ut populus verba repetens eas memoriae paullatim mandatas reddere postmodum verbis eisdem per se ipse assuescat.

XII. Omnes pariter Sacerdotes id jubentur, qui festo die, horaque ex Parochi voto praestituenda in publicis per agros Sacellis Deo faciunt. Quod si plura sacra ibidem peragi contigerit, volumus, ut in iis singulis propositae actuum formulae recitentur: de re enim agitur perquam necessaria agrestibus praesertim hominibus, quibus eas addiscendi nulla fere alia ratio, nullumque aliud tempus praesto esse solet. Qui in hoc vel raro deliquerint, eorum nomina Parochi ad nos deferant, ut in eos debita poena animadvertamus.

XIII. *Cum ab Evangelica, Apostolicaque Doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere, aut aliter sapere, quam Beati Apostoli, et Patres nostri didicerunt, atque docuerunt* (1); caveant omnes, qui fidei rudimenta tradunt, ne ab ea Catechetica institutione deflectant, quam pro utraque Nostra Dioecesi ex Summorum Pontificum auctoritate probavimus. Quidquid a sacris Litteris, a traditione divina, a dogmaticis Ecclesiae, Summorumque Pontificum decretis quocumque modo abhorret, leve ne putent: *Catholica enim integritas nec maculam perfidiae, nec rugam potest habere mendacii* (2). Si quid ergo contra hanc traderent, nae isti immani crudelitate darent *lapidem pro pane, serpentem pro pisce, scorpionem pro ovo* (3).

XIV. Conferantur quidem in familiari etiam consuetudine sermones, qui pietatem foveant: sed abstinendum omnino a quaestionibus de fide agitandis: *Fides enim obedientia opus habet: obedire, non curiose inquirere oportet* (4). *Indisciplinatas hujusmodi, et impias quaestiones per apta sibi corda Diabolus excitat* (5) in grave loquentium simul, et audientium discrimen. Haec idcirco ad eos, ad quos pertinet, prudenter deferri volumus.

XV. Et laici quidem si cum Haereticis, Judaeis, Infidelibus,

(1) S. Leo Epist. LXXXII. ad Marcian. Aug.

(2) Id. Serm. LXV.

(3) Luc. XI.

(4) S. Joannes Chrysostomus hom. XXVII. in Epist. ad Rom.

(5) S. Leo Serm. cit.

aut quibuscumque aliis, qui serio nostrae Religionis dogmata impugnare, irridere, infringere audeant, controversias de iisdem disceptarint, excommunicationis sibi poenam a sacris Canonibus noverint irrogari (1). Clericis vero nostris cujuscumque gradus id omnino interdicimus, nisi vel in Sacra Theologia laurea donati fuerint, vel eam a Nobis potestatem sint assequuti.

XVI. Caveat unusquisque quam diligentissime (2) ne Sacrae Scripturae verba, sententiasque ad jocos, ad assentationem, ad contumeliam, irrisionemque, ac profanos alios sensus, et quod horrendum foret, ad obscoena, superstitionemve ausu nefario traducat. Poenas in eos, qui in hoc peccarint, ex Canonum jure pro modo culpae repetemus (3).

XVII. Quin immo ii omnes libri, qui vel sacrum fidei depositum continent, vel rei divinae obeundae inserviunt, summo in honore habeantur. Quantumvis lacerati, sordidi, et obsoletiores sint, usibus a religione remotis ne unquam addicantur, neve iis vel una eorum pagina sub quovis titulo tradatur, quos eam contemptui habituros suspicari quis possit.

XVIII. Et quoniam, *quod multum dolemus, permulti nunc temporis tenebras diligunt, et cum ubique diei splendor ortus sit, etiam nunc coecitatis suae delectantur obscuro, ex perdita fide solo, ac vacuo nomine remanserunt Christiani* (4) per quos impietas in singulas pene Christianorum Societates invecta est; ita praecipuam in eo Pastores curam collocabunt, ut Fidelibus argumenta aperiant, quibus luculentius evincatur, obsequium Fidei nostrae esse prorsus rationabile, illudque perpetuo inculcent, *omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex Coelorum Domino accepisse* (5), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius extare, et quod firmioribus innitatur principiis.

XIX. Sed quod caput est, *retineamus Sancti Spiritus ignem, ne circa Fidem naufragium faciamus: Fides enim opus habet auxilio Spiritus, ac perseverantia, ut inconcussa permaneat* (6); cumque *Fides sine operibus mortua sit* (7) *glorificemus Deum fide, et operibus* (8): *qui enim*

(1) *Cap. Quicumque 2. de Haeret. in 6. §. inhibemus.*

(2) *Trid. Sess. IV. Decr. de Can. Script.*

(3) *Vid. inf. Cap. V.*

(4) *S. Leo Ep. CXIX. ad Antissiodor. Episcopum.*

(5) *S. Joannes Chrysostomus hom. 1. in Isai.*

(6) *Id. Hom. 1. in verb. Apost.* habentes eumdem Spiritum fidei.

(7) *Jac. II. 26.*

(8) *S. Joannes Chrysostomus hom. 3. in Joan. Num. 4.*

credunt, et secundum veram fidem agunt, vivunt, et mortui non sunt: qui autem vel non credunt, vel sicut Doemones credunt trementes, et male viventes, Filium Dei confitentes, et charitatem non habentes, mortui potius deputandi sunt (1).

CAPUT II.

DE FIDE PROFITENDA.

Cum inciperet Ecclesia enasci, omnes eam assidue invadebant, in principio quidem Reges Populi, ac Tyranni, postea vero insidiae Haereticorum quibus et maximum, et varium, multiplexque bellum undique suscitabatur (2) in quo Fideles constituti fidem, quam in corde integram servabant, ore profiteri adigebantur: *Portae* tamen *inferi praevalere non poterant* (3): *profligati sunt hostes; Ecclesia autem floret* (4). At si, quod Deus avertat, eadem adhuc esset subeunda dimicatio, *excepta fide, omnia tradenda essent, pecunia, corpus, anima ipsa: Fides enim caput est, et radix, illaque servata, etiamsi omnia amiseris, omnia postea abundantius recuperabis* (5). Neque enim liberum foret ipsam dissimulare, ac obtegere (6): nam *quid prodesset credidisse ad justitiam, si os dubitaret proferre, quod corde conceptum est* (7)? Sed quamvis in praesens non adeo frequenter, uti antea, hoc praeceptum urgeat Fideles, tamen confessio Fidei necessaria nunc etiam est ad salutem, quotiescumque *per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximis impendenda* (8). Sunt praeterea, qui ex Ecclesiae instituto, et praecepto professionem fidei statis ex causis edere debent: eamque ut ex Pii IV. formula (9) coram Nobis, vel Vicario Nostro Generali proferant, decernimus.

I. Quicumque in Basilica Cathedrali Archipresbyteratum, aut Canonicatum, vel quibus Parochialis Ecclesia, aut omnino cura animarum tradita est, ii omnes intra duos ad summum Menses a die, quo ipsius possessionem rite adepti sunt, professionem emittant, ac primi quidem non apud nos solum, sed etiam coram Collegio universo, ne secus fructibus

(1) *S. Aug. Tract. XXII. in Joannem.*

(2) *S. Joannes Chrysostomus Expos. in psal. CXVIII.*

(3) *Matth. XVI. 18.*

(4) *Chrysostomus Ibid.*

(5) *Id. Hom. XXXIII. in Matth.*

(6) *Vid propos. XVIII. int. damn. ab Innoc. XI.*

(7) *S. August. Serm. 279. alias 34.*

(8) *S. Thom. 2 2. quaest. 3. Art. 2.*

(9) *In Const.* Injunctum nobis. *LXXXIX. Extat in App. Num. III.*

beneficiorum mulctentur, et jus ex possessione conquisitum amittant. (1)

II. Ex constitutione, et consuetudine Ecclesiae Nostrae (2), atque ex auctoritate Concilii Romani (3), idem volumus intra idem tempus praestari ab omnibus, qui beneficium quodcumque perpetuum assequuntur.

III. Vicarii foranei, Procuratores, Promotores Fisci, Cancellarii, Notarii, ceteri Curiae nostrae Administri tam in Civitate, quam extra eamdem, cum primum sua munera obeunda suscipiant, ac praecipue qui omnibus exemplo praeire debent, Vicarii Nostri Generales (4); novi insuper Concionatores, cujuscumque ordinis sint; tum Sacerdotes, qui primum ad audiendas Confessiones etiam Monialium a nobis adsciscuntur (5); item quicumque tum Clerici, tum Laici ad divinas, humanasque disciplinas tradendas aut publice conducti, aut privatim, nullave etiam pacta mercede sese addicentes, eadem ratione profiteantur (6). Recta enim ratio postulat, ut apud Ecclesiam fides eorum publico etiam jurejurando probetur, quibus ipsa filios suos tradit instituendos. Nemo igitur ludum de scientia qualibet, vel de primis litterarum rudimentis (7) aperire audeat, nisi ipsi a Nobis venia in scriptis facta fuerit, quam certe illis tantum concessuros nos fore edicimus, qui et fidei professionem emiserint, et pietate, prudentia, omniumque virtutum laude commendentur.

IV. Omnes isti hactenus recensiti Fidei professionem ipsi per se, minime per procuratorem emittent (8).

V. Qui hac lege obstricti nondum eidem paruere, id omnino peragant intra duos menses ab hac Synodo edita. Quibus grave esset, civitatem adire ad fidem coram Vicario Nostro Generali rite profitendam, iis tribuemus, si justa causa insit, ut se sistant coram suis Vicariis Foraneis, dummodo testes adsint, hujusque actus testimonium intra mensem Vicarii iidem curent, ut Cancellario Nostro exhibeatur.

(1) *Trid. Sess. XXIV. Cap. XII. de Ref.... Ead. Pii IV. Constit.*

(2) *Syn. Velit. Card. Cybo Tit. I. §. I.*

(3) *Conc. Rom. sub Bened. XIII. Tit. I. Cap. I. Num. 4.*

(4) *Conc. Rom. Ibid. Num. 5.*

(5) *Id. Conc. ibid. Num. 6. et 7.*

(6) *Id. Conc. Ibid. num. 8.... Pius IV. in Const.* In Sacrosancta. *XXXIII.*

(7) *Pius IV. Ibid.... Sac. C. C. in Asculana 1647.*

(8) *S. C. C. in Seguntin. an. 1750. et in Valentina 1610. et alias. Plura de Fidei professione apud Bened. XIV. Inst. IX. ac de Syn. Dioec. Lib. V. Cap. II.*

VI. Hic itaque in libro ad id designato recte, et ordine scribet eorum omnium nomina, qui fidem professi sunt, adnotatis patria, aetate, gradu, tempore, ejusdemque actus caussa (1).

VII. Neque vero arbitrari possumus, quemquam fore, quem pigeat fidem suam ingenue profiteri, et qui id praestet ex solo poenarum timore, quas sacri Canones constituerunt, et quas nos ipsi jure nostro possumus irrogare: quin potius nobis persuasum est, eos omnes, qui ad id adiguntur, prompto, alacrique animo, ac, qua decet, religione id peracturos. *Non enim perfecte credunt, qui, quod credunt, loqui nolunt; ad ipsam enim fidem pertinet credere, quod dictum est: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Angelis Dei: Ideo autem non dicit: Qui me confessus in corde suo, sed coram hominibus, quoniam qui coram hominibus non confitetur, non prodest ei aliquid, quod in corde credit in Christum.... Radix enim confessionis fides est cordis, confessio autem oris fructus est fidei.... Ergo nec valet confessio oris sine fide cordis, nec fides cordis sine confessione oris* (2).

CAPUT III.

DE JUDAEIS.

Judaeorum gens propter hoc Regno suo pulsa est, et dispersa per terras, ut ejus fidei, cujus inimici sunt, ubique testes fieri cogerentur: perdito quippe Templo, Sacrificio, Sacerdotio, ipsoque Regno in paucis veteribus Sacramentis nomen, genusque custodiunt, ne permixti Gentibus sine discretione dispereant, et testimonium veritatis amittant, velut Cain accipiente signum, ut eum nullus occidat, qui fratrem justum invidus, et superbus occidit (3). Et quamvis nulla sit (uti et in posterum nullam esse volumus) in Civitate, et Dioecesibus huic genti stabilis sedes, certumque domicilium; cum tamen in Civitate itineris caussa frequentiores sint, atque nundinarum tempore aliquot quandoque dies ibidem, vel in Dioecesi subsistant, haec duximus de iis sancire, ne quid ex horum hominum consuetudine in Fidelem Populum detrimenti succedat.

I. Caveant tum Clerici, tum Laici quilibet, ne cum Judaeis cibum sumant, vel per noctes dormiant in iisdem cubiculis, vel

(1) *Syn. Velit. sub Cybo Tit. I. §. 3. Nost. Ferr. Praenest. aliaeque plur.*

(2) *Auct. Op. imperfect. in Matth. hom. XXV. int. op. Chrysostomi.*

(3) *D. August. Serm. CCI. de Epiph. 3. Cap. 3.*

ludant, vel choreas ducant, aliave utantur familiaritatis, vitaeque conjunctione. ***Horum enim consortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio*** sine ulla necessitate inita ***est magna pollutio*** (1).

II. Iudaei, qui hospites advenerint in Civitatem, vel in Dioecesim, Vicario Nostro Generali, aut Vicario Foraneo loci, quem petunt, statim se sistant, qui nonnisi justam ob causam, atque in scriptis facultatem facient, ut ibidem decretis conditionibus immorentur, eaque, nisi necessitas aliter postulaverit, ultra triduum non sit, si tempus nundinarum excipias, quo ad decem dies proferri ipsam fas erit. (2) Eo tamen tempore post primam Noctis horam per vias, et compita minime vagentur, sed in hospitio suo ad diluculum usque se contineant: a Monasteriis, ac pupillaribus Gynecaeis, ab hospitalibus aedibus, aliisve piis domibus arceantur: tribus ante Pascham diebus, et in Natali Festo D. N. Jesu Christi, vel in publicum non prodeant, vel alio cogantur secedere.

III. Caupones, caeterosque, apud quos Judaeos necessitatis caussa hospitari contigerit, severe monemus, ne cibos iisdem ministrent ab Ecclesia vetitos, tum ne res, quae ad Religionem nostram, ejusque mysteria pertineant, aspiciendas Judaeis, tractandasque relinquant in cubiculis, quae ad epulandum, multoque magis ad pernoctandum ipsis locant. Sacras proinde imagines, Reliquias, Cruces, Cereos benedictos penitus removeant: secus enim contumeliarum, quibus ista a Judaeis fortassis afficerentur, rei ipsimet quodammodo fierent (3). Vestes praeterea, vasaque sacrorum, aut sacrum quidquam vendere Judaeis, aut pignori dare ne liceat. Item agere cum illis festo die de venditione, aut emptione, vel omnino negotiari, aut contrahere quidquam, nefas sit.

IV. Nemo Judaeorum ritibus, et coeremoniis, quae post abrogatam eorum legem verae superstitiones sunt, quamcumque ob caussam interesse audeat. Inobedientes mulcta juliorum trium in caussas pias eroganda arbitrio Nostro, vel Vicarii Nostri Generalis plectentur.

V. Ceterum cum de Judaeis plura a Summis Pontificibus sancita hactenus fuerint, quibus vel hominum istorum audacia, fraudesque mirifice convelluntur, vel periculum omne, quod ex eorumdem cum Christianis commixtione metuendum est, opportune amovetur, hinc volumus, ut in utraque nostra Dioecesi, ac praesertim in Civitate ea omnia religiose omnino serventur.

(1) *Auct. Serm. VII. inter eos qui Ambros. adscribuntur.*

(2) *Ex Cap. 8.* Ad haec. *de Jud. Litt. Encycl. S. C. S. O. 4. Octobris 1659.*

(3) *Plures Synodi.*

VII. Quamvis autem singulos hortemur, ut ab omni cum Judaeis familiaritate, et consuetudine abstineant, tamen ne quis injurias ipsis, contumelias, convicia imponat, districte mandamus: *Eos enim mansuetudine, et benignitate admonendo, ac suadendo ad unitatem fidei necesse est congregare* (1). Doleat potius unusquisque *carnalis Israelis coecitatem, ob quam non intelligit, quod legit, non videt, quod ostendit, utitur Paginis, quarum non credit eloquiis* (2): et cum eos idcirco reservatos a Deo sciamus, ut et ipsi misericordiam aliquando consequantur (3); Patrem luminum enixe deprecemur, ut patefacta veritatis suae luce, quae Christus est, ablatoque de cordibus eorum velamine a suis illos tenebris eruat, et in sinum misericordiae suscipiat.

CAPUT IV.

DE HAERETICIS, LIBRISQUE PROHIBITIS.

Catholica fides, quam B. Clementem Pontificem, Martyremque Christi invictum tum in hac Civitate, quae tanto hoc Praeside, et Patrono gloriatur, tum finitimis in locis Petri ipsius jussu praedicasse, et vetustissima fert traditio, et non mediocris notae Auctores testantur (4), in hanc usque diem singulari Dei beneficio integra apud Gregem nostrum, atque ab omni Haeretica pravitate immunis perseverat. Verum cum tempora illa periculosa instent, quae Paulus denunciavit, quibus *Diabolus continuo subrepit, volens egregiam Fidei radicem evellere, et zizania properans inserere, germanumque, ac purum semen laedere* (5) haec ad Sacrorum Canonum instituta decernimus, *ne mali homines, et seductores proficiant in pejus errantes, et in errorem mittentes* (6), atque ut *Fideles Nostri permaneant in iis, quae didicerunt, scientes, a quo didicerint* (7).

I. Haereticis quibuscumque ex commercio, negotiatione, familiaritate, aliave causa domos, agros, praedia locare, aut nullo etiam pretio convento concedere, vel favorem ceteris, causam, auxiliumve in id praebere, praefinitis per Canones adversus Haereticorum fautores poenis vetuit plenissime Gregorius XV. (8)

(1) *S. Greg. M. lib. I. Ep. XXXIV. de non perseq. Jud.*

(2) *S. Leo Serm. 3. de Epiph. cap. 3.*

(3) *Ad Rom. XI. 31.*

(4) *Chrysostomus Hom. I. in verb. Ap.* habentes eumdem spiritum fidei.

(5) *Borgia. Hist. Velit. L. 2. § 21. Card. Piazza Gerarch. Card. pag. 22.*

(6) *2. Tim. III. 13.*

(7) *Ibid. v. 14.*

(8) *Greg. XV. Const.* Romani Pontificis *XXXIII.*

II. Si quid tamen cum Haereticis agere aut necessitas, aut charitas efflagitet, a vanis colloquiis, ab importunis interrogationibus, multoque magis a Fidei quaestionibus unusquisque abstineat (nisi ex proprii muneris officio ad hujusmodi concertationes impellatur) ne scilicet ipsi ad pestifera suorum errorum venena evomenda excitentur. Habeatur et cum Haereticis ciborum, dierumque delectus, quem Ecclesia decrevit, neque ipsis a Catholico viro instruatur mensa epulis, quae adversus Canonum vetita sint,

III. Aliquas extare in praesens occultas impiorum hominum sectas a Summis Pontificibus anathemate profligatas norunt omnes, *in quibus cujuscumque religionis, et sectae homines affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto aeque, ac impervio foedere secundum leges, et statuta sibi condita invicem consociantur* (1). *Nihil cum hujusmodi hominibus*, edicimus cum S. Leone, *commune sit cuiquam Christiano, nulla cum talibus habeatur societas, nullumque consortium* (2). Quod si quis nefarios id genus coetus in rei et Christianae, et publicae perniciem sociatos adire, vel in eum numerum nomen dare ausus fuerit, teterrimo se scelere obstrictum intelligat, seque anathemate etiam mulctatum, a quo nisi in mortis periculo versetur, ab ipso Romano Pontifice absolvi unice poterit (3).

IV. Cum vero ex S. Leonis Magni testimonio (4) *magna sit pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui serviunt, Diabolum debellare ... illud obsecrantes monemus, ut si cui vestrum innotuerit, ubi habitent, ubi doceant, quos frequentent, et in quorum societate requiescant, nostrae sollicitudini*, vel supremae Inquisitionis tribunali *fideliter indicetis, quia parum prodest unicuique, quod protegente Spiritu Sancto ab istis ipse non capitur, si cum alios capi intelligit, non movetur. Contra communes hostes pro salute communi una omnibus debet esse vigilantia, ne de alicujus membri vulnere alia possint membra corrumpi, et qui tales non prodendos putant, in judicio Christi inveniantur rei de silentio, etiamsi non contaminentur affectu* (5).

V. Neque de iis solum, qui manifesto Haeretici sunt, et palam a fide perduelles sese praebent, ex Ecclesiae praecepto indi-

(1) *Clem. XII. in Const.* In eminenti *27. Apr. 1738. relat. a Bened. XIV. Const.* Providus *XLVII. Bull. Tom. 3.*

(2) *S. Leo Serm. XXXIV. de Epiph. V.*

(3) *Ex iisdem Constit.*

(4) *S. Leo Serm. IX. cap. IV.*

(5) *Id. Serm. V. de Jej. X. Mens. Vid. Const. Alex. VII.* Licet alias *LXXXXVIII. Const. Pauli V.* Romanus Pontifex *et Edict. S. C. S. O.*

care Fideles intra triginta dies (1) adiguntur, sed de illis etiam; de quorum erga Catholicam fidem voluntate subsit suspicio. Huc spectant, qui Haereticorum, vel hominum impiorum scripta commendant, qui de Indulgentiis, sacris ritibus, atque Ecclesiastica auctoritate obloquuntur, qui divinis rebus per lasciviam, et jocum illudunt, qui sacrorum administros despectui, atque irrisui habent, qui festis diebus interesse sacris, vel praecepto de Paschali communione parere contemnunt, qui divinationibus dant operam, ac demum qui sciens prudens per annum in excommunicatione insorduerit.

VI. *Quorum vita perpetuo corrupta est, cum fieri fere non possit, ut in fide non vacillent* (2) de ipsorum idcirco sententiis, congressionibus, colloquiis solerter scrutentur, ac quaerant Parochi, quos ea cum primis cura attingat, opus est, ac si quos animo esse noverint aberranti, alienove a Catholicae pietatis fide, eos deferant illico: quod si de vitio in moribus dumtaxat constiterit, curent, quantum adjuvante Domino poterunt, perditas eas oves conquirere, ac in sinum reducere.

VII. Hoc autem denunciandi onere nemo prorsus liberum sese existimet, nullo ordinis, conditionis, instituti habito discrimine, non qui crimen probare nequeat, non qui rem plane secreto acceperit, non qui jocose, et simulate errorem prolatum ducat, non demum qui se numquam reos delaturum juraverit. Confessarii moneant de eo poenitentes, quos absolutionis beneficio prohibeant, atque excommunicationis noxam contrahere edicant, si ultra mensem suo muneri defuerint. Quae ut notiora sint omnibus, edictum Sancti Officii (3) per Parochos publicari quotannis praestitutis diebus, omnique diligentia enucleari mandamus.

VIII. Tristi sane experientia docemur, nihil ad errores disseminandos, ipsamque fidem e Christianorum animis penitus evellendam magis, quam impios libros, valere. Et quamvis in Dioecesibus nostris fere omnino desint Typographi, et Bibliopolae, utinam tamen gratulari possemus ad veritatem, nondum intra earum fines teterrimam eam pestem pervasisse! Tantam itaque fidei cladem, tantam sanctioris disciplinae vastitatem, imo et miserrimam Regnorum labem, nostrarum est partium propulsare, communique voto manus in communes hostes conserendae. Id tamen Parochi cum-

(1) *Ex cit. Constit.*

(2) *S. Jo. Chrysostomus hom. 1. in Verba Apostoli: habentes eumdem Spiritum fidei.*

(3) *App. Num. IV.*

primis, et sacrorum Antistites, reique publicae Curatores, collatis impense studiis, pro eo, quo quisque in Religionem incendi debet, amore, ac zelo, assidue connitentur. Lapides offensionis e medio Populi submovendi: petra scandali confringenda.

IX. Haud latet, veniam nonnullis ab Apostolica Sede quandoque impertiri ad libros, qui prohibitis accensentur, legendos: ast id animo perpendant, qui eadem sese donatos jactant, nimirum *soli illi concedi Haereticorum libros legere, qui adeo solidatus est in Fide Catholica, ut verborum dulcedine, vel astutia nequeat ab ea segregari* (1). Quare Pontificii rescripti verba cumprimis attendant, ne privilegii fines, et modum vel temere transire ipsos contingat: tum illud pro certo habeant, eos ne facultatem quidem insontes efficere, si lectio in perniciem legentis evadat: ea vero omnino abuti, quotquot legunt id genus libros coram auditoribus privilegii expertes, qui perinde ac si ipsi legerent, sese crimine alligant, quod legentes sine permissu proscriptos libros patrassent. Caveant, ne singulari quodam, et impensiori studio, ac quod offensioni ceteris sit, vel corruptae fidei suspicionem paret, eos palam, ac crebrius commendent. Justam autem postulationis, probatam, ac veram caussam portendant, ne vitium quodpiam in privilegium obrepat. Cum denique *non necesse habeamus* juxta S Hieronymi effatum *in luto aurum quaerere* (2), qui libros hujusmodi evolvendos suscipiunt, ab improbanda curiositate abstineant, eaque prudentia illos adeant, circumspectione, animoque ad veritatem ita comparato, ut nihil exinde a recto alienum, nihil indecorum, nihil pravum sese hausisse perdoleant.

X. Pro certo habemus, Praeceptores quoslibet pro sua pietate, ac religione, malos libros nemini ex scholae alumnis aut legendos tradere, aut explicandos proponere, imo eosdem ab ipsorum usu, et manibus sollicite erepturos, si quos forte ab iisdem haberi, aut lectitari deprehenderint. Poenas graviores sumemus ab iis, quos in re hac summi negotii desides, vel indulgentiores nanciscamur. Iis insuper jubemus, quando utile judicaverint ex hisce Scriptoribus decerpere, quae suis Auditoribus tradant, eam semper notationem addant, quae in adolescentulorum animis horrorem magis excitet, quam procacem legendi cupiditatem: eos etiam moneant, quam saepe factum sit, ut quidam solius ingenii viribus freti ab ea, quam inquirere videbantur, veritate longe aberrantes, in turpissimos errores inciderint.

(1) *Auctor lib. in Prov. Cap. 6. adscript. S. Hieron.*

(2) *S. Hieron. Ep. ad Furiam de serv. vid.*

XI. Meminerint ergo omnes, legi, haberique haud posse libros quoslibet ab Apostolica Sede proscriptos, quibus Religio, morum integritas, et suprema Principis auctoritas laeditur: eos proinde vel Nobis, vel Sacrae Inquisitioni tradendos esse: Librariis vero, et alteri cuilibet interdictum esse, illos vel etiam privatim, atque ex occulto venum exponere, ceterisque legendos praebere, vel in Dioecesim inferre. Gravioribus quippe irrogatis poenis cautum de his est per Pontificum constitutiones, et ex memorato Inquisitionis edicto.

XII. Haec moneant animarum Curatores, ceterique ad confessiones audiendas adsciti, ac divini eloquii Praecones: nec vocem contineant, cum singularis ferus, et vulpes parvulae demoliuntur vineam, cujus est ipsis procuratio demandata. Pericula denuncient, in quae se committunt, qui libros id genus lectitare in deliciis habent. Censuras commemorent, quibus ipsi exinde obnoxii sunt: de onere referant iis imposito, qui alterum noverint absque Sanctae Sedis permissu vetitos libros legere, vel retinere: id demum diserte tradant, non omnes pravos libros Romano Indice nominatim percenseri, quorum tamen lectio jure ipso naturali, ac divino improbatur, quae nimirum sensim in errorem rapiat, vel foveat hominum sensus, animosque appetitu voluptatis deliniat, ac mentem omnino de suo statu deturbet. Hinc ob oculos habendae sunt Regulae Indicis, quae Tridentini Concilii decreto, atque ex Summorum Pontificum auctoritate sunt editae, quibus universa hujusce rei ratio mirifice est praestituta: eas proinde compendiaria methodo proponimus in Appendice, ut facilius ab omnibus dignoscantur (1).

XIII. Interim ut in hac parte officii nostri cautioribus etiam utamur consiliis, ex decimae Regulae Indicis praescriptione edicimus, nemini liberum fore libros venumdare, vel ad ceterorum manus circumferre, atque in Dioecesim comportare, nisi ab iis, quos ad id muneris adsciverimus, inspecti antea, ac probati fuerint, aut nisi certo constet, ipsos ex iis esse, de quibus nulla dubitatio, aut suspicio sit, quin permitti, legique ab omnibus possint. Opuscula vero, commentarios, disputationes, et alia quaelibet scripta in vulgus edi, ac typis tradi, severissimis poenis vetamus, nisi prostet de eorum assensu testimonium, quos rei librariae moderandae praeposuimus.

XIV. Hic vero vaferrimum hominum nequam inventum patefactum volumus, quo sacratissimi Bibliorum libri novis, ac praeter Ecclesiae instituta editis interpretationibus, iisque callide in pra-

(1) *Append. Num. V.*

vos sensus contortis, vernacula lingua pervulgantur. *Experimento enim manifestum esse*, per Regulas Indicis admonemur, *e Sacris Scripturis, quae vulgari lingua eduntur, plus detrimenti, quam utilitatis oriri ob hominum temeritatem* (1). Hinc Romana Ecclesia solam Vulgatam editionem ex notissimo Tridentini Concilii decreto suscipiens, aliarum linguarum versiones respuit, nisi adnotationes accesserint ex Sanctis Patribus desumptae, ne scilicet divinus Scripturarum thesaurus pateat novitatum corruptelis, neque ex vernaculi sermonis varietate ea discindatur immutabilitas, quae divina decet testimonia, deterrimique errores sanctiori coelestis eloquii apparatu obvoluti facilius obtrudantur in Populis. Hinc quae de sacris Libris, eorumque lectione, ac vernaculis interpretationibus tum a Tridentino Concilio, tum a Romanis Pontificibus, ac praesertim a Clemente XI. in Quesnellianis commentis proscribendis, tum demum a Sacra Indicis Congregatione decreta sunt, servanda omnino jubemus, et Parochis, cunctisque animarum ductoribus, et iis omnibus, quibus in ceteros auctoritas est, ut ex eorum praescripto in id advigilent, districte praecipimus (2).

XV. Haec ad fidem tuendam, atque ad ea removenda, quae ipsius incolumitati adversantur, decernere visum est. In illam certe ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam conferamus, vel ex eo divini vultus lumine adigimur, quod signatum super nos conclamabat David. Ceterum id cum primis constitutum cuilibet sit, si collacrymandam Religionis ipsius labem propulsare velimus, ut Haereticos, et quos secundum elementa mundi, non secundum scientiam, quae ex Deo est, sapere noverimus, nedum a familiaritate nostra, sed et aditu, et congressione, et sermone prohibeamus. Cathedrae autem veritatis ex Dei miseratione consociati, quidquid Romani Pontificis in ea adsidentis auctoritatem vel minimum elevet, ac laedat, vel ad sacrorum jura coangustanda, invadenda, labefactanda proferatur, rejiciamus prorsus, seduloque detestemur. Tanto vero, ac ceterorum omnium sanctissimo, maximoque Fidei dono cumulati, *Deum clementissimum, qui vult homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, ex Chrysostomi monito *precemur, atque obsecremus, ut ceteros omnes ab errore, et laqueo Diaboli liberet, et ad lumen scientiae reducat* (3).

(1) *Ex Reg.Ind.* §.*1. n.3. et Reg.4.*

(2) *Conc. Trid sess. 4. .. Dec. S. C. Ind. 13. Jun. 1757... Innocent. III. Ep. 141. Lib. 2. Edit. Balutii ..., Clem. XI. Const.* Unigenitus. *de prop. Quesnell. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85.... Bened. XIV. de Syn. Dioeces. Lib. 6. cap. 10.*

(3) *S. Jo. Chrysost. Hom. 2. de incompr. Dei natura.*

CAPUT V.

DE BLASPHEMIIS, PERJURIO, ET SUPERSTITIONE, AC DE EXORCISMIS.

Horribile scelus blasphemia : clamabat S. Hieronymus (1). Per eam quippe *intenditur lingua quasi arcus in Deum*, ac per impietatis portentum ponunt in Excelsum os suum, qui ex coelesti sua vocatione sancti esse deberent, ac religionum colentes, meritamque Deo immortali gratiam justis semper honoribus,et memori mente persolvere. Hinc et divino, et humano jure poenas ad immane vitium extirpandum, funditusque tollendum, quo leviora censet idem Hieronymus peccata cetera quaelibet (2), constitutas deprehendimus, si et sacras Litteras (3), et Summorum Pontificum constitutiones (4), et Imperatorum placita pervolvamus (5). Haec igitur de blasphemis, quos concitare Deum in iram, atque acerbiora flagella advocare certum est, sint pro nostra Dioecesi decreta.

I. Omnes pro eo, quo erga Deum, ac Coelites Sanctos ferri debent, studio pietatis, admonitionibus, consiliis, precibus, objurgationibus, quibus, ubi rei indignitas postulet, majori identidem utantur vocis contentione, et verborum gravitate acriori, blasphemos, si quos audierint, constanter, ac libere, atque ea, quae secundum Deum est, prudentia compescant. *Si quempiam in bivio, et foro blasphemantem audierint*, inquiebat S. Joannes Chrysostomus (6), *accedant, increpent, et si verbera infligere oporteat, ne recusent... Si enim Regem terrae blasphemantes puniri oportet, multo magis Deum contumelia afficientes.*

II. Id vero praestent cumprimis parentes, domini, mercatores, opifices, doctores, et alii quilibet honorati ad curam ceterorum, impiamque id genus procacitatem ab iis, quibus regendis praesunt, omni sollicitudine amovere satagant, ne et ipsi ex turpi silentio, desidique dissimulatione horrendi criminis communicatione damnentur. Hinc e famulatu, e domo, e ludo ejiciant, quos contumaces noverint, atque ita infeliciter comparatos, ut nolint a prava vi-

(1) *In Jerem. 9. 3.*
(2) *In Isaiam 7.*
(3) *Levit. 24. 16.*
(4) *Leo X. Const.* Supremae. *Julius III. Const.* In multis. *S. Pius V. Const.* Cum primum.
(5) *Authent.* Ut non luxurientur. §. Et quoniam. *Novella 77.*
(6) *S. Jo. Chrysost. Hom. 1. ad Populum Antioch.*

tiositate resilire. Tabernariis nominatim edicimus, ut cum in cauponas veluti in sentinam vitiosa cuncta conrivent, cumque ganeae ibidem, colloquia, ac plena intemperantiae, luxuriaeque convivia blasphemiis ut plurimum constrepent, iisque, veluti suaviori condimento, instruantur, impium exinde, ac detestabile facinus omnino propulsent, aditumque in eas interclusum velint hominibus, qui eo impudentiae, atque impietatis abduci se sinunt. Poenas quippe, quas blasphemi mererentur, ipsis subeundas decernimus, nisi eos, quoad in ipsis est, abire compellant, eosdem deinde ad nos delaturi quamprimum.

III. Qui vero Rei publicae moderandae sunt praepositi, Magistratus, Optimates, Decuriones in id, qua valent, auctoritate, et gratia connitantur, illudque meminerint sibi a Sancto Joanne Chrysostomo denunciatum fuisse, (*) *Ingentem* nimirum *poenam, ac condemnationem sibi reservatam esse, si per suam negligentiam causam praebeant blasphemandi*. Quod ut alacriori animo, promptioresque exequantur, edita in Lateranensi Concilio Constitutione Leo X. indulgentiam decem annorum sancivit pro judicibus id criminis ulciscentibus, et pro iis, qui de illo judicibus indicent, eosque praeterea poenis iisdem obstringi mandavit, quae a blasphemis exigendae erant, si, uti par erat, in eos non animadvertissent (1). Quae praeclara instituta Sanctissimus Pontifex Pius V. luculenter adprobavit, verbisque amplissimis eos monuit, qui in sublimitate sunt, ut praelientur strenue praelia Domini ad ipsius, Sanctorumque ejus nomen, honoremque vindicandum (2).

IV. Hinc Parochis praesertim, et Concionatoribus, ceterisque sermonem habituris ad Populum praecipimus, ut quo crebrius possunt, acerbe in tantam improbitatem invehantur, illamque insectentur vehementissime. Quae idcirco ipsius atrocitas sit, edisserant, quae indignitas, quae poenarum congeries in sacris Litteris in eam decreta, quanta malorum discrimina divinitus exinde irrogata, qua denique legum severitate tum Romani Pontifices, tum summi Imperantes eamdem profligare conati sint.

V. Constitutionem proinde a Pio V. in blasphemos sancitam habeant Parochi ad manus (3), eamque duobus per annum Dominicis diebus recitent Populo una cum edicto, quod ad tantam labem a nostris finibus propulsandam tulimus, ut et de poenis constet, quas e spurcissimo hoc hominum grege omnino repetemus,

(*) *Hom. 7. in Genes.*
(1) *Const.* Supernae §. 33.
(2) *Citat. Constit.* Cum primum.
(3) *Append. num.VI.*

et de ceteris modis, quos juxta Benedicti XIV. constitutionem (1) adversus immane blasphemiae monstrum adhibendos duximus, tum indictis ad persuadendum concionibus, tum praefinitis ad certos festos dies publicis precationibus, tum demum sacris Indulgentiis propositis eorum bono, qui iis ipsis diebus Poenitentiae, et Eucharistiae sacramenta rite susceperint, et pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, ac pro tanto vitio conterendo statas Ecclesias supplicatum adierint (2).

VI. Cum autem idem Pontifex Benedictus XIV. illud etiam atque etiam, ditissimo proposito Indulgentiarum lucro, commendarit, ut in singulis Dioecesium oppidis Sodalitati alicui canonice erectae, et institutae uniantur regulae a S. Carolo Borromaeo sancitae, et praescriptae pro Confraternitate, seu Congregatione *Correctorum blasphemiarum* (3): hoc nos in Dioecesi nostra saluberrimum institutum perstudiose cooptavimus, legesque eodem Edicto proposuimus, queis homines pii in coetus blasphemiis corrigendis coire debeant, Curionibusque, et Ecclesiasticis viris, ceterisque virtute, dignitate, opibus in Populo praestantibus sanctissimum opus inculcamus, ut e sententia feliciter succedat.

VII. Hic vero publico laudis testimonio Fratres Stigmaticianos commendatos volumus, qui in Veliterna Civitate jamdiu in more habuerunt sacco induti, et Christi Passionem ferentes in corpore suo, festis diebus cauponas circumire, fora, tabernas, et loca, quibus feriati cives ad jocos, ad commessationes, ad apricandum frequentiores conveniunt, ut vel solo ipsorum conspectu ab turpi scelere impudentiores etiam abstineant. Hanc porro hominum pientissimorum religionem, hanc praeclaram pro divini Nominis gloria procuranda industriam, quantum in nobis est, commendamus, acrioribusque stimulis excitamus, atque illustria tantae virtutis exempla indigitamus insignioribus per Dioecesim Sodalitatibus, ut charismata haec meliora aemulari adnitantur adsidue.

VIII. Illud praeterea in blasphemos edicimus, ex veteri Prae-

(1) *Append. num. VII. quo traditur epitomen Bullae Bened. XIV.* Ad execrabile 4. *Sept. 1746.*

(3) *Append. num. VIII.*

(2) *Bened. XIV. Const. Ad execrabile 4. Sept. 1746. Sodalitium blasphemiis corrigendis saeculo XVI. exeunte in Cathedrali Veliterna una cum Altari honori Sanctissimi Nominis Jesu extitisse, testantur monumenta in Tabulario Capitulari servata.*

decessorum nostrorum instituto (1) ademptum Confessariis esse Nobisque reservari facultatem absolvendi, qui blasphemiam protulerit, licet a nemine auditam, quae errorem contineat in fide, vel falsum sapiat de Deo, quin tamen errori animus assentiatur. Confessarii vero gravioribus verbis castigent, objurgentque, et durioribus poenitentiis coerceant, quotquot blasphemiae etiam simplicis, ac convicii in Sanctorum nomen reos se fateantur, eosque ab absolutione repellant, quos facilius experiantur in ipsum scelus prolabi, nisi forte ea exhibuerint poenitentiae signa, quibus fidere prudenter Confessores possint.

IX. Qui blasphemiam haereticalem a quolibet proferri audiverit, vel alibi prolatam esse sciverit, non secus ac de Haereticis statutum est (2) rem ad Nos, vel ad Supremae Inquisitionis Tribunal intra dies triginta deferre debet (3). Quare Confessarii suos doceant, quae et nostro, et Sancti Officii edicto, et hac Synodo in Blasphemos decreta sunt.

X. Ceterum ut facilius, tutiusque huic muneri satisfiat, quo universos adstringi volumus de eorum nomine deferendo, qui Deo, Sanctisque maledixerint, eos semper occultos fore edicimus, qui denunciarint, imo liberum iisdem esse, per epistolam ad Nos id praestare, testibus datis, qui blasphemum audivere. Imo *ut sentiant blasphemi punientis zelum* (4) in eo crimine persequendo nedum ex duobus testibus plenam probationem comparari decernimus, sed et ipsum, qui denunciat, si jurisjurandi religionem adjiciat, unius testis locum supplere. Neque constitutas poenas effugere se posse quis speret, quod ex ira, ebrietate, joco, animique levitate se blasphemasse causetur: non enim exinde poenarum imminutionem decernendam esse, tradunt Canonum jura (5). Verum si quis, antequam denuncietur, se ipsum sponte sistat, et de prolata blasphemia incuset, et veniam supplex postularit, juxta memoratorum Pontificum placita salutares dumtaxat poenitentias eum daturum esse, pollicemur.

XI. Illud denique omnes, quotquot nostrae sunt curae concrediti, hortamur, et obsecramus, ut nihil antiquius habeant, nihilque majori studio operentur, quam ut in tantam improbitatem oppugnandam omni, qua possunt, ratione conlaborent. Hinc exemplo, hortationibus, praeceptionibus pueros doceant, ubi primum

(1) Syn. Cybo in tab. Cas. reserv... Vid. infra Par. 2. cap. 6. §. 16.

(2) Vid. sup. cap. IV. Num. IV. V. et VII.

(3) Ex edicto S. C. S. O. quod est in App. Num. V.

(4) S. Cyprian. Ep. 51.

(5) Can. Inebriaverunt. *C. 15. q. 5.*

loquendo sint, Sanctissimum Dei Nomen ea, qua par est, veneratione, ac pietate proferre: assuescant idcirco laudes ipsius piis illis formulis concelebrare, quas in eum finem nostro de blasphemiis edicto addidimus (1). Non enim fiet, ut illud deinceps conviciis, maledictisque incessant, quod adorandum omnino esse, colendumque vel a primis annis agnovere.

XII. Haud a blasphemia dissimile crimen est perjurium, cujus poena divina exitium, humana dedecus. *Falsidicus testis tribus personis est obnoxius*, scribit S. Augustinus (2) *primum Deo, cujus praesentiam contemnit: deinde Judici, quem mentiendo fallit: postremo innocenti, quem falso testimonio laedit. Item uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit, quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat.* Haec moneant Parochi populos, et poenas adversus utrumque crimen gravissimas jure Civili, et Canonico delatas comminentur: id perpendant et Confessarii, qui viros ea perfidiae macula contaminatos arceant ab absolutione, nisi illato damno satisfecerint.

XIII. Hinc *cum odibilis etiam sit Deo, qui sophistice loquitur,* (3) amphibolias, et quas vocant *mentales restrictiones*, quibus arctiori sensu, vel recta cum conditione animo comprehendimus, quae libere jurejurando, ac diserte firmaveramus, rejicimus, damnamus, atque adhiberi prohibemus ad sacrorum Canonum normam, et juxta Apostolicae Sedis doctrinam, quae traditas perperam de iisdem propositiones proscripsit (4). *Quacumque enim arte verborum quis juret*, scribit S. Isidorus Hispalensium Episcopus (5) *Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.*

XIV. Cum itaque jusjurandum sit affirmatio religiosa, qua rem, quasi Deo teste, asserimus, sit illud ex Prophetae monito *in veritate, in justitia, et in judicio* (6): in veritate quidem, ut verum sit, aut saltem verum omnino censeatur a jurante, quidquid jurejurando firmatur: in justitia, ut recta res sit, decora, honesta: in judicio denique, ut nimirum nonnisi ex gravi causa, vel ex charitate, vel ex obedientia emittatur, cum ex Ecclesiastici praecepto moneamur, *ne assuescat jurationi os nostrum* (7). Explicent haec crebro, accurateque Parochi: religionem portendant jurisjurandi, ac metum divini Numinis in testimonio dicendo: eos denuncient fidem

(1) *Append. num. VIII.*
(2) *Cap.* Falsidicus *de Crimine falsi.*
(3) *Eccl. Cap. 38.*
(4) *Can.* Quacumque arte *C. 22. q. 5. Innocent. XI. 2. Martii 1679. in prop. damnat. 25. 26. 27 28....* *Vid. S. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 7.*
(5) *S. Isid Hispal. lib. 2. cap. 31.*
(6) *Jerem. c. 4.*
(7) *Ecclesiastic. 23. 9.*

violare, qui illud violant, nullumque vinculum ad stringendam fidem arctius esse jurejurando, quo rem dicimus, Deo ipso interposito tum judice, tum teste.

XV. Altero in fidem impietatis genere feruntur, qui erga Doemones convertunt, vel superstitione commaculant, quam pietatem, sanctitatem, religionem, pure, et caste uni Deo debemus tribuere. Collugere equidem debemus, tantam rei sacrae perniciem ex nonnullorum inscitia, ceterorumque fraude vaferrima invalescere: et curam proinde nostram, et eorum, quos in Christi vinea excolenda adjutores percensemus, naviter excubare opus est ad eam depellendam, ut nimirum quidquid vel ex dolo, vel ex nequitia, vel ex simplicitate, vel demum ex minus recta pietatis notione percrebuerit ab vera sacrorum ratione absonum, penitus projiciatur, deleaturque. Operam itaque in id compellamus Parochorum, qui edicto nostro de superstitionibus praefinitis diebus recitato (1) instruant Populum de foedissimi sceleris natura, effectibus, ac poenis. Idem urgeant et Confessores, memores, absolutionem ab crimine id generis nobis reservatam esse (2) illudque, si quando absolvendi facultatem a nobis nacti sint, jubeant poenitentes, ut in Foro nostro, vel apud Sacram Inquisitionem deferatur infra mensem eorum nomen, qui superstitiosis actibus dederunt operam, vel auctores in id fuerunt, adjutores, praeceptores, consiliarii (3).

XVI. Noverint autem sese ipso facto excommunicatione damnari, qui pacta, ac fodera cum Doemonibus inire haud formident, nodisque, ligamentis, scriptura, verbis, medicaminibus, ampullis, aliisque hujuscemodi artibus morbos inferre, vel depellere, mentes perturbare, formas immutare, affectus ciere, divinare futura, dignoscere de furtis, etiam sine effectu, conentur. Huc spectant, qui per Astrologiam, Geomantiam, et Hydromantiam, aliasque magicas causas de cujusque ingenio, natura, appetitu, exitu praemonstrare, ac quae sunt e libera hominum voluntate, lege quadam necessitatis praefinire se posse comminiscuntur.

XVII. Hinc praeter spiritualem excommunicationis poenam alias etiam et carceris, et verberum, et triremium, et exilii in eos decernimus, qui ad ceteros decipiendos, atque ad nefaria consilia sustinenda eo impudentiae, ac perversitatis devenerint, ut res sacras adhibeant, aquam

(1) *Append. Num. IX.*

(2) *Vid. infra tab. Casuum reservat. P. 2. C. 6. §. 16.*

(3) *Sixt. V. Const.* Coeli et Terrae ... *Cap.* Illud quod. *Caus. 26. q. 2. traditur, quae sint institutiones hominum superstitiosae, vel non.*

nimirum benedictam, pias Ecclesiae precationes, verba divinae Scripturae, ramulos oleae rite piatos, imagines Coelitum, imo, quod horrentes dicimus, et ipsum Sacramentum augustum. Quam quidem juris severitatem illae etiam pertimescant, quas Sagas dicimus, mulieres maleficae, omni spurcitiae genere sordidatae: item qui dementia magorum portenta jactitantes imponunt populis ad abditos thesauros adinveniendos, atque ad alia peragenda, quae, nonnisi Divinitatis instinctu, contingere possunt.

XVIII. Qua valent igitur Parochi, auctoritate, ac prudentia, in tot, tantaque iniquitatis, et mendaciorum monstra invehantur: futiles, aniles, perridiculas, atque ut plurimum impias superstitiones damnatas edicant; atque eas etiam speciatim insectentur, quas adversus matrimonia, eorumque sanctitatem haud raro invectas noverint certis quibusdam arcanis notis, vel carminibus, vel contortis fasciolis, aliisve linteis stato quodam modo suppositis. Pravissimam denuncient eorum amentiam, qui homines ex turpissimo illo grege consulunt, ausculant, vel ad eos consulendos suasores sunt, ipsisque, eorumque artibus fidem praebent. Scripta, vel libros, quibus superstitiosa insinuantur, explicantur, proponuntur, legi, aut haberi non posse praedicent. (1) Illud demum moneant homines praesertim rudes, opem in adversis, curationem in morbis, subsidia in egestate ab Eo dumtaxat expetenda, qui Pater est misericordiarum, et Deus totius consolationis, ac rectas tantummodo veritatis, et virtutum semitas tenendas esse: atque ex Sacrorum Canonum sententia illud prae ore habeant. *Qui sine Salvatore salutem habere vult, et sine vera sapientia aestimat, prudentem se fieri posse, non sanus, sed aeger, non prudens, sed stultus in aegritudine assidua laborabit, et in caecitate noxius, stultus, ac demens permanebit* (2).

XIX. Nullum vero extat hominum genus aeque superstitiosum, ac conjectores illi circumforanei, qui quaestus causa ariolantes, huc illuc vagantur, et mendaciis, ac furtis victum inhoneste quaeritantes e tenebricoso eorum grege sunt, quos *Cingaros* dicunt. Perditissam hanc, et infimam hominum fecem in Civitate, vel Dioecesi Vicarii nostri in triduum ad summum admittant: arceant vero a finibus dioecesis, vel in vincula conjiciant, si vana suarum superstitionum machinamenta eos tentare compererint (3).

XX. Accidit aliquando etiam inter Catholicos, ut *quidam ob in-*

(1) *Leo X. Const.* Honestis *Greg. XV. Const.* Omnipotentis. *Item Extrav. Joann. XXII.* Super illius.

(2) *Cap.* Qui sine. *q. 2. c. 26.*

(3) *Syn. Velit. Card. Cybo.*

correptibilem iniquitatem, quia sponte non corriguntur, vel ad virtutis experimentum *immundis spiritibus vexandi tradantur, ut arripiendi eos Doemones corporaliter habeant potestatem, terroribusque eorum afflicti humilientur, et salventur* (1). At *Filius Dei, qui in hoc apparuit, ut dissolvat opera Diaboli* (2) potestatem ejiciendi Doemones in Discipulorum persona Ecclesiae suae dedit. Haec ergo Clericis contra communem hostem arma sua praebet *spiritualia, et sic radiantia, ut eorum fulgorem Doemon ille malus ferre nequeat* (3), sacros scilicet exorcismos. Quapropter illi, quibus haec cura ab Ecclesia committitur, sedulo animadvertant, et secum ipsi meditentur, magnam se rem aggredi, ac plane divinam, studeantque ita se comparare, ut nec ipsorum a Deo repudietur officium, neque sui juris aliquid in eorum moribus valeat inimicus vindicare (4). Interea ne quid indecore, aut contra Ecclesiae institutum in hujus muneris functione peragatur, haec sedulo servanda sunt.

XXI. Nullus omnino sive Clericus, sive Sacerdos Saecularis, aut Regularis audeat usquam id officii suscipere (5) nisi facultatem Nos, vel Vicarius Noster Generalis illi in scriptis concesserimus. Viris quippe innocentia vitae, prudentiaque probatissimis tantum negotium imponendum esse, palam est.

XXII. Qui ad id fuerint a Nobis adlecti, explorent primum, quinam sint ejus, qui exorcizandus offertur, mores: quae studia: an vere sit Energumenus: an potius agat vi morbi, vel per simulationem (6). Proderit idcirco prudentis Medici judicium exquirere.

XXIII. Cum vero infestis spiritibus agitari ipsum constiterit, curent, ut saepe, dummodo mentis compos sit, Sacramentis Poenitentiae, atque Eucharistiae animum procuret (7): ferventiora praeterea pietatis opera, illi, quoad fieri poterit, praecipiant, multa nimirum prece exorare Deum, Templa crebrius adire, maxime ubi Sanctorum Reliquiae conditae sunt, jejunare feriis praesertim sextis, Mariam Virginem Doemonum potentem sancte invocare, atque alia id genus plura.

XXIV. Ipse vero Exorcista pridie illius diei, quo suo munere

(1) *S. Isid. Sentent. Lib. III. Cap. V. Num. 34*

(2) *I. Joan. III. 8.*

(3) *S. Joannes Chrysostomus hom. IV. in Genes.*

(4) *Ex Pontif. Rom. in Ordin. Exorcist.*

(5) *Ex Encycl. S.C. S.O. quae exhibetur in Append. Num X.*

(6) *Rit. Rom. Tit. de exorciz. Obser.* §. In primis.

(7) *Rit. ibid.* §. Admoneatur.

perfungi debet, jejunio, et oratione se praeparet (1): animam Sacramentali Confessione expiet: neque exorcismum incipiat, quin eo die, si potuerit, Sacrum fecerit. Graviter autem, pie, religiose, menteque erecta in Deum operetur, atque immota cumprimis fide in Christum Jesum consistat, quod unicum, et acerrimum in eo certamine telum est. *Indubitanter enim credendum est, diabolicas Dominationes ad invocationem divini Nominis stare non posse* (2).

XXV. Si plures ei afferantur Energumeni, non omnes eodem tempore exorcizet, sed unumquemque singillatim, ac seorsim.

XXVI. Caveat, ne praeter illa, quae exorcizandi ratio a Rituali praescripta postulat, ad curiositatem vel suam, vel aliorum explendam quidquam a Doemone exquirat eo etiam consilio, ut de ejus praesentia certior fiat. Christum potius imitetur, *qui dicentes Doemones: Novimus te, qui sis: acriter admodum increpavit, nobis legem praescribens, ne quo pacto Doemoni fidamus, etiamsi aliquid veri dixerit* (3). Hinc nugantem fortassis Doemonem, et scurrilia miscentem reprimat verbo virtutis Dei: audaciam ipsius contemptione frangat: imperet fidenter eidem, uti obnoxio, potestatem sibi traditam divinitus portendens, conculcandi leonem, et draconem.

XXVII. Verum et temporis, et loci habenda est ratio. Exorcismi tempus neque sit ante ortum, neque post occasum solis: locus vero sit amplus, et conspicuus, eritque publica Ecclesia a Nobis designanda, in quam multitudo non admittatur; sed in exorcismo marium adsit unus, aut alter Ecclesiasticus, itemque duo, tresve alii aetate, ac pietate spectabiles viri: in exorcismo autem foeminarum tres, quatuorve partim mares, partim foeminae probatiores, omnes ex Energumenae, quantum fieri potest, necessariis.

XXIX. Ii tandem, qui permittente Deo, *cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla* (4) vel a Doemone vexantur, vel maleficio aliquo adstringuntur, sedulo caveant, ne ad Magos, aut Striges confugiant, ut maleficium novo maleficio dissolvatur: *qui enim talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (5).

(1) *Marc. IX. 28.*
(2) *D. Hieron. in Psal. LXVII.*
(3) *S. Joannes Chrysostomus Conc. 2. de Lazaro.*
(4) *S. Aug. de Civ. Dei Lib. XVIII. Cap. 18.*
(5) *Rom. I. 32.*

CAPUT VI.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Glorificare in Doctrinis Dominum (1) populosque sibi commissos ad Dei cultum, atque ad legis disciplinam, et ad modestiam, magnitudinemque animi erudire, munus praecipuum Parochorum est, ne *conticuisse populum, eo quod non habuerit scientiam* (2) iis a Domino exprobretur, qui speculatores positi sunt, et custodes in Israel. Hinc de tradendis Christianae fidei elementis leges decretae ad sacrorum Canonum instituta, ne vel nunquam, vel parum, vel male insonantibus buccina excubitoribus (3) praevaleat inimicus homo, et miserrima divinarum rerum ignoratione fides tepescat, quae est ex auditu.

I. Parochi igitur omnes tum Saeculares, tum Regulares, cunctique animarum curatores id sibi oneris impositum meminerint, docere oves sibi concreditas nedum fidei rudimenta, sed et quae ad sacrarum rerum cognitionem, et morum disciplinam assequendam conferant (4): illudque ipsi per se sustineant, non per alium, nisi facultas eisdem ex perdita, afflictaque valetudine, vel ex alia gravi causa facta a nobis fuerit.

II. Verum in hanc fidelis populi institutionem Patresfamilias cumprimis collaborent, quorum est imbuere mature filios spiritu timoris Dei, eosque erudire, et curvare a pueritia juxta Ecclesiastici sententiam (5). Curent itaque, ut ii frequentes ad res divinas perdiscendas conveniant; neque eos pigeat iisdem sese comites praebere, ut ex eorum conspectu excitati, majori iidem attentione, cogitatione animi, vigilantia, assiduitate, labore, uno verbo diligentia, quae sibi de fide evolvuntur, percipiant (6). Poenas proinde pertimescant, quas de neglecta hac in parte liberorum cura, et Deo, et hominibus dare cogerentur.

III. Eodem vero, ac parentes, munere fungantur cum pupillis tutores, cum famulis Heri, ceterique adolescentum moderatores, nec non et Patrini, qui ad Baptismum, et ad Confirmationem adhibiti, sponsores pro pueris adfuerunt ad eosdem in Christiana disciplina

(1) *Isaiae* 24. 15.
(2) *Oseae* 4. 6.
(3) *Ezechiel.* 33. 6.
(4) *Trid. Conc. Sess.* 24. *Cap.* 4. *de Reform.... Bened. XIV. Constit.* Etsi minime ... *Idem Instit. Eccles.* 9.
(5) *Ecclesiastici* 1. 25.
(6) *Conc. Rom. Tit.* 1. *Cap.* 4.

continendos, si quando ipsorum parentum diligentia cessasset (1).

IV. Adsint vero ad Christianam doctrinam accipiendam a sexto ad decimum sextum aetatis annum pueri omnes, et puellae. Parochi proinde librum habeant, quo convenientes describant, ac si quos absque justa causa abfuisse deprehenderint, eos primum vehementius objurgent, et gravioribus poenis castigent, si parere neglexerint, mulctatis etiam parentibus, quorum id vitio contingere noverint.

V. Qui ad clericalem statum se convertunt, vel in Seminarium cooptari se postulant, tum etiam qui nuptias parant (2), item qui Patrini officium ad Baptisma, vel ad Confirmationem assumunt (3) quae demum puellae dotalia legata deposcunt (4) doceant de sedulite, industria, cura, docilitate, qua in Christianam Catechesim incubuere. Qui enim tali carere testimonio, ac rudes adeo Religionis inveniantur, ut ne fidei quidem elementa dignoscant, repulsum iri omnino se sciant.

VI. Hinc qui etiam sextum et decimum annum exegere, ac nondum prima christianae disciplinae rudimenta, et quae scire ad salutem animae magnopere pertinet, memoriae mandarunt, in catechesim adeant, neque se sinant in spiritualium rerum ignoratione consenescere. Caritas Parochorum, quae nunquam excidit, et quotidiana illa instantia, qua urgeri se Paulus scribit (5), praesto sit erga illos, et privatim, si eos in propatulo cum adolescentulis lac doctrinae christianae quaeritare suppudeat, illos instruant in multa patientia, et si quem aut memoriae, aut intellectus tenuitate deteriorem repererint, eum sollicito studio condocefaciant, ut quae oportet, addiscat, ac quae didicerit, sentiat, et potenter repetita retineat.

VII. Singulis festis diebus praeter Dominicas Resurrectionis, et Pentecostes, et Festum Nativitatis, ac Corporis Domini Nostri Jesu Christi vespertinas post preces tradatur Catechismus. Parochos, qui ex desidia muneri suo desint, indicent Vicarii foranei, ac Testes Synodales nobis, vel Vicario nostro Generali, ut poenas pro culpae ratione repetamus, suspensionem irrogaturi a divinis nobis reservatam in eos, qui eo devenerint putidae socordiae, inertiaeque, ut ad plures continentes dies festos id officii obire praetermiserint (6). Hoc et de Cappellanis, Coadjutoribus, ceterisque omnibus cautum sit, qui tali sint officio adstricti.

(1) Vid. sup. Cap. I. §. 5. 6.

(2) Ex decreto Congreg. Particularis coram Innocentio XII. 1692. confirmato a Clem. XI. 1713.

(3) Sup. Cap. 1. §. 6.

(4) Ex Edict sub Innocent. XI. 1766. Clem. XI. 1701.... Clem. XII. 1730.

(5) 2. Corinth. II. 28.

(6) S.C.C. Hortana 29. Aug. 1744. ad 5.

VIII. Ad sonitum itaque campanae conveniant omnes in Ecclesiam : duo, vel tres adolescentuli, quos ex Clericorum ordine discuperemus, et gravi aliquo, ac spectato viro consociari, praelata Cruce fines Paroeciae circueant, atque magna voce universos ad Catechismum invitent. Poenas dabunt, qui in eos indecorum aliquid effutire, vel agere auserint.

IX. Ut vero quaelibet offensionis, distractionisve occasio arceatur, dato per campanam signo, tabernae, atque officinae, quas in diebus Festis certa lege patere fas est, illico occludantur; intermittantur ludi quilibet, cantationes, spectacula, tripudia: sileant circulatores: nec quidpiam vendendi causa circumferatur. Hinc apparitores, aliive criminibus coercendis praepositi oppidum lustrent per id temporis, ne quid adversus haec decreta contingat, ac si pueros procaciores joco torpere, vel otio nanciscantur, eos rapiant in carceres, verberibus ibidem, ac jejunio puniendos.

X. Meminerint Clerici, sui officii esse, operam christianae puerorum institutioni navare impensissimam : quos de neglecto hoc munere noverimus reos, illos nunquam a nobis assequuturos fore, quae tempore sint petituri, denunciamus (1). Ceteros vero Sacerdotes hortamur, rogamusque per viscera Domini nostri Jesu Christi, ut et ipsi perpendant, non Parochorum tantum esse, sed Presbyteri cujusque, famelicos saturare pane vitae aeternae. Nos certe quando de beneficiis conferendis res sit, iis maxime rationem habituros fore, atque ubi oporteat, etiam apud Patronos, quibus praesentationis jus sit, pro iis acturos, quos in sancto hoc opere adlaborare constiterit. Operae denique praetium erit, eligi a Parochis viros aetate, ingenio, moribus commendatiores, quos ad pueros imbuendos, deducendosque per vias praeficiant: imo haud absonum arbitramur ex eodem puerorum numero eos adsciscere, qui modestia, ingenioque praefulgeant, ut ceteris erudiendis praeponantur.

XI. Praecipimus autem ex Pontificis Benedicti XIV. sententia, (2) *in Christiana Doctrina tradenda adhiberi libellum de Clementis VIII. mandato a Cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, et approbatum, ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi jussum, ut unus deinceps, idemque modus in docendo, et discendo Christianam Doctrinam ab omnibus teneretur. Nihil enim hac uniformitate optabilius, nihil ad praecavendos, qui in multiplicem Catechismorum varietatem irrepere pos-*

(1) *Ben. XIV. Const.* Etsi minime. §. Verum ... *Cap.* Ut quisque. *De vita, et honestate Clericorum.*

(2) *Const. cit.* §. 17...

sunt, errores conducibilius, atque opportunius. Ut vero ipsa fidei dogmata, morumque disciplinas aperte, ac dilucide commonstrent, neque nuda, atque arida methodo *obtuse* de iis, *deformiter*, *et frigide* (1) breviori, ac par sit, sermone edisserant, longiorem adeant Doctrinae Christianae interpretationem ab eodem Viro Venerabili elaboratam, nec non Romanum Catechismum Tridentinae Synodi jussu exaratum, quo quidquid homini Christiano necessarium est, precise, eleganter, accurateque ad Scripturae Sacrae, Pontificii juris, ac Sanctorum Patrum normam enucleatur.

XIII. Adhibeatur autem cura, ut animo omnes, quos frequentissimos desideramus, intento, ac veritatis cupidissimo sancte, modesteque in eo exercitio, quod ad horam perdurabit, sine tumultu, sine contentione, sine strepitu ullo versentur, ne impudentiae, scurrilitatis, nequitiaeque suae poenas meritas, debitasque persolvere adigantur. Caveant Parochi, ne foeminae uno agmine cum viris, sed separatim edoceantur.

XIV. Qui erudiendam juventutem, ac primam puerorum aetatem informandam suscepere, nedum salutaria iisdem vitae, ac morum praecepta assidue inculcent, verum semel saltem in hebdomada specialem de fidei rudimentis tractationem instituant. (2) Parochi idcirco scholas illas adeant, atque de persoluto hoc officio rationem exposcant. Ipsi vero praeceptores mittant diebus festis pueros ad Catechesim, vel quod satius foret, eosdem illuc perducant, suam Parochis ad eos instruendos operam commodaturi. Haec et a Praepositis locorum piorum expetimus, ne ipsorum alumni turpissima divinarum rerum ignoratione ex eorumdem culpa obsordescant.

XV. Haec vero, et alia plura nostro de Christiana Doctrina edicto, recitando certis diebus coram populo (3) sancita servari diligentissime omnino mandamus, ut ex S. Caroli Borromaei institutis pie, ac sancte hoc in nostra Dioecesi munus officii expleri gratulemur. In eum finem Sodalitatem quoque in civitate hac nostra iisdem legibus, quibus regitur Romana Congregatio in Doctrinam Christianam praeposita, constituendam curavimus, ut juxta Sancti Pii V. sententiam (4) Doctrinae Christianae rite, atque ad praestitutam normam tradendae praesit nedum in urbe, sed in ceteris etiam Dioeceseos oppidis. Eam porro indulgentiis auctam, quas Summi Pontifi-

(1) *S. August. de Doctr. Christ. lib. 4.* §. 7.

(2) *Conc. Lateranen. V. Can. 7.... Bened. XIV. Const. cit.* §. His accedit... *Ex edict. Innocentii XII. 1699.*

(3) *Append. Num. XI.*

(4) *Const.* Ex debito ... *Paulus V. Const. 6. Octobr. 1607... Syn. Velit. Cybo Tit. 4.*

ces decrevere, et a Parochis quotannis promulgari volumus juxta ipsarum syllogen in Appendice descriptum (1), commendamus quam maxime universis, quibus de felici rei tam sanctae progressione, atque incremento curae est.

XVI. Cumvero pro vitae ratione nequeant nonnulli, ac praesertim qui adhibentur in pecuda, pastores ad Christianam institutionem statis horis convenire, in singulis per agros sacellis, quibus a Sacerdote perlitaturo actus virtutum recitari jussimus (2), atque ad sacrum, quod sub auroram eorum commodo, qui ad agrorum labores proficiscuntur, fieri assolet, parvum etiam Catechismum volumus post Evangelium ab eodem sublata voce, atque clare, explicate, distincteque legi, ut eodem praeeunte omnes, qui adsunt, singula referant, ac repetant verba (3). Rursus vero grande, quo adstringerentur, piaculum, et poenas proinde, quas et a Deo, et a Nobis sibi irrogandas extimescere deberent, iis denunciamus, quibus pecuaria, vel agraria res est, si ab Religionis exercitationibus, atque a Christiana institutione temporarii quaestus causa eos arcere haud reformident, quos in suum famulatum conduxere.

XVII. Ceterum probe gnari, deteriora in civitate flagitia, casusque Reipublicae miserrimos ex neglecta adolescentum institutione potissimum promanare, nihil a nobis desiderari studii, nihil curarum, nihil impensae patiemur, ut in sanctissimum opus feliciter peragendum annitamur. Sollemnia proinde quotannis experimenta haberi volumus, quibus pro classium varietate de Doctrina Christiana referatur, premiis propositis in eos, qui scientia, ac pietate praestiterint. Parochorum attamen est, Sacricolarum, et eorum, quos Doctrinae Christianae scholis moderandis praeficiemus, nostris hisce votis, consiliis, conatibusque ea, qua opus est, contentione, auctoritate, sedulitate favere.

CAPUT VII.

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE.

Quos ex christianae fidei elementis, quasi modo genitos infantes, alendos lacte mandat Ecclesia, eos postea solidiori cibo per verbum Dei pascendos, roborandosque iis commendat Sacrorum Praesidibus, quibus sanctissimum ejusdem verbi Dei ministerium commissum est.

(1) *Append. Num. XII.*
(2) *Cap. I.* §. 11. 12.
(3) *Append. Num. XIII. S. Carolus Conc. Med. V. Par. 1. Tit.* Quae ad praedicationem §. Quo facilius. *Ben. XIV. Encycl.* Cum Religiosi. 1754.

Hoc sane persentimus onus impositum nobis, quibus ad Gregis salutem procurandam Episcopale officium tradidit Pastorum Princeps; illudque animo certe percupido vellemus ipsi sustinere. At ex gradu ipso, quem tenemus, praepediti, ne corpore adsimus Gregi, quem tamen assidue in animo insculptum gerimus, operam in id tribuendam conclamamus, omnemque cogitationem, et curam ab iis ponendam, quos adjutores navos, et industrios datos nobis in dominica vinea excolenda gratulamur. Ea equidem est, quam de iis suscepimus, opinio praeclara, ut de ipsorum studio, diligentia, sedulitate nullus nobis sit ambigendi locus: haec tamen sanciendà censuimus, ne quid in re tanti momenti minus rectum, vel a ministerii sanctitate absonum contingat.

I. *Praeter eos*, placet cum S. Leone Magno praenotare, *qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi praedicandi jus audeat vindicare... Quia etsi optandum est, ut omnes Ecclesiae filii, quae recta, et sana sunt, sapiant, non tamen permittendum est, ut quisquam extra Sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi praedicatoris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi Corpore et excellentiora membra suum officium impleant, et inferiora superioribus non resultent* (1).

II. Verum neque ex Clero, nisi mittatur, e suggesto concionem habere ad Populum quemquam decet: *qui enim non missus praedicat, praesumptor est* (2). Nemo itaque (exceptis Parochis intra suarum Parochiarum fines) in hac Civitate, et utraque Dioecesi sive publice in Ecclesiis, sive privatis in Oratoriis, etiamsi Parochi annuerint, fueritque ad id muneris alias approbatus, praedicare aggrediatur, nisi a Nobis, aut a Vicario Nostro Generali specialem facultatem consecutus fuerit (3).

III. Parochi, et qui vicaria ipsis adstant auctoritate, cum in Civitate, tum in utraque Dioecesi diebus saltem Dominicis, et Festis solemnioribus Sacrosanctum J.C. Evangelium praedicent (4): neque se hoc onere solutos censeant, propterea quod sacrae conciones alibi habeantur (5). Sint igitur in tanto officio perstudiosi, et assidui, poenasque sibi irrogatas vereantur, si forte in eo defuerint. Id prae-

(1) *S. Leo Ep. ad Maximum*. §. 6.

(2) *Auctor Comment. in 2. Corinth. cap. 10. inter opera S. Ambrosii*.

(3) *Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. de Reform... Greg. XV. Const.* Inscrutabilia ... *Clem. X. Const.* Superna.

(4) *Conc. Trid. loc. cit. Conc. Rom. Tit. 1. cap. 4... Vid. Lambert. Inst. Eccl. 10. §. 2.*

(5) *Innocent. XIII. Const.* Apostolici Ministerii.

stent per se, aut alterius, qui antea nobis probetur, opera utantur, ubi se rite distineri dignoscant.

IV. Cautum est ex Viennensis Concilii Decreto (1), ut, habente Episcopo concionem, nemini in Civitate eodem tempore affari populum jus sit, imo nec publice divina peragere officia. Id et Regulares vetantur, neque eo quod Ecclesia aliis sit nominibus exempta, id sibi licere quispiam existimet (2). Parochi, et Concionatores ceteri indicent Populo de concione ab Antistite habenda, ut frequentiores conveniant universi.

V. Quadragesimae, et Adventus tempore praedicationi speciatim locus est: statis itaque diebus ne desint, qui evangelizent verbum Dei, omnino adnitemur. Licet vero nobis dumtaxat jus sit adsciscendi, qui id muneris obeant (3), haud tamen abnuimus, Magistratus, Collegia, Sodalitates, praesentandi illos privilegio, si quod habent, libere frui, dummodo praefinito tempore eos nominent, nimirum intra mensem octobris pro Adventu, et duobus ante feriam quartam Cinerum mensibus pro Quadragesima, ac se dumtaxat *nominare* illos, vel *praesentare* patentibus litteris testentur, quolibet amoto vocabulo, quo electionem ostentent (4). Secus quippe alterum nos mittemus, quin ulla de perperam, vel tardius ab iis praesentato ratio habeatur (5). Sumptus tamen ab iisdem, uti par est, praestari, omni rejecta provocatione, aut appellatione praecipimus (6).

VI. Fas erit Parochis Adventus tempore praedicare e suggestu in ipsorum Paroecia, et Concionatoris locum gerere: nequeunt tamen eleemosynam Concionatori debitam suscipere, nisi fortassis ea vel sponte oblata fuerit, vel legato constituta (7).

VII. Ceterum in tractando sermone Dei, quem vivum dicit Apostolus (8), et efficacem, et penetrabiliorem omni gladio ancipiti, curent Parochi, aliive ipsius divini eloquii praecones, ut eo ipsi in primis sint animo affecti, quem esse audientibus volunt: *nisi enim*

(1) *Cap.* Dudum. *de Sepulturis. in Clement.*

(2) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 9. *cap. 17. §. 7. ... S. C. C. Bituntina 17. Febr. 1629... Brundusina 10. Mart. 1645. et alias.*

(3) *Can.* Episcopus. *dist.88... Cap.* Inter cetera. *de officio ordinar.*

(4) *S. C. C. Sutrina. 8. Maji. 1688. ... Urbinaten. 7. Jan. 1699.*

(5) *S. C.C. Narnien. 24. Febr. 1652. ... Trojana 14. Aug. 1700.*

(6) *C.* ad apostolicam. *de Simonia. .. S. C. C. Tyburtina 3. Jul. 1693 ... S. C. Boni Regim. Ripan. 24. Nov. 1611.*

(7) *S. C. Episcop. et Reg. 20. Mart. 1621.*

(8) *ad Hebr. IV. 12.*

ardeat Minister praedicans, scribit Augustinus (1) *non accendet eum, cui praedicat*. Id vero ut assequantur, tales se praebeant innocentia vitae, studio religionis, morum suavitate, omniumque laude virtutum, ut ex Hieronymi monito *et opus sermone, et sermonem compleant operibus* (2). Gravitas, modestia, abstinentia, solitudinis amor populi reverentiam, ac fidem erga eosdem conciliabunt. Hinc vel otio, desidiaque tabescere, vel in joca, comessationes, venationes convenire, aut per fora, per apothecas, per publica hominum otiosorum domicilia vagari, eos pudeat, quorum speciosos pedes ad evangelizandum bona inclamavit Apostolus (3).

VIII. Sint in dicendo graves: actione utantur non tragica, nec scenae: plena ea sit animi, plena spiritus, quae tamen habeat et in voce magnum splendorem, et in motu summam dignitatem, ne si ardentior ea sit, vel immoderata, furere ipsi potius, et bacchari cum Ministerii dedecore censeantur. Legatione vero fungentes pro Christo meminerint, vitandum omnino sibi esse, quidquid aut futilis joci sit, vel minus decorum, aut a muneris, quod sustinent, atque a loci, in quo sunt, majestate absonum, vel proclamatores potius sapiat, ac rabulas indoctos plerumque, aut certe inurbanos. Porro eloquia Domini cum casta sint ex Davidis sententia, (4) et argento assimilentur igne examinato, risus, ac cacchinnos ciere, plausus quaerere in jaciendo, mittendoque ridiculo, sacrisque in Aedibus, quae domus orationis sunt, in Theatrorum morem acclamationes, strepitus, admurmurationesque excitare, aliave id genus factitare, nefas est. Haud tamen exinde quoslibet lepores improbari a nobis quis censeat; scurriles dumtaxat, ac crebriores, vilioresque damnamus, non vero qui urbanitatis oratoriae sint, et eruditionem promant libero dignam, atque non temere, nec adsidue adhibeantur.

IX. Eo itaque utantur genere orationis puro, et candido, quod dilucida, et perspicua faciat omnia, eoque ornato, et splendido, non rudi plane, et incomposito, quod tamen nec inane sit, nec Poetarum cincinnis, pigmentisque, et fuco redoleat Scholarum. Meminerint, nihil inhonestum, nihil puerile, nihil profanum decere de rebus gravissimis dicentem, de fide, de religione, de pietate, de vitae disciplina. Quare pro argumenti, in quo versantur, varietate sermonem instituant; parva submisse, modica tempe-

(1) *S. Aug. Enarrat. in Psal. 103. Serm. 2.*

(2) *S. Hieronym. Lib. 1. Comm. in Matth.*

(3) *ad Rom. 15. 19... Bened. XIV. Inst. Eccl. 27. §. 10. 12.*

(4) *Psal. 11. 7.*

rate, magna granditer dicant. Id enim curandum quam maxime est, ut in iis, quae ad fidei dogmata, et peculiaria hominum officia tradenda pertineant, eadem tranquille, leniter, partite, definite, distincte, familiari ferme sermone, ac certa quadam rerum, quasi gerantur, sub aspectum subjectione, proponant. Foeda, et quae honeste nominari non possunt, ubi necessitas postulat, nonnisi pure, et caste, solertique verborum circuitione, et anfractu, disserenda sunt. Quae vero corrigendis moribus, flagitiis exprobrandis, aeternisque suppliciis exponendis parantur, vehementiori urgeant, acriorique oratione: hic insurgant, huc nervos orationis omnes intendant: nec e suggestu fulgurare, tonare, permiscere multitudinem, ipsos pigeat ex eo divinae gloriae zelo, quo cunctos comedi opus est (1). Communia praesertim, et quae percrebuerunt in Populo, vitia exagitanda, convellenda, extirpanda sibi proponant, collatis in eum finem cum Parochis consiliis: prudenti tamen industria caveant, ne clarius, ac par sit, de iis obloquantur, aut in eum modum, ut nominatim aliquem ignominia notare, vel designare dici possint. In invidiam quippe raperetur Ministerium, ac verendum foret, ne qua suspicio gratiae esset in dicendo, ne qua simultatis, unde optatus ex praedicatione fructus plane interciperetur. (2)

X. Quaestiones obscuriores, et quae difficiles explicatus habeant, item spinosas, et subtiles scholarum disputationes, argumenta quoque de iis, quae non oportet sapere, ommittant tractare, utpote quae nullam Populo fideli utilitatem gignere, certum est. Id quippe sibi praestandum esse sciant, quod Tridentini Patres decrevere, ut scilicet *plebes sibi commissas pro earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eas declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant* (3). Fiet hoc pacto, ut, quemadmodum Augustinus luculenter praemonuit (4) *veritas pareat, ut veritas placeat, ut veritas moveat*.

XI. Viros Principes, Magistratus, Praesides sacrorum, ordinem Ecclesiasticum, Religiosorum familias habeant in honore: carpere illos audenter, ac liberiori increpatione divexare, et procacioris exinde multitudinis benevolentiam captare, putidum impudentissi-

(1) *S. Aug. de Doctr. Christ. L. 4. §. 51.*

(2) *Conc. Lateranen. V. Sess. 11. Const. 1... Conc. 4. Mediolanen. P. 1. T. 1. de Praedicat.*

(3) *Conc. Trid. Sess. 5. cap. 2. de Reformat.*

(4) *S. Aug. de Doctr. Christ. L. 4. §. 61.*

morum hominum vitium foret, quo et teterrima adversus Rem publicam opinionum commenta consererentur, et in Dei verbum odium peracerbum, gravisque offensio concitaretur. Studium imo obediendi, fides, honor, devotio erga eos sedulo inculcanda; dignitas, gradus, ordo ipsorum pensitandi, non mores notandi: ac si quid in ipsis reprehendendum appareat, non aspere, non ferociter, non illiberaliter obloquendum in ipsos est: sed fortiter, et suaviter, quin ulla in eos contemptionis, ac dedecoris labes paretur, de officiis, muneribusque rite, accuratius, sanctiusque obeundis praecepta tradantur (1).

XII. Perpendant vero Concionatores, nonnisi ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo, loquendum sibi esse (2): abstineant ergo a certis quibusdam externis spectaculis, quibus vel fictas personas, vel horribiles suppliciorum machinas, vel subitos malleorum ictus, vel alia id genus proponant ad terrorem injiciendum, quae cum risum potius, quam verum animi dolorem excitent, a loci majestate, et a muneris ipsius dignitate omnino abhorrere nemo est, qui non videat (3). Sanctissimum idcirco Christi e Cruce pendentis simulacrum, vel Beatae Mariae, aliorumve Coelitum Sanctorum imaginem unice exponant, quibus ad justitiam, ad gratiam, ad redemptionem utilius mentes audientium permoventur.

XIII. Portenta, et miracula, ac facinora quaedam praeter communem fidem, nonnisi quae testata sint, et illustria, nullamque habeant dubitationem, enarrare religioni sibi ducant. Nihil enim, qui ex adverso sunt, antiquius habent ex veternoso in veritatem odio, quam ex ostentis nonnullis, atque historiolis, quas rudiores viri jactitare consueverunt, falsitatem sanctiorum quorumlibet dogmatum per summam impietatem arguere. Sincera idcirco perlegant acta Martyrum, et hominum virtute clariorum, et quae maximam praeseferant vim auctoritatis: atque inde exempla depromant opportuna, quibus meliora et impensioris pietatis in Deum, et effusae in ceteros charitatis, omniumque virtutum praeclarissimarum charismata aemulanda auditoribus commendent.

XIV. Verum quid incerta, et minuscula foris quaeritent, cum ex sacris Libris uberrima quaeque, luculentiora, ac tutissima argumenta praesto sint (4), *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*!.. Caveant tamen, ne obtortis interpretationi-

(1) *S. Carolus Conc. Prov. 1. Part. 1. de Praedic.*

(2) *II. Corinth. 2. 17.*

(3) *Acta Mediolanen. Part. 5.* §. Quoniam.

(4) *2. Timoth. 3. 16. 17.*

bus, vel rudiori explicatu perperam iisdem utantur (1). Hinc Scripturae sensus aperte litterales vel nunquam, vel raro, ac summa industria ad mystica detorqueant: nihil ex divinis verbis audeant immutare: ac demum rectiores, et Sanctorum Patrum praesertim usu probatas eorumdem accomodationes proferentes, non, uti libeat, in omnem partem, ac plerumque ad inania, et futilia inflectant testimonia Dei, ut ita caesim petitis undequaque sententiis, et verbis vulgi admirationem aucupentur, sed doctissimorum Interpretum vestigia prosequuti, rebus divinis splendorem quemdam conciliare, verumque pietatis praebere incrementum adnitantur.

XV. Publicas supplicationes indicere, festas pompas praenunciare, sacras indulgentias promulgare, eleemosynas in peculiares causas exquirere vetantur Concionatores, qui potestatem a Nobis, vel a Vicario nostro Generali nacti non sint (2). Collectitiae autem eleemosynae in praefinitum a Nobis modum dependantur; poenas meritas dabunt, qui easdem alteri usui addicere auserint. Quae pro sacratissimis Palaestinae locis custodiendis, contuendisque, nec non pro captivis redimendis decretae sunt eleemosynae, perstudiose commendentur a Concionatoribus, imo et a Parochis quater in annos singulos juxta Summorum Pontificum placita, quae nostro Edicto exhibentur (3).

XVI. Per octo continentes dies ante Hebdomadam Sanctam Concionatores catecheses habeant, quibus de Poenitentiae, atque Eucharistiae Sacramentis, et modo, quo quisque se iisdem expiare debeat, erudiant populum. Officinas, tabernas, loca, quae feriati cives frequentes adeunt, qua hora hae Catecheses conficiuntur, occludi mandamus, poenis mulctaturi, qui non obtemperarint.

XVII. Hora, quae maxime populo opportuna sit, praefiniatur ad conciones. Operari interea temporis ad aras, psalmos publice recitare, aliave in Templis peragere, quibus vel dicenti molestia, vel audientibus evagatio gignatur, audeat nemo. Intermittantur etiam post concionis signum cantiones, ludi, spectacula, vel cetera, quibus homines ab ipsa evocentur. Mercatores, opifices, caupones obtestamur, ut etiam feriatis diebus stata illa hora officinas occludant (4).

(1) *Acosta de Chr. in Script. revel. L. 3. C. 13.*

(2) *S. Carol. Conc. Prov 1. Part. 1. de Praedicat.... S. C. Episcop. et Reg. in Placentina. 20. Julii 1619.* — *in App. Num. XIV.*

(3) *Const. Inter cetera. 31. Jul. 1778... Legatur Edictum exscriptum*

(4) *Quid servandum sit diebus Festis vid. P. 3. C. 1. hujus Syn.. In Act. Eccl. Mediolan. p. 274.* §. Quamobrem *monentur judices, ne eo tempore jus dicant.*

Viros nequam, qui sacris quoque in Aedibus in causa sint, ut fideles a divino eloquio audiendo abstrahantur, eos praesertim, qui cacchinnis, nutibus, adloquiis, et quandoque etiam actibus foedioribus, ceteris offensioni sunt, severe coercendos curabimus. Hinc quoad fieri possit, juxta priscam disciplinam mares a foeminis secerni, locisque omnino sejunctis divisim adstare volumus. (1)

XVIII. Noctu conciones, coetusque haberi prohibemus, nisi facultas a nobis facta sit. Non inde tamen aditum ad Oratoria intercipimus, quae haud ita pridem constituta fuisse gratulamur, ut ad precationes, ad catechesim, ad pietatis opera eodem mares statis diebus sub primam horam noctis conveniant; hortamur quippe in Domino omnes, ut praeclaram sibi traditam ad suos animos divinis rebus procurandos occasionem alacres, frequentesque suscipiant.

XIX. Omnes Ecclesiasticos viros, ac prae ceteris Basilicae Cathedralis, aliisve e Collegiis Canonicos vehementer hortamur, ut ad Dei verbum auscultandum concurrant, sintque exemplo ceteris. A poenis irrogandis, quas ex apostolicis sanctionibus possemus pro jure nostrae potestatis repetere, abstinemus ob egregiam, quam de nostro Clero gerimus, opinionem, facturum illum videlicet etiam supra id, quod edicimus (2). Eos profecto adnotaturos nos fore denunciamus, quos, dum ceteri ad Ecclesias properant salutaria monita suscepturi, otiari in plateis, lusionibus vacare, in tabernis torpere deprehendemus.

XX. Concionatores, tamquam Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei (3) excipiant Parochi animo libenti, nihilque iis a se desiderari sinant studii, nihil officii, atque, ubi commodum sit, hospitio etiam invitent liberali, vel saltem ne divertant, nisi apud homines honestissimos, curent. Ii vero tales sese praebeant erga Parochos, ut commodiorem prae ipsis, comiorem, moderatiorem deprehendant neminem ad omnem rationem humanitatis. In excolenda autem vinea Dominica adjutores se ipsis exhibeant devinctissimos quam qui maxime. Collatis praesertim consiliis de populi ingenio, indole, moribus, tum de vitiis, quae prae ceteris invaluerint, monendi erunt a Parochis, ut inde quae maxime flagitia insectanda, quae virtutes proponendae majori conatu, omnique contentione, dignoscant.

(1) *Amalar. Lib. 3. de Eccl. offic. Cap. 2.. Bened. XIV. de Syn. Lib. 11. Cap. 1. §. 8.... S. C. Ep. et Reg. Fanen. 22. Maji 1609. et in Ariminen. 2. Mar. 1659.*

(2) *S.C.C. Verulan.Visit. SS. Limin. 21. Jan. 1719. ad 3... Late Card. Petra Tom. 3. Comm. in Const. 2. Nicolai III. §. 18.*

(3) *1. Cor. 14. 1... Ben. XIV. Inst. 27.*

XXI. Concio ad Moniales habeatur in Ecclesia, in quam si Confessarium excipias, aditus pateat nemini (1). Meminerint Religiosi viri ad id muneris adlecti, sese prohiberi ab privato adloquio cum Monialibus ante, vel post concionem, neque delatum concionandi officium eos a lege eximere, qua id vetantur (2). Imparatus aggrediatur nemo ad dicendum, ne quid temere proferat minus grave, aut minus decorum; quin imo adnitendum diligentissime est, ut cuncta sint ad ipsarum instituta, mores, intelligentiamque accomodata, et quae annunciari deceat choris Virginum, quas esse novimus, quasi columbas, quae lacte sunt lotae. *Non una, eademque cunctis exhortatio convenit*, monet S. Gregorius, *quia nec cunctos par morum qualitas astringit: saepe enim aliis officiunt, quae aliis prosunt* (3) *et quum eadem omnibus debeatur charitas, non eadem est omnibus adhibenda medicina* (4).

XXII. Tandem, quemadmodum Apostolos legimus consuevisse convenire ad Jesum, et renunciare ei omnia, quae egerant, et docuerant (5): ita et quos mittimus Praecones Verbi Dei ad Gregem nostrum, ut eo munere perfuncti ad nos revertantur, et optamus, et petimus. Exinde enim consolationes eorum de procurata ovium salute laetificaturas fore animam nostram, haud diffitemur, et communis propterea gratulatio, ac laetitia incredibilis, uti adepta concupitum ex ipsorum missione fructum, efferetur insimul, ac gestiet vehementissime. Neque parum conferet ad rectam Dioeceseos gubernationem cognoscere ex ipsis, quaenam ad vitia extirpanda, ac funditus tollenda, nec non ad uberiorem virtutum segetem promovendam aptiora possimus comparare remedia. Ceterum quibus commodum non est nostris hisce votis favere, per litteras omnino de re gesta universa ad nos perscribant.

XXIII. Quae omnia ut succedant feliciter, quoddam de Concionatorum institutis, et officio Commentariolum exscribendum curavimus, quod singulis in illud officium designatis proponi volumus, ut quae de ipsorum ratione mens nostra sit, opportune dignoscant (6). Ceterum e fontibus Salvatoris hauriendas meminerint aquas sapientiae salutaris; adlaborabunt, *velut cymbalum tinniens* (7), si viribus

(1) *S. C. C. in Bergomen. 21. Maji: 1678.*
(2) *Eadem S. C. C. in Resolut. cit.*
(3) *S. Greg. Lib. 30. Moral.*
(4) *S. August. de Catechizand. Rud. cap. 16.*
(5) *Marc. 6. 30.*
(6) *Append. Num. XV.*
(7) *1. Corinth. 13. 1.*

confidant eloquentiae suae, nec ut cordibus eloquatur Deus, *in cujus manu sunt et nos, et sermones nostri*, multa prece deposcant. *Pietate magis orationum, quam oratorum facultate, se aliquid posse* fateantur, *ut orando pro se, ac pro illis, quos sunt allocuturi, sint oratores, antequam dictores* (1). Verum ad secundissimos concionum exitus assequendos ii connitantur, opus est, qui ad eas frequentandas conveniunt. Ea proinde mente, et cogitatione comparati accedant, ut, quae audierint, animo revolvant sedulo, et re, atque vita exequantur. Abstineant idcirco, quod sane inhonestum, turpe, atque ingenuo, et moderato homine indignum esset, ab ferendo de Concionatoris facultate judicium; sed ea potius, quae de morum emendatione disputata ab ipso fuerint, meditentur attente, suique exinde, et ceterorum, quoad in ipsis est, satagant Christianam perfectionem operari.

CAPUT VIII.

DE SCRIPTURAE SACRAE LECTIONE.

Quod in Paradiso voluptatis, inquit Irenaeus (2), erat Adae lignum vitae in medio ejusdem positum, hoc nobis in hac miserrima exilii regione constitutis sunt Sacrae Litterae *de illa Civitate, unde peregrinamur, divinitus nobis allatae* (3). *Exinde enim omnem morbum animi habere medicamentum suum*, clamat Augustinus (4): *spirituale quippe alimentum eaedem sunt, quo fortem reddunt animam, et constantiorem, neque permittunt, ut ab affectionibus pravis capiatur, sed levem, et alatam facientes, in Coelum ipsam propemodum transferunt* (5). Verum licet sacrae Litterae sint nobis *lucerna lucens in caliginoso loco, cui benefacimus attendentes, donec dies elucescat* (6), habent eae tamen complura *difficilia intellectu* (7) idque *provisum divinitus*, luculenter monet Augustinus, *ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt* (8). Hinc omnium fere Patrum in Divinis Scripturis explanandis la-

(1) *S. August. de Doctr. Chr. L. 4. §. 15.*

(2) *S. Iren. Lib. adversus Haeres.*

(3) *S. Aug. Enarr. in Psal. XI. Serm. 2.*

(4) *Enarrat. in Psal. XXXVI. Ser. 1.*

(5) *S. Jo. Chrysost. Hom. XXIX. in Pen.*

(6) *II. Petri 1. 19.*

(7) *II. Petri 3. 16.*

(8) *S. Aug. de Doctr. Chr. L. 2. cap. 6.*

bores adsiduos, ac certe perutiles egregiis ipsorum voluminibus admiramur, quibus sanctissimo Scripturarum lacte suos enutriri filios, atque in omnem disciplinam institui congaudet Mater Ecclesia. Hoc itaque prae ceteris quibuslibet saluberrimum exercitationis genus ex temporum injuria jampridem obsolescens tum Lateranensium Tertii, et Quarti Conciliorum Patres (1), tum Tridentini (2), ac demum Romani (3) in usum revocare decreverunt, ut Fideles populi ingentia, quae ex divinis eloquiis redundant, bona luculentissima hauriant affluentius, atque exinde instructi armatura fortium, vaferrimos Haereticorum, ceterorumque a fide, et ab officio perduellium conatus comprimant, audaciam frangant, machinationes proscindant. Horum itaque Conciliorum constitutionibus obsequuti, haec mandamus omnino servari, ut Filioli nostri panem Sacrarum Scripturarum accipiant super substantialem, in cujus fortitudine ambulent feliciter in viis justitiae.

I. Canonicus Theologus Cathedralis Basilicae, vel qui per Dioecesim eo sit munere adstrictus, *quadraginta saltem quotannis lectiones publice in Aede principe habere teneatur per se ipsum* (4), nisi pergravi causa Nobis, vel Vicario nostro Generali probanda distineatur, ne scilicet poenas a Benedicto XIII. iis irrogatas, qui eas praetermiserint, sustinere cogatur (5). Nostrum erit collatis cum eo consiliis librum Sacrae Scripturae praefinire, quem oporteat explicare.

II. Eam vero explicandi rationem ineat, qua non eruditionem dumtaxat urgeat Audientium, quae, nisi beatae vitae disciplinam juvet, eam plerumque praestat scientiam carnis, quae inflat; omittat proinde reconditas, abstrusasque quaestiones, quae cathedram, et scholam saperent, easque proponat commentationes, quibus ad amorem divinarum rerum, et ad sanctae religionis cultum, rectamque morum institutionem inflammare eos possit, quin tamen pro lectione concionem habeat (6).

III. Ceterum animo revolvat, ac perstudiose exequatur Tridentinae Synodi monitum (7), quo *ad coercenda petulantia ingenia* cautum est, *ut nemo suae prudentiae innixus in rebus Fidei, et Morum ad aedificationem Doctrinae Christianae pertinentium Sacram Scri-*

(1) *Lateranen. III. sub Alexandro III. Can. 18... Lateran. IV. sub Innocent. III. Can. II.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 5. cap. 1. de Reform.*

(3) *Con. Rom. Tit. 1. Cap. 6.*

(4) *Con. Rom. Tit. 1. Cap. 2.*

(5) *Const.* Pastoralis officii *Append. ad Conc. Rom. num. 2.*

(6) *Ex Syn. Praenest. Card. Ruffo. Tit. 4. Cap. 1.*

(7) *Conc. Trid. Sess. 4. de edit. et usu Sacrorum Libr.*

pturam ad suos sensus contorqueat contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sanctam interpretari audeat. Meminerit etiam, in enodandis sacris Libris Vulgata dumtaxat editione utendum esse, utpote quam *pro authentica* habendam Tridentini Patres decrevere: eam proinde, vel aliquam ipsius partem *rejicere quovis praetextu nemo audeat, vel praesumat* (1). Liberum autem erit, ubi res postulet, ad *Hebraeum fontem* (2), vel ad alias ab Ecclesia non improbatas versiones accedere, ut magis perspicuam, certioremque interpretationem conficiat (3). Quae demum vernaculo, et vulgari conscriptae sermone utriusque Foederis translationes ex Haereticorum conjuratione prorupere, eas rejiciat, ac de iis Regulas Indicis habeat ob oculos, (4) ac summam stultitiam agnoscat, *quidquid de fonte proficiscitur*, hoc iterum atque iterum *quaerere in rivulis* plerumque lutulentis (5).

IV. Interim quibus diebus lectionem Scripturae habebit, Canonicus Theologus rite a Choro abesse poterit, quin inter notatos a Punctatore referatur (6): nequit tamen officia sibi a Capitulo mandata recusare, nisi forte id negotii sit, quod procul a Civitate geri oporteat (7).

V. Signum, ubi vespertinis precibus initium factum est, ad quartam horae partem sonitu campanae dari mandamus, quo omnes ad verbum Dei audiendum advocentur. Ipse autem Canonicus Theologus de re sanctissima composite, copiose, graviter eloqui satagat, Patrumque cum primis de allato Scripturae loco sententias prudenter disponat, illustret perspicue, nec delectatione aliqua allicere auditores omittat. Beatos inclamet, qui Dei testimonia scrutantur (8), nihilque dulcius, ac suavius esse, quam in audiendis Sacris litteris quiescere (9) quarum ignorationem ignorationem Christi dicebat Hieronymus (10). Nimia vero in divinis eloquiis exquirendis

(1) *Conc. Trid. loc. cit.*

(2) *Cassiodor. de Instit. divin. Script. cap.* 21.

(3) *Salmeron. Prolegom. 13. . . Card. Bellarm. de verbo Dei Lib. 2. C. II.*

(4) *In Ind. Libr. Prohibit. in Reg. 4. Indicis et in addit. ad Reg. 6. et 11. juxta Decretum 13 Jun. 1717. Vid. sup. cap. 4. §. 14.*

(5) *S. Hieron. Comm. in Ep. ad Ephes. 1. 4.*

(6) *Ben. XIV. Inst. 107. §. 55.*

(7) *Syn. Fulginaten. Baptistellii. cap. 9. §. 3.*

(8) *Psal. 118. 1.*

(9) *S. Jo. Chrysost. Hom. 4. de Poen.*

(10) *S. Hieron. in Proem. in Isaiam.*

curiositas praecavenda est, neque in ipsis naturalium pervestigandae scientiarum notiones. Etenim *ad beatam vitam non profutura discentibus* (1) vel Deo volente in Scripturis Sanctis praetermittuntur, vel teste S.Hieronymo *multa dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur* (2), seu juxta D.Thomae doctrinam, prout *sensibiliter apparent* (3). Conferat autem diligentissime utriusque Foederis oracula: cum siquidem *in veteri Testamento occultatio sit Novi, et in Novo sit veteris manifestatio* (4) nihil sane ad Scripturarum intelligentiam utilius occurret, quam vicario id genus subsidio testimonia earumdem interpretari.

VI. Adsint itaque ex ordine quolibet universi, *testamentum Altissimi* (5) accepturi, ut Creatoris verba auscultantes *discant cor Dei in verbis ejus* (6). Id ab Ecclesiasticis praesertim viris expetimus, et a Canonicis, qui exemplo praeire ceteris debent: dignoscent ii sane ex opportunitate, quanti apud nos steterit, eos frequentiores lectioni Scripturae interesse; Clerici autem ab Ordinibus sciant se repulsum iri, si desides hac in re eos noverimus. (7) Atque ut frequentiae huic securius consulamus, quae de statis horis concionum decrevimus (8) de lectione etiam Scripturae sancita fuisse denunciamus; quo enim tempore eadem habebitur, quaslibet omnino tabernas, vinarias praesertim, aliasve officinas occludi volumus, nec reserari, nisi edito signo de peracta lectione.

VII. Id vero Ecclesiasticos monemus cum Chrysostomo, *non solum frequenter divinae Scripturae lectionem, diligenterque auscultare, sed et domi divinos libros in manus sumere, et utilitatem in illis positam magno studio haurire* (9). Habeant itaque omnes Scripturam sacram, quam saepius legendam, imo nunquam de manibus deponendam esse scribit Hieronymus (10), ut inde non solum salutaris doctrinae sapientiam, sed animi institutionem, informationemque ad bene, beateque vivendum nanciscantur. Haec meminerint Timotheo suo, haec Christi domesticis a Sancto Paulo studia potissimum commendari (11) ut et ipsi perfecti sint ad omne opus bonum, et cete-

(1) *S. August. de Genesi ad lit. Lib. 11. cap. 9.*

(2) *S. Hieron. in cap. 28. Jerem.*

(3) *S. Thomas. par: 1. qu: 70: art. 1. ad 3.*

(4) *S. August. de Cathechizand. rud. cap. 4.*

(5) *Eccle. 28. 9.*

(6) *S. Greg. Magn. Epist. L. 4. Ep. 39.*

(7) *S. C. C. in Urbinaten. 1662.... vid. Card. Petra Tom. 4. N. 48. §. 7.*

(8) *Legatur supra cap. 7. §. 7.*

(9) *S. Jo: Chrysot. Hom. 29. in Genesim.*

(10) *S. Hieron. Ep. ad Nepot.*

(11) *2. ad Timot. 3. 15. 16.*

ros possint pro loci, quem tenent, officio in sana doctrina erudire, et eos, qui contradicunt, sapienter arguere. Quod Sacrarum Litterarum studium ut sedulo, atque impensius nostra in Dioecesi peragatur, cautum voluimus in decreto de virorum Ecclesiasticorum congressibus ad statos dies habendis, ut aliquod horae spatium legendis purioribus earumdem interpretationibus addiceretur (1). Nostris itaque hisce votis faveant, qui Magistros agunt in Israel, constitutumque animo habeant, sese ex Scripturae sacrae usu adsiduo animum, mores, vitamque et suam, et ceterorum quotidie magis ad recta instituta fore informaturos.

(1) *Append. P. 4. Num. 7.*

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS.

Natura nostra per lapsum primi hominis sic damnata est, ut quotidie labendo deficiat, et deficiendo veterascat (1). Et cum *nemo peccatis suis aeger, minimeque sanus immortalium sanitatum remedia ministrare possit* (2), Salvator Noster, *qui peccatum non fecit* (3) languorem hunc curaturus advenit. *Medicus iste alligat contritiones nostras, ut possimus pervenire ad plenissimam firmitatem, donec consolidetur, quod fractum est, quod alligatum est. Quae sunt ista alligamenta? Temporalia sunt Sacramenta: alligamenta medicinalia sunt contritionis nostrae: Sacramenta interim temporalia, quibus habemus consolationem* (4). Quae *ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritalem* (5). Res hoc pacto hominis ipsius statui divinitus accomodatur. *Cum* enim *ex duabus naturis homo, idest ex anima subsistat, et corpore; visibile per visibilia, invisibile per invisibile mysterium consecratur* (6). Hinc *foris Sacramenta percipimus, ut intus S. Spiritus gratia repleamur; foris namque homo, intus Deus operatur, et non homo* (7). Quamobrem cum de Fide tenenda, ac custodienda, atque de ejus doctrina perdiscenda hactenus egerimus, de Sacramentis nunc disseramus, necesse est: tractatio sane prae ceteris sancta, et augusta. Ipse vero ad ea, quae pro rei gravitate opportuniora sint, decernenda adsit nobis Deus, *qui cum natura ipsius bonitas sit, voluntas potentia, opus misericordia, suos voluit omnipotentiae, sapientiae, ac bonitatis thesauros in Sacramentis explicare* (8).

(1) *S Greg. M. in I. Reg. cap. V. Lib. IV.*
(2) *S Ambr. de viduis cap. X.*
(3) *I. Pet. II. 22.*
(4) *S. Aug. Enarr. in Ps. CXLVI. num. 8.*
(5) *Id. Serm. 271.*
(6) *S. Ambros. in Luc. lib. II. num. 79.*
(7) *S. Greg. M. Lib. VI. in I. Reg. cap. 3.*
(8) *S. Leo Serm. 2. de Nat.*

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu Sacramentorum visibilium consortio colligentur (1). *Prima Sacramenta, quae observabantur, et celebrabantur ex Lege, praenunciativa erant Christi venturi, quae cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt, et ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere legem, sed adimplere: et alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitia fidei revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei, jugo servitutis ablato, quod duro, et carni dedito populo congruebat* (2). Porro haec sunt sanctissima novae Legis Sacramenta, quae esse voluit Christus Servator sacra pignora divinarum promissionum, ac remedia ad animarum salutem vel tuendam, vel recuperandam, atque Christianae vincula societatis, notasque, et symbola, quibus ejus fidem testatam faceremus, et in Dominicum gregem cooptati dignosceremur (3). Haec vero, quae septem esse auctoritate Sacrorum Librorum, atque ex constanti Ecclesiae traditione definivit Sacrosancta Tridentina Synodus (4) sunt septem illae columnae, quibus aeterna Sapientia domum suam, idest Ecclesiam impositam voluit (5). Haec sunt septem illa Candelabra (6) et septem pariter lampades (7) e quibus divinae gratiae lumen clarissimum fidelibus affulget. Haec septem Stellae, quas Salvator noster in dextera suae pietatis, et misericordiae ad illustrandam Ecclesiam habere perlegitur (8). Per haec renascimur Deo, roboramur in fide, nutrimur ad salutem, saucii sanamur, labentes confirmamur, cives dedicamur, et domestici Dei, et propagamur denique veri Numinis cultores. Ut itaque tam sancta salutis nostrae instrumenta ea, qua decet, pietate, et administrentur, et suscipiantur, haec singulis perpendenda proponimus, atque accurate servanda sancimus.

I. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur*, docuit Eugenius IV. (9)

(1) *S. Aug. Lib. X. contra Faust. cap. 11.*

(2) *Id. Ibid. Lib. XIX. cap. 13.*

(3) *Huc spectat Apostolus inquiens. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ad Rom. 10. 10.*

(4) *Sess. VII. Can. I.*

(5) *Prov. IX. 1.*

(6) *Apoc. I. 12.*

(7) *Ibid. IV. 5.*

(8) *Ibid. I. 16.*

(9) *Conc. Florent. in decr. Union.*

rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia. Horum si quid desit, sacri nihil perstare, ignorat nemo. Hinc quae ex materia sunt, vel forma, mutare, vel detrahere nefas foret, ac si mutatio illa naturam earum, et necessariam qualitatem pertingeret, irritum esset Sacramentum; discant proinde Parochi, quae omnino necessaria sunt, ne de ipsius vi occurrat dubitatio (1).

II. Res, ex quibus materia Sacramentorum constat, sint omnino, quae per Canones decretae sunt. Verba item, quibus forma concluditur ex Ecclesiae praeceptione, eo, quo materia adhibetur, tempore pronuncianda articulatim sunt, distincteque a Ministro, qui *in ipsa administratione actualem attentionem habere studeat, aut saltem virtualem faciendi id, quod facit Ecclesia* (2).

III. Ritus, coeremoniasque, quibus in tota administrandorum Sacramentorum ratione uti debent, probe teneant Parochi, et quibus eadem praebendi munus delatum est. Hinc ex Missali Romano, atque ex Libro Rituali, quem Romana Ecclesia ceterarum omnium princeps, magistra, et Mater edendum curavit, rubricas, ac coeremonias ediscant, easque pro Ministerii majestate servent, custodiantque.

IV. *Cum praecipuum Parochi munus, cujus caussa a reliquo populo separatur, ab Ecclesiaque substentatur, praeter caetera Sacramentorum administratio designetur* (3); summa religio illi sit, hanc per se, quoad ejus fieri poterit, obire (4) nisi justa, quae nobis probetur, de causa impediatur. Quod si Sacerdos eidem curae, atque muneris socius adjunctus sit, non propterea ipsum taedeat, suo Gregi debitam operam praestare, sed omnia nihilominus, quae debet, ac potest, gerat suae procurationis officia. Vicarii Foranei, ac Testes Synodales de ea re indicabunt nobis, ut pro necessitate consulamus (5). Hisce vero Sacramentorum praesidiis praesto sint Parochi in suarum ovium curationem, neque si appellentur, moram faciant, neque ex fastidio, aut ex incuria expetentes rejiciant; cunctos imo publice moneant, ut cum primum oporteat, citissime, ac fidentissime Pastoris operam absque cunctatione deposcant (6): id quippe officii sui cumprimis

(1) *Quae formae mutatio sit substantialis, qualis accidentalis, docet D. Thomas 3. Part. Quaest. 60. Art. 8.*

(2) *Rit. Rom. de Sacram.*

(3) *Sacrament. Ambros. relat. a S. Carolo Part. IV. Act. Eccles. Mediolanen. de Sacram. admin.*

(4) *S. Car. Conc. Prov. IV. Part. 2. de Par. . . . S. C.C. in Sabinen. Jur. Paroch. 10. Mart. 1742. ad Dub. 5. Plur. et praecip. Conc. Rom. Tit. I. cap. 4. Syn.*

(5) *Vid. Append. Part. IV. num. VII.*

(6) *Rit. Rom. de Sacr. Adm. Gen.* §. Quamobrem.

esse, poenasque sese reformidare sibi inferendas, si ipsorum culpa nulla expiatus confessione, nullisque sacramentis procuratus quispiam decederet (1).

V. At Parochi, ceterique Mysteriorum Dei dispensatores vitae sanctitati quam maxime studeant: *Sancta siquidem sancte tractanda sunt* (2). Et quamvis Sacramenta ob ministri indignitatem suo effectu neutiquam careant, *impure tamen, et indigne ea ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt*. (3) Non itaque iisdem operentur, si quid mortiferi criminis admisere, nisi id prius confessione expiarint, vel saltem quando id per tempus non liceat, vel Confessoris facultas desit, eum exinde, quem par est, animi dolorem conceperint, confessionem quamprimum peracturi. Habeatur praeterea ad Ecclesiae leges vestimentorum, et loci delectus; totiusque corporis habitu, ipsoque actionis apparatu dignitatem curent, venerationemque suo muneri adjicere, quod summa sane religione, coerimoniaque conficiendum esse, vel ipsa rei sanctitas evincit.

VI. Cum vero gratis accepta gratis danda esse Christus praecipiat (4), nullumque vitium sit tetrius, quam avaritia praesertim in Praesidibus sacrorum, nihil omnino pro administratis sacramentis exigere, petere, pacisci audeat nemo, poenas daturus pergraves, si eo impietatis devenerit, ut res sanctissimas habere quaestui non vereatur (5). Haud tamen vetamus accipere, quae pietatis studio oblata a Fidelibus iisdem fuerint, cum vel ab ipso Apostolo edoceamur, de Altari vivere debere, qui Altari inserviunt.

VII. Conclamante autem Christo Domino, non esse Sanctum dandum canibus (6) percepturus homo Sacramenta probet se ipsum perquam gravi diligentia, nec ad ea accedat, nisi animo maxime ad pietatem, religionemque composito, eoque corporis ornatu, habitu, incessu, quem tantorum tractatio Mysteriorum efflagitat. Viri proinde baculos deponant: armorum genus nullum inferant: capite demisso, quo sensum animi humilis indicent, progrediantur: acquiescat demum in ipsorum oculis, in ore, in vultu Spiritus Domini. Mulieres vero velato capite, clausoque pectore adeant ad sacra, eoque vestimentorum cultu, quem honestos, et castos animos, et verecundiam non fictam omnino deceat. Hortamur idcirco Curiones, alios-

(1) *Cap.* Quicumque 122. *de Consecr. Dist.* 4.

(2) *Conc. Flor. de Sacram.*

(3) *Rit. Rom. Ibid.* §. Quamobrem

(4) *Matth. X. 8.*

(5) *cap.* Baptizandis *Caus.* 1. *quaest.* 1. *Rit. Rom. Ibid.* §. Illud porro.

(6) *Rit. Rom. Ibid. S. C. C.* 1. *Febr.* 1593.

que Ecclesiasticos viros, atque ex ordinibus ceteris universos, ut qua quisque auctoritate valeat, haec cuncti urgeant communibus studiis, ac certum quoddam muliebris amicti genus jampridem in Dioecesim invectum studiose commendent, quo pudorem, et christianam modestiam, pietatemque ad nostri Edicti praeceptiones praeferri suspicimus (1). Foeminas autem, quae vel ex ipso vestitu sese nudas decoris, nec, quo par est, operimento amictas exhibuerint, aliosve, quos facinorosos, atque a sacris amovendos Ecclesiae jura declarant, repelli mandamus a Sacramentis excipiendis. Parochi, Ecclesiarum Curatores, Sacerdotes Sacramenta administraturi, Aeditui majores in id advigilent ea, qua oportet, prudentia, severitate, religione (2).

VIII. Ceterum haec satis sit praefatos nos fuisse universe de Sacramentis: audiant Parochi Tridentina decreta, quibus de ipsorum doctrina, dignitate, coerimoniis, ritibus erudire populum jubentur, eaque impenso conatu exequi adnitantur.. *Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, praecipit Sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum haec per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis Parochis piè, prudenterque etiam lingua vernacula, si opus sit, et commode fieri poterit, servari studeant* (3).

CAPUT II.

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

Baptismus *lavacrum regenerationis vocatur, quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat, sed ita id praestat, ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat, et format, non ex terra rursum effingens, sed ex alio elemento, aquarum scilicet natura generans* (4). *In isto quippe aquarum elemento sepelimur, ut renovati per Spiritum resurgamus: in aqua enim imago mortis, in Spiritu pignus est vitae, ut per aquam moriatur corpus peccati, quae quasi quodam tumultu corpus includit, et per virtutem spiritus renovemur, a morte peccati renati in Deo* (5). *Quid hac autem re mirabilius*,

(1) Matth. VII. 6.

(2) Vid. Inf. cap. IV. quando agitur de personis a sacris arcendis, tum in edicto de cultu Ecclesiarum. App. P. 5. N. 1.

(3) Trid. Sess. XXIV. cap. VII. de Reform. Vid. Catech. Rom. Part. II. cap. I. §. 32.

(4) S. Joannes Chrysostomus ad Illumin. Catech. Par. I. num. 3.

(5) S. Ambr. Lib. I. de Spir. S. cap. 6.

quam sine labore, sudore, bonisque operibus justitia pariatur? Talis est enim divini doni benignitas, ut sine sudoribus justos efficiat (1). Ad hanc adeo praecellentem Baptismatis dignitatem accedit summa ipsius necessitas: *nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto,* diserte testatus est Christus, *non potest introire in Regnum Dei* (2): *Nullum haec sententia excipit, non infantem, non aliqua praeventum necessitate* (3). Haec itaque de recto Baptismi usu, atque administratione decreta sint, de quo ea nos major sollicitudo urgere debet, quo res ipsa sanctior est, ac magis ad salutem necessaria.

I. Cum a Baptismo juxta S. Cypriani verba *omnis incipiat fidei origo, et ad spem vitae aeternae salutaris ingressio* (4) nihil sane magis in eo administrando curandum est, quam ut ea, quae necessario requiruntur, summa religione, accuratissimaque diligentia adhibeantur. Est porro ipsius materia naturalis aqua sive pluvia ea sit, sive e mari, sive e flumine, sive e puteis hausta, sive calida, sive frigida, sive turbida, dummodo ex artificio in aliam naturam non migraverit, nec liquor sit ex herbis, aliisve e rebus expressus, eductusque, qui certe apta Baptismo materia esse nequiret (5). Aquam hanc benedici vetus Ecclesiae disciplina est, (6), neque sine necessitate liberum est uti aqua communi, vel ea, quae pro lustrationibus benedicitur (7). In pervigiliis Paschae, et Pentecostes quotannis ea benedictio peragenda est, ubi fons Baptismalis habetur, e quo removeatur, projiciaturque in sacrarium, si qua ex priori benedictione aqua supersit (8). Novam infundi posse aquam in Baptisterium, ubi benedicta aqua satis non sit, vel si vehementius frigus ingrueret, calida temperari, ac tepefieri benedictam aquam, ex prisca disciplina cautum est: quod si ea omnino deficiat, vel corrumpatur, cum nefas sit extra memoratos dies sollemni benedictione aquam piare, benedictio a Libro Rituum praescripta instituatur (9).

II. Verba: Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: ea sunt, quae aquam simul in baptizandi praesertim caput

(1) *S. Jo. Chrysostomus loc. cit.*
(2) *Joannis II. 5.*
(3) *S. Ambr. de Abrah. cap. VII.*
(4) *S. Cypr. Ep. 73. ad. Jubajanum.*
(5) *Catechism. Rom. Par. 2. Cap. 2.* §. 7.... *Conc. Trid. Sess. 7. can. 2.*
(6) *S. Basilius de Sp. S. cap. 27... S. Ambros. de Sacram. Lib. 1. cap. 5.*
(7) *Bened. XIV. Const.* Inter omnigenas. §. 20.
(8) *Cap.* Duo tempora. *52. de Consecr. Dist. 4... Rit. Rom. de mat. Bapt.* §. Aqua.
(9) *Martenius. de antiqu. Eccl. rit. Lib. 1. cap. 1. Art. 14.* §. *3.... Rit. Rom. loc. cit.* §. Si vero.

effundentes, quanta opus est, ut vere ipse ablutus dici possit (1) proferre debemus cum constituta voluntate faciendi, quod facit Ecclesia (2). Latino, aut vernaculo sermone eadem pronunciare fas est, dummodo earum vocum vis perstet ad sacramenti efficientiam, nec quidpiam sensui iis verbis praefinito detractum sit; attamen ab Ecclesiae decretis discedere pro lubitu, liberum non est. Idem ipse, qui verba promit, aquam eo ipso effundat, idque caveat quam maxime (3).

III. De Baptismi ministro haec adnotanda censemus. Mortalium quemlibet, licet a Christi fide abhorrentem, qui traditam formam, et materiam adhibeat, idque velit efficere, quod sancta facit Ecclesia, idoneum Baptismi ministrum esse, dogma catholicum est (4). Verum etiamsi de Baptismi vi in eum modum collati nullus foret ambigendi locus, ex Augustini tamen testimonio *si nulla id fiat necessitate, alieni muneris usurpatio foret* (5), et contra Ecclesiae disciplinam peccarent, qui id sibi muneris suo arbitratu sumerent. Parochi enim dumtaxat, vel qui a Parocho facultatem assequantur, quos rituum peritos esse volumus, vel qui ex lege, aut ex consuetudine fontem Baptismalem habeat, peculiari baptizandi jure fruuntur, quando ex gravi causa, solemnibus omissis coeremoniis, properandum baptisma non sit. Cedant vero, ubi intercedat necessitatis ratio, mulier viro, laicus clerico, clericus Sacerdoti (6). Parentes autem abstineant, si alius adsit, ne ex cognatione spirituali a matrimonii usu prohibeantur (7).

IV. *Ne in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, baptizentur infantes*, Concilii Viennensis decreto cautum est, quod per Episcopum castigandos jussit, *qui id praesumerent, vel suam in hoc praesentiam exhibuerint, nisi forte talis necessitas emergat, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo accessus haberi* (8). Haec et pro dioecesi decrevimus (9), nostroque edicto iterum sancivimus, ne ante solis ortum, vel post occasum Baptismus in Ecclesiis, nisi ex neces-

(1) *Catech. Rom. loc. cit.* §. *19.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 7. Can. II....* *Conc. Flor. Instruct. ad Armen.... Vid. Ben. XIV. de Syn. Lib. 7. C. 4.*

(3) *Rit. Rom. loc. cit.... S. Thom. Sum. p.* 3. *qu.* 66. *art.* 5. *ad* 1. *et* 2.

(4) *Cap.* Firmiter. *de Summa Trinit.* ..., *cap.* In necessitate. *de consecr....* *Conc. Flor. in Dec. Un.... Conc. Trid. Sess. 7. can. 4.*

(5) *S. Aug. Contr. Ep. Parmen. Lib. 2. cap. 13.*

(6) *Cat. Rom. loc. cit.* §. *25.*

(7) *Cap.* Ad Limina. 7. *Caus. 50, Qu. 1.... Rit. Rom. de Min. Bapt.* §. Pater.

(8) *Clement. unic. de Bapt.... Rit. Rom. de Baptismo.*

(9) *Syn. Velit. Card. Cybo Tit. 9.* §. *4.*

sitate a Vicario Generali probanda, administretur (1). Item cum a S. Clemente Civitatis, ac Dioeceseos Patrono admoneamur, Baptismum esse quam maxime festinandum (2) ipsum vetamus ultra secundum ab natali diem differri, ac si ex facultate a Vicario Generali in civitate, vel a Parochis in oppidis tributa dilationi locus sit, vas cum aqua penes infantis incunabula praesto esse edicimus, qua possit ipse illico ablui, ubi periculum succedat.

V. Sit in Ecclesia, cui id juris datum est, fons Baptismalis ad portam principem, et si commode fieri potest, a latere Evangelii. Imago ibidem immineat S. Joannis Baptistae Christum baptizantis. Vas, in quo aqua consecrato admixta oleo asservabitur, marmoreum sit, vel ligneum aere, aut stamno obductum, si Aedis census ferendae marmoris impensae non sit: illudque bene elaborata basi elevatum operimento contegatur fornicato sive ex marmore, sive ex ligno, picturis, signis, columellis ornato, cujus ostiolum sera, et clavi a Parocho custodienda firmetur. Vestiatur albo panno interior ipsius pars: conopaeum violaceum pendeat extrinsecus ad fontem ipsum contegendum. Ad eam operimenti partem, quae aptior videatur, locus sit, quo tum vascula oleorum Chrismatis, et Cathecumenorum argentea, aut stamnea, cum inscriptis cujusque olei nominibus, ponantur, tum salinum cum albo, ac probo sale, tum munda linteola, quibus ablutus infans abstergatur, tum coclear ad infundendam aquam satis grande. Aqua in fontem non recidat, sed vel in sacrarium delabatur, vel pelvi excepta in illud projiciatur. Porro locus Baptisterii, quod plerumque erat ex prisca disciplina Aedicula juxta Ecclesiam (3) cancellis obsepiatur: curent vero Aeditui, ne pulvere, situque sordescat; neque immundum aliquod, et a rei sanctissimae dignitate alienum in ea tractanda deprehendatur: id cum primis in Paschate, et Pentecoste peragant, cum sollemnis aquae baptismalis benedictio conficitur. (4)

VI. *Obscaena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum hominum nomina* iis imponi, qui in admirabile lumen Christi perducuntur, vetant Niceni Concilii Patres (5). Id et nos severe prohibemus, et Coelitum dumtaxat nomina assignari praecipimus, ut praesenti eorum auxilio in mortalis vitae curriculo juvemur, quorum nominibus donati feliciter fuimus. Haud tamen improbamus nomina quaedam

(1) *Append. P. 2. N. 1.*

(2) *Ep. 51... Catech. Rom. de Bapt.* §. 24.... *Ben. XIV. Instit.* 98.

(3) *Morten. loc. cit. art.* 2.

(4) *Rit. Rom. de Temp. et loco Bapt.* §. Baptisterium.

(5) *Conc. Nic. can.* 30... *Rit. Rom. hoc tit... Vid. Bened. XIV. Const.* Omnium sollicitudinum. §. 3. 14.

gentilitia adhiberi, dummodo indecora non sint, atque homine Christiano indigna, et iis praeponatur nomen Sancti alicujus, qui in Martyrologio accenseatur (1). Plura, ac par sit, nomina uni viro tribui, vetamus, e quibus confusio paretur: item pluribus ex una familia eadem nomina, quae ex alterius adjectione non distinguantnr.

VII. Adsint, dum datur Baptismus, patrini, hoc est sponsores, quorum est offerre Baptizandos ministris, eosque ex sacro fonte suscipere, respondere pro infantibus presbytero interroganti, curam gerere eorum, quos susceperunt, eosque in re christiana erudire (2). Hinc non per jocum, et vanitatem, nec ad amores minus honestos fovendos, nec ad turpes quaestus aucupandos, id muneris sustinendum est, sed pie, graviterque obeundum, cultuque, et habitu corporis modesto, animoque ad pietatem composito, qualem eos decet, qui publice pro Baptizando profiteantur, sese et fidem, et ipsius praeceptiones fore sanctissime servaturos (3). Haec moneant Parochi Patrinos, et spiritualem cognationem explicent, qua nuptiarum foedera vetantur, junctaque dirimuntur inter patrinum, et Baptizatum, parentesque Baptizati, (4) quorum proinde flagitiosa commercia forent incesta, quorum est nobis absolutio reservata (5).

VIII. Unus vero in Baptismo patrinus adhibendus est, aut ad summum vir unus, unaque mulier (6): neque id munus unicuique committi generatim potest, sed ei, qui sit catholicus, et sana doctrina, bonisque moribus commendatus: maximeque convenit, eumdem saltem puberem, et confirmatum esse. (7) Arceantur idcirco ab eo officio infideles, aut haeretici, tum qui publica excommunicatione obstringuntur, facinorosi, infantes, aut qui eo anno sacramentis procurare animum in Paschate neglexerunt, qui sana mente non sunt, et qui fidei rudimenta ignorant ita, ut ea docere non possint, quem e sacro fonte susceperunt (8). Vetantur praeterea id munus gerere Monachi, quos solitudini addictos esse oportet (9). His adjungimus

(1) *Syn. Volaterr. R. P D. Pandolphini cap. 18. §. 7.*

(2) *De Patrinorum origine legatur Martenius de antiq. Eccl. rit. Lib. 1. cap. 1. art. 16 ... officia ipsorum describit August seu Auct. serm. 168. §. 3. in append. Tom. 5.*

(3) *Syn. Amer. R. P. D. Gratiani cap. 43.*

(4) *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 2. de Ref.... Leg. 6. Cod de Nupt.*

(5) *Vide infr. hac parte cap. 6.*

(6) *S. Leo M. can. 101. de consecr. Dist. 4... Conc. Metense ann. 888. can. 6. apud. Labbaeum.*

(7) *Can. 102. de consecr. dist 4.... Girald. Exposit. Jur. Pont. p. 1. sect. 719.*

(8) *Rit. Rom. de Bapt... Marten. loc. cit. art. 16. §. 14.*

(9) *Can. 103, et 104. Dist. 4. de Consecr.*

viros sacris praeditos ordinibus. Caveant autem Parochi, ne procaciores adolescentes admittant, qui inhonesta exinde consortia auserint protueri (1). Fas est per procuratorem eo munere perfungi: tradantur vero Parocho mandati tabulae in curionali archivo adservandae: moneaturque procurator, nullo se cognationis vinculo alligari.

IX. Admoneant Parochi parentes, aliosque infantibus curandis, nutriendisque addictos, ne ipsos anno minores secum habeant in eodem lecto absque repagalo, quod omne illos opprimendi, suffocandique periculum prorsus removeat (2): divinum denuncient, ac naturale jus in eos conclamare, Ecclesiamque excommunicationis poenam in eos decrevisse, (3) absolutionem demum immanis hujusce facinoris nobis reservatam esse (4).

X. Ceterum haec de Baptismo conferendo consideranda quam maxime sunt. Nimirum si infans ob vitae discrimen domi baptizandus est, sat erit praescriptam ad sacramentum formam, materiamque rite adhiberi ab eo, qui ex adstantibus dignior sit, ubi Parochus desit: res vero illa ipsa die deferatur Parocho, qui de rei gestae ratione accuratissime percunctetur, ut noscat praesertim, quae materia adhibita, quae forma prolata, an haec duo simul conjuncta, an debita voluntate res a ministro confecta. Si enim exinde de ipsius baptismi vi dubitandum censeat, iterum infantem baptismo expiet, praefinita per Canones conditione. At si quid ad sacramenti robur defuisse deprehendat, ipsum absolute baptizet, *ne manifeste pereat, in quo, quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum* (5). Quod si recte omnia peracta adinveniat, si puer adhuc vivat, coeremonias solemnes, ritusque in Ecclesia peragat (6), quibus si adsint Patrini, noverint nullo se cognationis jure alligari, quae nonnisi ex vere collato Baptismo contrahitur. Quod si puer decesserit, res adhuc universa significetur Parocho, ut cuncta in librum referat.

XI. Ceterum Parochorum zelo committimus fideles apprime edocere de recta Baptismi collatione, ne perperam hoc salutis, et fidei Sacramento collato quispiam misere ab haereditate coelorum perenniter arceatur. Obstetrices cum primis de eo instruendae sunt, ut verba, quibus sacramentum perficitur, memoria teneant, eaque meminerint non interrupte, sed continenter esse pronuncianda eo ipso tempore, quo aquam fundent: caput praesertim esse proluendum, significet, vel

(1) *Rit. Rom. loc. cit.*
(2) *Rit. Rom. de Sacr. Bapt.*
(3) *Can.* Consuluisti. *caus.* 2. *Q.* 5. .. *cap.* Quaesitum. *de Poen. et Remiss.*
(4) *Vid. infr. cap.* 6.
(5) *S. Leo Ep.* 167. *al.* 2... *Can.* Si nulla extat. *dist.* 4. *de consecr.*
(5) *Rit. Rom. loc. cit.*

si aliud dumtaxat membrum emissum foret, ablui illud debere, sed si evaserit infans, baptizandum ipsum denuo esse cum conditione. (1) Hortamur vero, ut cum ex vitae periculo ab obstetricibus, vel ab alio Baptismus properetur, duo saltem adsint testes, qui de rei ratione testimonium perhibeant. Docet Benedictus XIV. (2) baptizandum esse sub conditione infantem, *cujus corpusculum etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus saltem per siphunculum tingi queat*: eum vero sub eadem conditione iterum baptizandum, si periculum evadat.

XII. Foeminae autem, nonnisi a Vicario nostro Generali probatae, scriptoque testimonio commendatae in obstetricis officium adsciscantur, eaeque semel in anno coram Parocho experimentum faciant de rite conferendo baptismo. Sint morum integritate spectatae, de qua in annos singulos testentur Parochi. Habitu, cultuque corporis, praesertim cum infantem ad sacrum fontem gestant, nihil a religione, a modestia, a pietate absonum praeseferant. Caveant, ne praeter vitae periculum infantes ipsae baptizent: iis quippe crimini foret absque necessitate ritum Ecclesiae pervertere, aut praeterire (3).

XIII. Infantes expositos qui nanciscatur, eos curet ad Parochum proximiorem illico deferri, qui nisi indubia in iis suscepti baptismi signa deprehenderit, illos debet adhibita conditione baptizare, admonente S. Leone Pontifice, *minime posse in iterationis crimen venire, quod factum esse omnino nescitur* (4). Hinc nec schedula proderit apud puellulum inventa, qua de peracto sacramento fides tradatur, nisi fortassis manum certo agnoscat illius, qui eam scripsit (5). Nomen in scheda propositum servet in baptismate iterum conferendo, ac puerum mulieri tradat enutriendum, donec in Brephotrophium feratur. Cuncta vero significet Vicario Generali, et schedam, aliave signa asservet, et rem universam scripto referat quam diligentissime.

XIV. Statim Baptismo collato in librum ad id comparatum ipsius memoria referatur a Parocho: annus, dies, mensis, quo infans baptizatus, item quo editus in lucem fuit, nomen deinde sacerdotis, qui baptizavit, hinc nomina imposita baptizato, tum nomina, et cognomina parentum, et obstetricis accurata, perspicuaque scriptione absque

(1) *Vide S Aug. contra Julian. Lib. 6. cap. 5. §. 13... S. Thom. in Sum. Par. 3. qu. 68. art. 11. et 12... Rit. Rom. Tit. 7. de baptiz. puer. §. 3.*

(2) *De Syn. dioec. Lib. 7. cap. 5.... Legatur Instructio S. Caroli de iis, quae Parochus curet, cum timetur de partu. Act. Eccl. Med. par. 4. pag 502.*

(3) *Rit. Rom. loc. cit.*

(4) *S. Leo. Ep 166. al. 135. cap 1.*

(5) *Cap* Parvulos ... *Can.* Placuit. *de Consecr. dist. 4.... S. C. C. Urbis. 15. Jan. 1724.... Ben. XIV. Const.* Postremo mense. §. 28.

litura, neque per compendiarias notas, vel per numeros describantur, nec alia manu, caveatque, ne quid abs re alienum adjiciatur (1). Si alius a Parocho baptizavit, baptizans subscribat, et significet de mandato. Adnotetur, si puer, qui ad baptismum perducitur, justo matrimonio, aut secus sit natus: tum si parentes ignoti fuerint; et quo die expositum repererint, et quot natus dies credibile videtur: tum si quae signa, schedasve gestabat, haec quoque perscribantur: item si domi ob periculum imminens, vel alibi ex nostra auctoritate sit baptizatus, vel e conditione rebaptizatus fuerit, et quo demum die ad Ecclesiam delatus sit, distincte, partiteque scripto ibidem tradatur. Hosce libros, quibus familiarum quies, ac pergravia rei publicae negotia innituntur, Parochorum industriae, ac diligentiae commendamus etiam atque etiam. Sint ii codices bene compositi, compactique, atque in Paroeciali tabulario cautissime custodiantur. Nihil suae memoriae fidant Parochi, neque in chartulas rem tradant: sed statim in facto ipso eam notent. Vicariis proinde foraneis edicimus, ut eos quotannis inspiciant, et animadvertant, si qua litura extet, si quae menda, si quae adulterina signa, ut cuncta opportune corrigantur: quos vero desides hoc in munere noverimus, poenis coercemus pro modo culpae.

XV. Mulieres puerperas, Virginis Genetricis exemplo, ad ecclesiam adire, ubi ab recenti partu convaluerint, Deo omnipotenti prolem commendaturas, tum ut a sacerdote benedictionem ex more antiquitus tradito recipiant, hortamur in Domino impensissime. Licet paroecialibus juribus ea benedictio non accenseatur, debent eae tamen a Parocho statis precationibus rite lustrari (2). Nihil vero exinde repetant Parochi praeter candelam sponte oblatam (3) neque demum ad eam se conferant, si puerpera ire ad Ecclesiam ex desidia neglexerit, aut valetudine impedita nequiverit (4).

XVI. Omne demum studium adhibeant Parochi, quo pia, et laudabilis consuetudo parvulis benedicendi prima die, qua in Ecclesiam deferuntur, in usum revocetur (5): illudque simul, cum talis occasio data sit, populo inculcent, maximopere decere, ut omnes, et singuli illum semper habentes solemnem, atque in Domino laetissimum diem, quo salvi facti fuimus *per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti* (6) pro tanto beneficio maximas, quas

(1) *Rit. Rom. Tit. de Bapt.*

(2) *In dec. Urbis et orbis an. 1740. relat. in Append. part. 4. num. 13.*

(3) *Syn. Tusculan. Card. Eboracen. Part. 1. cap. 7. §. 17.*

(4) *Syn. Amer. R. P. D. Cratiani cap. 48.*

(5) *Syn. Velit. Card. Cybo Tit. 9. §. 11.*

(6) *ad Titum 3. 5.*

possimus, Deo gratias agamus. Erit perinde opportunum, nobisque admodum salutare, si die natali nostro eam rursum fidem profitentes, quam in baptismo suscepimus, omnem anteactae vitae rationem diligentius singuli procuremus. Contristabimur forte hac comparatione permulti; sed tristitia nostra vertetur in gaudium, si ad poenitentiam contristemur; si nimirum peccatis a Baptismo admissis sacramentali confessione expiemur, si corpore, et sanguine Domini reficiamur, si quos possimus, pauperes effusa stipe solemur, si denique novum faciamus initium observationis mandatorum, quae cum fide consociata vitam nobis praestat aeternam, cujus caussa Baptisma, quod est fidei Sacramentum, collatum nobis ex Dei miseratione fuisse, laeti eo die recordamur (1).

XVII. Moneri nos volumus, si quis adulta aetate baptismum petat: eos quippe, nisi sponte illud efflagitent, eodem donari non posse edicimus, cum ex S. Gregorii testimonio nemini ad credendum vis inferenda sit (2). Curabimus vero, ut primum in re Christiana satis eruditi sint, eorumque animum diligenti, solertique studio explorabimus, ne ullus fraudi locus sit, tum ut peccatorum poenitentiam concipiant, seduloque destinent in posterum iisdem penitus abstinere (3). Sanctissimas, quae in adultorum baptismo constitutae sunt, precationes, coeremonias, ritusque iisdem explicari mandamus per eos, quibus ipsorum est institutio commissa. Filios autem Infidelium baptismo devoveri vetat Ecclesia, nisi vel mors immineat, vel a parentibus expositi, ac relicti sint, vel saltem alter ex parentibus assentiatur (4). Tutorum consensus, qui locum parentum obtineant, requiritur, ut infantes Hebraeorum baptizentur. Avus paternus, invitis parentibus, puerum Habraeum Baptismo offerre potest; item et avia paterna, quamquam mater, tutoresque dissentiant (5). Ubi vero id contingat, rem ad nos illico deferri praecipimus, ut caussa rite perpensa opportune decernamus.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

Placet de Confirmationis Sacramento decreturos haec cum S.

(1) S Carol. Act. Eccl. Med. Part. 3.

(2) S. Gregorius M. Lib. 1. Ep. 47.. Conc. Toletan. IV. Can. 55.

(3) Card Bona Rerum Lyturgicar. lib. 1. cap. 15. §. 4... Marten. de antiqu. Eccl. rit. lib. 1. cap. 1. art. 6. Gradus idcirco distincti Cathechumenorum vel a priscis Ecclesiae temporibus.

(4) Bened. XIV. Const. 28. Tom. 2. Bull.

(5) Bened. XIV. Const. 54. Tom. 3. Bull.

Melchiade Pontifice praefari (1). *Spiritus Sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit innocentiae, in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam: quamvis enim continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia*. Per eam quippe exhiberi hominibus robur in spirituali, qua misere impetimur, pugna, scribit S. Thomas (2) praesertim *adversus catervas desideriorum malorum in nobis ipsis utique tumultuantium*. Per eam, qui jam Baptismate in militiam Christi adscripti eramus, armamur, munimur, roboramur, nedum ut repugnare possimus vitiis, sed ut fidenter etiam, nec erubescentes Evangelium, in Cruce gloriemur Domini Nostri Jesu Christi, per quem mundum nobis fateamur crucifixum, et nos mundo (3). Hinc praeclare Florentini concilii Patres confirmationis materiam animadvertebant esse *Chrisma ab Episcopo benedictum, quod et oleo constat, quod nitorem significat bonae conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae*: atque idcirco in fronte, *ubi verecundiae sedes est*, confirmatum inungi, Crucisque signo muniri (4). *Ungitur caro*, inquiebat Tertullianus universam hujusce sacramenti rationem innuens (5) *ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur*. De hoc itaque sacramento, quod licet aliud sit a Baptismo, ac vere distinctum, ipsius tamen Baptismi perfectio est, consumatio, et complementum, (6) decreta, quae sequuntur, proponere visum est.

I. Quamvis confirmationis sacramentum ex iis non sit, sine quibus assequi salutem nequeamus, a nemine tamen ex Romani Catechismi testimonio (7) praetermitti fas est, cum imo ab omnibus summo sit studio expetendum, quod universis communiter ad sanctificationem proposuit Deus, atque gravi peccato adstringi dicuntur a Benedicto XIV. *qui cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt* (8). Decet vero illud, nisi forte praesens impendeat periculum mortis, in eam aetatem differre, in qua fideles evacuatis, quae erant parvuli, vim intelligant, et gratiam, quibus per illam cumulamur (9). Hinc neminem volumus ante expletum septimum an-

(1) *Ep. ad Ep. Hispan.*
(2) *S. Thom. Par. 3. q. 72. a. 10.*
(3) *ad Galat. 6. 14.*
(4) *In. decr. union.* §. Secundum
(5) *de Resurr. Carn. C. 7.*
(6) *Conc. Trid. Sess. 7. Can. 1.... Late prae ceteris Drouven. de re sacram. Lib. 3. Q. 1.*
(7) *Catech. Rom. de Conf.* §. 3.
(8) *Const.* Etsi Pastoralis §. *3. . . Idem Inst. 6.* §. *16. . . Cap.* omnes. *de consecr. dist. 5.*
(9) *Ben. XIV. de syn. Lib. 7. cap. 10.* §. *3.*

num ad confirmationem adduci, neque eam ultra decimum prorogari. Parochos, parentes, tutores, et ceteros, quibus adolescentium est cura demandata, ut in id omni studio urgeant, districte monemus (1).

II. Parochi iis praesertim diebus, qui Pentecostes antecedunt, de tanti sacramenti natura, dignitate, coeremoniis edisserant, atque ubi primum de sollemni ipsius administratione edictum feratur, pueros illud suscepturos instruant, ut de sacramenti ipsius sanctitate edocti, et donum concipiant, quo ex Dei miseratione dignantur, et eo, quo par est, sensu pietatis, ac venerationis ad illud accedant (2). Schedas proinde sua manu signatas iis, quos idoneos censuerint, tradant, quas personae a nobis designandae in ipsa functione dari volumus, ut quando ex iis a Cancellario descripta sint nomina confirmatorum, eorumque parentum, et patrinorum, reddantur deinde Parochis, ut et ipsi in librum ad id comparatum ea referant (3). Si quis proinde nostrorum ab alieno Episcopo sit confirmandus, eum Parochus suo muniat testimonio, aliudque ab eo repetat de suscepto Sacramento, ut illud quoque possit adnotare. Archipresbyter Cathedralis Basilicae schedas recipiet, quando ibidem confirmatio administretur.

III. Accedant confirmandi in Ecclesiam animo ad religionem commoto, et sacramentis, si per aetatem liceat, expiato. Pietatem in mente habeant, qua ejusdem Spiritus Paraclyti adventum Apostoli opperiebantur. Deceret proinde quam maxime eos, ac praesertim si adultiori aetate sint, jejunos advenire (4). Parochorum praesertim in haec collaboret zelus; et sane operae pretium foret, per aliquot dies eosdem a vulgi tumultu semotos piis exercitationibus detinere. Adsint praeterea corpore curato, ac mundo, non illotis, ac turpibus manibus, non lutulenti, non vino onusti, ac cibo, non ea licentia, qua in tabernas adducerentur. Habeant singuli candidam vittam in fronte revinciendam, ubi ea sacro Chrismate linita sit. Eam ad quatuor saltem horas, gerant, eamque nonnisi a Presbytero solvi, ac deinde omnino comburi mandamus (5).

IV. Offeruntur confirmandi a Sponsoribus, sive Patrinis, qui dexteram manum super dexterum ipsorum humerum ponant, dum Sacra-

(1) *Concil. Rom. Tit. 26. cap. 4.. Catech. Rom. de Confirm.* §. *3. 4.*

(2) *Append. Num II.*

(3) *Rit. Rom. de Confirm.*

(4) *Olim nonnisi jejunis tribuebatur Confirmatio juxta Juenin. de Sacram. diss. 3. qu. 9. cap. 2.. S. Thom. Par. 3. qu. 72. art. 12.*

(5) *Amalarius per dies plures gestari olim fasciolas consuevisse a confirmatis testatur de divin. offic. Lib. 1. cap. 4.*

mentum perficitur (1). Cavenda de iis edicimus, quae de Baptizatorum patrinis constituta sunt: exinde enim spiritualis affinitas jungitur, quam contrahi cum suscipientibus e baptismo docuimus (2), eademque ratione ad eos monendos, continendosque in Christianae disciplinae institutis adiguntur, ac demum qui suscipere baptizandos vetantur, iidem et in confirmatione hoc munus gerere prohibentur. Vitricus praeterea, ac noverca confirmandi offerre ipsum nequeunt: unus tantum adsit patrinus singulis confirmandis, pro suo cujusque sexu, neque plures eodem die, quam duos sustineat. Confirmatus is jam sit, atque aetate major, nisi fortassis ex peculiari causa aliud a nobis permitti contingat (3): verum de adolescentioribus hisce patrinis ea animadvertant Parochi, quae de baptizatorum Patrinis monuimus (4). Qui rudes sint in Christiana catechesi, nec praecipua ejusdem capita didicerint, rejiciantur ab officio. Habitu et ipsi accedant, quo Christianam modestiam exhibeant, neque saeculi vanitates praeseferant, quibus ob exquisitiorem ornatum, vel minus decorum adversus rei sanctitatem delinquant.

V. Ceterum Parochorum diligentia, ac sollicitudo in iis instruendis tota sit, qui confirmandi erunt, vel ad Patrini officium evocentur, ut in hujusce sacramenti administratione cuncta pie, sancte, ordinateque conficiantur. Optaremus equidem, ut confirmandi in Cathedrali Basilica, antea in suas paroecias convenirent, atque inde a Parochis una cum Patrinis, agmine in religionem composito, eo deducerentur, ubi illos communis Pastor divinis charismatibus augendos amantissime expectat. Hinc et in ceteris Dioeceseos oppidis Parochos obtestamur, ut confirmandos ipsi ad nos perducant, vel saltem Presbytero commendent, a quo in Aedem sacram socientur. Curent vero, ut constituta hora in Ecclesia praesto sint, neque inde secedant, nisi re peracta, ac benedictione recepta (5). Nomina, si quae tributa in Baptismo sint a Christiana professione aliena (6), in confirmatione commutatum iri denunciamus (7) ita tamen ut utraque in librum referantur a Parocho.

VI. Qui non sunt confirmati, nequeunt in patrini officium adsci-sci, neque in Religiosorum familias cooptari, neque ecclesiasticis ordinibus donari, imo nec prima tonsura initiari (8): quod si quis data

(1) *Rit. Rom. de Confirm.* . *Ben. XIV. Inst. Eccl.* 6. §. 16.

(2) *Cap. superior.* §. 7. *Conc. Trid. Sess.* 24. *de Ref. cap.* 2.

(3) *Cap.* Non plures ... *et cap.* In Catechesi. *de Consecr. dist.* 4.

(4) *In cap. superiori*. §. 8.

(5) *Pontificale Rom. de Confirm.*

(6) *Cap. superiori* §. 6.

(7) *Ben. XIV. Inst. Eccl.* 6. §. 15.

(8) *Conc. Trid. sess.* 23. *de Refor. cap.* 4.

opera auderet, a beneficiis, et ab ordinibus reliquis arceretur, licet postea confirmationem susciperet, nisi Apostolicae sedis auctoritas accesserit (1). Conditionem in sacramento adjiciendam monemus, si quando de cujuspiam confirmatione prudenter dubitandum noverimus. Decrevit enim S. Gregorius Pontifex, (2) *ut quoties de baptismo aliquorum, vel confirmatione dubitatio habetur, et nec scriptis, nec testibus cognitio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati sint, baptizentur tales, vel confirmentur .... ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum*. Indicent nobis Parochi, si quos majori licet aetate ex rerum sacrarum ignoratione a confirmatione prohibeant. Neminem denique ex aliena Dioecesi, nisi ex proprii Episcopi permissu, admitti decernimus.

VII. Pueros, vel alios quoslibet, qui in postremo vitae cursu versantur, hujusce sacramenti adjumentis privari haud volumus: eos idcirco, quoad fieri possit, de sacramento ipso satis edoctos Vir Reverendissimus in utraque dioecesi Suffraganeus ea, qua par est, charitate confirmabit, quod nos ipsi praestare discupimus, quo tempore in Dioecesi immorabimur. *Cum enim exinde majorem obtineant gratiam*, uti scribit S.Thomas (3) *ita et majorem gloriam confirmati decedentes consequuntur*. Rem vero Parocho denunciari confestim mandamus, ut confirmati nomen in libro describatur, et parentes hortamur, ut de suscepto sacramento infantulum, si convaluerit, saepe saepius admoneant, ne rei actae ignarus, de integro, quod nefas est, confirmari se deinceps efflagitet (4).

CAPUT IV.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

De sanctisimae Eucharistiae Sacramento tractaturi fatemur cum S. Augustino, tales a Deo erga homines amoris divitias per eam praeberi, ut *cum sit omnipotens, plus dare non possit, cum sit sapientissimus, plus dare nesciat, cum sit ditissimus, plus dare non habeat* (5). Licet vero hoc sacramentum commune habeat cum reliquis, *symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem* (6), tria tamen habet sibi omnino propria, ac singularia, quibus nullum sane est cum eodem vel dignitate, vel fructu comparandum. Primo enim

(1) *Mattehcucci de ordinibus conferen. cap. 35.*

(2) *S. Greg. Magnus Lib. 7. Ep. 32.*

(3) *Part. 3. qu. 72. art. 8. ad 4.*

(4) *Catechism. Rom. de confirm. Ben. XIV. Inst. Eccl. 6.*

(5) *Tract. 48. in Joan.*

(6) *Conc. Trid. sess. 13. cap. 3.*

cum sacramentis ceteris vis insit conferendi gratiam, extat in Eucharistia auctor ipse omnis gratiae, is nimirum, *qui factus est nobis sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio* (1). Deinde perstat in aliis materia, in qua nulla a prolatis formae verbis gignitur immutatio: *ast per consecrationem panis, et vini conversio fit totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi Domini, et totius substantiae vini in substantiam Sanguinis ejus: quae conversio convenienter, et proprie a Sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata* (2). Cum denique sacramenta cetera usu ipso perficiantur, et desinant, solum de Eucharistia profitemur, consecrata a Sacerdotibus rite Hostia, latentem in ea Divinitatem extare. Ex antiquissimo idcirco Ecclesiae instituto asservatur Eucharistia (3) tum ut spiritualis hujusce cibi copia nobis semper sit et ubique, tum ut in vitae discrimine constitutis hoc praebeatur divinae reconciliationis monumentum, et protectionis aeternae (4) tum demum ut in tabernaculis habeatur, veluti in throno gratiae, ad quem adeamus cum fiducia, vel ut apparatu magnifico in Altari, propatuloque frequentioris populi venerationi proponatur, vel ut sollemni pompa, supplicationeque circumducatur per vias (5). Haec omnia ut pie, religiose, ac decore gerantur, opportunis praeceptionibus curaturi, ea in praesens persequamur, quae ad rectam hujusce sacramenti administrationem, susceptionemque videantur pertinere.

I. In Paroeciis singulis asservari Sacramentum Augustum, opus est: id in Ecclesiis ceteris interdicitur, nisi vel ex legitima consuetudine, vel ex Apostolico privilegio, vel ex nostra auctoritate sit datum (6). In altari principe, nisi aliter ex peculiari ratione, vel ex loci natura decernamus, *receptaculum coelestis alimoniae*, ut inquiebat S. Ambrosius (7) collocetur, tabernaculum nimirum, quo Eucharistia includitur. Sit ipsum pro Ecclesiarum facultatibus elegans, nullaque vel minima sorde obsolescens. Intus panno serico albi coloris circumquaque vestiatur: candidum in ipsius pavimento corporale sternatur, quod alternis ad summum mensibus commutetur (8). Totum Tabernacu-

(1) *Ad Corinth. 1.*

(2) *Conc. Trid. sess. 13. cap. 4.... Cat. Rom. de Euch.* §. 1.

(3) *Robertus Sala in notis ad Card. Bonam Rerum liturgic. Lib. 2. cap. 17.* §. 6. *not. 1... Chardonius Histor. Sacram. Lib. 3. cap. 15.*

(4) *S. Ambros. Serm. 8.* §. 48.

(5) *Martenius de antiqui. Eccl. rit. Lib. 4. cap. 29... Muratori liturgia Rom. cap. 24... Bened. XIV. Instit. Eccles. 5.*

(6) *Bened. XIV. const.* Quamvis justo §. 24... *Card. Petra ad Const. 1. Urbani IV.*

(7) *Ep. 4. ad Felicem... S. Gregor. Turonen. de flor. martyr. cap. 86.*

(8) *Syn. Volaterr. R. P. D. Pandolfini cap. 22.* §. 5.

lum conopaeo in morem tentorii contegatur, quod colori vestium ad sacra adhibendarum, si nigrum excipias (1) respondeat, vel saltem album sit, ubi aliter ex census tenuitate fieri nequeat.

II. Habeat ostiolum ita patens, ut commode exinde Pyxis Eucharistiae inferri, efferrique possit: clavis ipsius vel argentea, vel aurata penes aedis antistitem sit semper, qui loco tutissimo eam servet (2). Confessarius Monialium eam teneat certo sacrarii loco, qui altera clavi muniatur (3). Duplicem eam haberi volumus, ne una amissa fabri ferrarii manus ad aperiendum ostiolum adhibeatur. Nihil in eo praeter sacramentum custodiatur, non sanctae reliquiae, non sacra olea, non calices (4). Vas sit prope ipsum cum aqua in sacrarium identidem projicienda, qua digitos Sacerdotes abluant post administratam Eucharistiam: adsit et linteolum ad eosdem abstergendos.

III. Pyxis, qua Eucharistia asservatur, sit pro Ecclesiae censu vel argentea, vel saltem ex aere, aliave solida materia, auro tamen praesertim in interiori cratere, seu cuppa oblinita (5). Binae eae sint, quarum altera minor pro ferendo ad infirmos Sacramento, altera major albo conopaeo contecta, qua consecratae hostiae minores in fidelium usum reponantur (6). Lampas saltem una sit ante altare, ubi Eucharistia asservatur, ut lumen dies noctesque ardeat assidue: poenas dabunt pergraves, qui in hoc negligenter se gerant (7). Consecratae hostiae, quae in Tabernaculo reconduntur, decimo quinto quoque die renoventur, vel saepius, si ex temporis ratione corruptio immineat. Parochis, et Ecclesiarum praesidibus id curae committimus, ne si desides fuerint, poenas pro culpa repetamus (8).

IV. In Ecclesiis dumtaxat ministrandam Eucharistiam esse, sacrorum jure cavetur: hinc in oratoriis privatis, nonnisi facultate per nos tributa, vel ex Pontificio privilegio illius sumendae jus est (9). Plures parvas hostias alicui praebere nefas est, ac in Sacerdotes, qui data opera eas sic administrent, poenae irrogabuntur. Maxime decet eum,

(1) *Amand. Thes. sacr. rit. Par. 1. Tit. 20.* §. *17.... R. P. D. Crispin. visit. Past. par. 2.* §. *2... In Die commemorat. Dcf. adhibeatur pallium violaceum.*

(2) *Append. num.*3.

(3) *Bened. XIV. Quaest.* 124. §. Haec quoad.

(4) *Syn. Velit. Card. Cybo. Tit. 11.* §. *5.... S. R. C. 8. Apr. 1628. et 22. Febr. 1563.*

(5) *Baruff. in Rit. Rom. de Euch. a num. 54. ad 63.*

(6) *Idem Baruff. loc. cit.* §. *63.*

(7) *Rit. Rom. de Eucharist.* §. hoc autem.

(8) *Rit. Rom. Loc. cit.*

(9) *Bened. XIV. Const.* Magno cum animi. §. *23.... Idem. Instit. Eccl. 34.* §. *3.*

qui operatur ad aram nigro apparatu, non administrare, nisi hostias in ipsa Missa consecratas (1). Clerici superpelliceo induti ad divinam mensam accedant: Diaconi, et Sacerdotes gerant stolam pro ordinis ratione: laici vero ad altaris cancellos subsistant, vel ad scamna in eum finem apposita (2). Mundissima lintea praesto sint, quae a communicantibus admoveantur ad os, ut prolabentem fortassis Hostiam suscipiant.

V. Diaconis, ubi poscat necessitas, attrectare, ac distribuere Eucharistiam, potestas est ex veteri Ecclesiae disciplina (3). Ast sanctissimum munus ab ipsis Sacerdotibus obiri praestat, atque eo in praesens jure utimur, ut Presbyteri omnes Eucharistiam praebeant, ac viaticum dumtaxat, et paschalis communio e juribus paroecialibus sint (4). Leges de legitima hujusce Sacramenti tractatione propositae serventur accuratissime, omnesque sanctitatem, religionemque perpendant, qua vel conficiendum, vel tribuendum, vel suscipiendum illud esse vel ex ipsius consideratione, cognitioneque admonemur.

VI. Cum vero ex S. Augustini monito de Eucharistico pane dictum sit: *omnes qui elongant se abs te, peribunt* (5) neque *is mori posse* censendus sit, *cui cibus vita est*: cumque juxta Viri venerabilis Innocentii XI. Pontificis Maximi decretum edoceamur, *frequentem, quotidianumque sacrosanctae Eucharistiae usum a Sanctis Patribus fuisse semper in Ecclesia probatum* (6): *nulla sane res est*, edicimus ipsissima Benedicti XIV. verba (7), *in qua utilius Episcopi, et Parochi, et Confessarii studium suum omne impendere debeant, quam in excitandis fidelibus ad eam mentis puritatem sectandam, unde digni reddantur frequenti ad sacram mensam accessu*. Qua in re procuranda Parochos praesertim, cunctosque sacrorum praesides, quin et eos, qui erudiendis adolescentibus operam praebent, obtestamur in Domino, ut non industria solum, ac sedulitate allaborent, sed effusa etiam charitate, humanitateque singulari. Doceant, quo animo, qua integritate, qua religione Agnum sine macula comedere oporteat: mortalium ideo criminum labes sacramentali confessione eluendas prius esse, si Sacerdotis facultas adsit, quantumvis contritus quispiam, et ad religionem commotus sibi esse videatur. Tridentinas praeceptiones de ea re explicent, ne

(1) *S. R.C. in Aquensi 1741. vid. Collect. decret. S. R. C. ab R. P. D. Cardellinio concinnatam.*

(2) *Conc. Tolet. IV. can. 18.. S. Aug. Serm. 392. cap. 5.*

(3) *S. Justin. Apolog. 1. §. 65... Conc. Nicaen. can. 18.*

(4) *ex Jure Canonico.*

(5) *Enarrat. in Psal. 118. Serm. 18. §. 28.*

(6) *Extat in Append. part. 2. Num. 4.*

(7) *Constit.* Certiores effecti. §. 2.

quid perperam obtrudant vel ex nimia severitate, vel ex dissoluta doctrina (1). Ceterum quos paulo timidiores deprehenderint, in spem bonam erigere satagant, animosque iisdem addant, ne ex suae infirmitatis conscientia *ab antidoto sacratissimo* suscipiendo deterreantur, *quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur* (2). Eorum autem consiliis, mandatisque in Communione frequentanda standum esse denuncient, quibus animi statum sincere patefecimus (3). Porro meminerint Parochi, et qui in Ministerio verbi versantur, nihil ad pietatem excitandam, fovendamque, atque ad Populi mores emendandos magis conferre, quam frequentem sacrae Confessionis, et Communionis usum. Id proinde urgeant assidue, id commendent, id exposcant, ut quilibet non Paschali dumtaxat tempore, vel celebriori aliquo die, sed crebro in menses singulos iis se sacramentis expurgandi, expiandique consuetudinem sibi faciat. Spirituali enim hac esca nutriri animus, alique necesse habet, eaque subtracta attenuatur, debilitaturque eo ferme modo, quo corpus nostrum si a quotidiano cibo arceatur, languescere brevi, et interire conspicimus. Diurno dumtaxat tempore, ab aurora videlicet ad meridiem, administranda Eucharistia est: in nocte sacratissima Natalis Domini jure sacro vetatur praeberi (4).

VII. Pueri, qui nondum rationis usum adepti sint, nec ea esse dignoscantur mente, atque aetate, ut vim intelligant sacramenti, panisque speciem, qua Eucharistia continetur, ab solito, et profano pane discernant, arcentur ab hoc Sacramento, ac nonnisi ex judicio Episcopi, et Parochi ad illud admittendi sunt (5). Insuper perpetuo amentes Eucharistiam non sumunt; at si ante amentiam pios sese, et Sacramentorum cupidos praebuerint, in exitu vitae divino illos epulo refici, fas est, nisi periculum vomitionis, vel alterius indignitatis, et incommodi timeatur (6). Item facinorosis, et graviorum scelerum publice convictis, palamque vitam per flagitia, ac dedecora traducentibus deneganda Eucharistia erit, nisi testatiora poenitentiae indicia protulerint (7). Hos quippe canes ex Evangelio, et porcos nominamus, quibus san-

(1) *Conc. Trid. Sess. 13. cap. 7.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 13. cap. 2.*

(3) *Bened. XIV de Syn. lib. 7. cap. 12.*

(4) *Congr. Visit. Ap. 7. dec. 1703.*

(5) *S. Thom. in Sum. par. 4. qu. 80. ar. 9.... Cath. Rom. de Euch.* §. *63.*

(6) *Rit. Rom. de Euch.* §. fideles. *Vid. Barrufald. in hunc tit.* §. *85.*

(7) *De publicis peccatoribus legatur S. Thom. par.* 3. *q. 80. art. 6. et q. 82. art. 6.*

ctum dare, et ante quos coeli margaritas projicere nefas est, ne forte eas pedibus suis proterant, et conversi nos deinde disrumpant (1). Foeminae, quae accedant vestibus in ceterorum offensionem compositis, vel nudatis brachiis, nec ad cubitum tectis, nec velato sint capite, nec tali habitus cultu, quo pudorem, et christianam modestiam promant, repellantur a Communione (2). Confessores vero, quibus commissa est Dominici Sanguinis dispensatio, eum cogitent nec temere profundendum, neque parcius, ac par sit, impartiendum petentibus. Leges idcirco de ea re conscriptas in Catechismo Romano, et ab Antistitibus sanctitate, doctrina, experientia praeclarissimis Francisco Salesio, et Alphonso Maria Ligorio habeant jugiter ob oculos, easque servent accuratissime.

VIII. Non ut suscipiatur dumtaxat a fideli populo, asservatur Eucharistia, sed ut adoranda etiam eidem proponatur vel tabernaculo inclusa, vel deprompta exinde in omnium conspectum, quod duplici caeremonia vel publica nimirum, vel privata peragitur. Nuncupant enim *publicam expositionem*, quando major Hostia *Ostensorio*, ut dicunt, binis pellucidis vitris per lunarem laminam inserta, conspicienda omnibus sublimi in loco sub tentorio in morem throni profertur: vocant vero *privatam expositionem*, si vel patefacto dumtaxat ostio tabernaculi Pyxis, quae Sacramentum continet, oculis, ac venerationi hominum exhibetur, vel si pertenui velo serico Ostensorium contegatur, quo aspectabile Sacramentum positum est (3). Proponere publica caeremonia Sacramentum, jus est nemini, nec in Religiosorum Ecclesiis, nisi facultate ab Episcopo facta, si eos dies excipias, easque causas, quibus jam constituta haec functio sit, quarum notulam nobis infra tres ab edita Synodo menses ab Aedituis tradi jubemus (4). Privata autem expositio ab Aedium sacrarum Praepositis rite ordinatur, quando legitima causa occurat, qualis foret ad pacem comprecandam, ad calamitates a re et sacra et publica averruncandas, ad aegrotantium salutem implorandam (5). Hoc sane precationis genere in ceterorum exemplum utebatur, illudque vehementer commendavit Sanctissimus Mediolanensium Antistes Carolus Borromaeus: nostraeque Dioeceseos Clero, et Populo etiam atque etiam inculcamus, ut pro temporum, ac facultatum ratione peragatur cer-

(1) *Math. 7. 5.*

(2) *S. Carolus Conc. Med. IV. Tit.* Quae ad Poeniten. *Vid. sup. cap. 1. §. 8.*

(3) *Bened. XIV. in Ep. ad Ep. Warm. 16. Ap. 1746. et in Ep. ad Card. Vic. 27. Jul. 1755. et in Inst. 30. §. 10. ubi plura refert decreta.*

(4) *Ex. plur. Syn.*

(5) *Ben. XIV. in Ep. cit. ad Card. Vic.*

ta quadam hora, ac praesertim inclinata jam die, quando possint frequentes convenire, qui artium officiis distinentur (1).. Pyxidem vero cum Sacramento efferre ad loca, quibus incendia, procellae, tempestates impendent, Pontificio jure interdicitur (2).

IX. Haec porro de publica Eucharistiae Expositione sancita sint juxta edictum a nobis latum ex Pontificum, et Sacrarum Congregationum decretis (3). Sit ea in altari principe, in quo si quae est imago, vel simulacrum, contegatur, quando diuturniori tempore proponendum ibidem sit Sacramentum. Sanctorum reliquiae haud apponantur. Ornetur altare magnifico, ac splendido apparatu, et quatuordecim saltem cereae faces colluceant. Nemo perlitet pro defunctis tunc temporis: sed vel votiva de Sacramento, si id ritus ferat, vel de festo die, qui agitur, sacra sint in Ecclesia, addita oratione de Sanctissimo Sacramento, nisi ex solemnitate *primae, aut secundae classis* vetitum sit. Nullum ad Hostiae elationem sonitu tintinnabuli signum edatur; et dumtaxat pulsu aliquo campanulae sacrarii admoneatur populus de Sacerdote ad altare prodeunte. Stipem per Ecclesiam rogitare, vel pelvim, aut quid aliud, in quod eleemosynae conjiciantur, exponi vetamus: capsulas tamen ad valvas Aedis collocari ut plurimum sinemus. Concionem tecto capite habeat nemo; Sacerdos, vel saltem Clericus majoribus ordinibus initiatus adstent assidue, neque unquam a Sacramenti custodia, publicaque adoratione abscedant, vel si id fieri ob Clericorum paucitatem non possit, bini ex aliqua Sodalitate ipsius insignibus amicti eo munere fungantur.

X. Sex ad minimum facibus illustretur altare, in quo privata caeremonia profertur Eucharistiae Sacramentum, eaeque duodecim sint, si velo ipsum contectum exponatur. Adstent et eo tempore Clerici, qui vicibus distributis continenter in ea adoranda sint. Genu utrumque flectatur, quoties ante ipsam expositam quispiam progrediatur (4).

XI. Hoc autem loci e re ducimus non hortari modo, sed per fidem, per religionem, per charitatem demum, qua Amorem nos amantem amare impensissime debemus, singulos rogare, atque obtestari, ut ubi amoris Sacramentum palam fidelibus adorandum, venerandumque

(1) *S. Car. Syn. Dioec. IV. an. 1572. et Conc. prov. III. an. 1573.*

(2) *Ben. XIV. Ep. ad Card. Vic.... De aliis quibusdam Eucharistiae usibus, quos rejicit Ecclesia, legatur Martene de antiqu. Eccl. Rit. Tom. 2. cap. 13.... Durand. in Rit. Lib 1. cap. 7.. Rit. Rom. de. Com. Inf.* §. sed alicui. *et de exerciz. obses.* §. admoneatur.

(3) *Append. P. 2. N. 12.*

(4) *Ben. XIV. Inst. Eccl. 30.. Vid. Edict. Card. Vic. de Sacr. Exposit. sub Clem. XII.*

proponitur, convolent omnes frequentissimi ad Eum, quem advocatum habemus apud Patrem, neque inofficiosos, parumque in ipsum pios, ac nullo vel minimo amoris studio commotos videri se sinant, otio torpentes, uti in more complurium esse perdolemus, ludicrisque, et inanibus sermonibus, jocisque distenti prae foribus Ecclesiae, donec Sacerdotem salutari populum precatione lustraturum ad altare accessisse ex campanae indicio cognoverint. Properent potius in Ecclesias, religiose exoraturi Jesum Christum, qui est propitiatio nostra, animumque adferant bonis, sanctisque cogitationibus compositum, ac praeparatum, sitientemque obsequii sanctissimi Christo Servatori praebendi, qui suas delicias dixit esse cum filiis hominum (1).

XII. Nos sane summopere oblectat magna illa celebritas, qua extremis Bacchanalium diebus orationem XL. horarum institutam in Veliterna Civitate fuisse suspeximus. Id et in ceteris Dioeceseos oppidis peragi discuperemus, ut miserrimis iis diebus, quibus nihil ab ipsorum laetitiis alienum censetur, quod a modestia, gravitate, honestate alienissimum sit, et Clericorum, et populi totius precibus, Tobiae exemplo, divina opis imploretur, et teterrima peccatorum colluvies, quae in dissoluta licentia percrebescit, per supplicationum id genus sanctitatem aliquo pacto reparetur. Parochi in id adnitantur, indulgentiasque in eum finem a Pontificibus decretas promulgent, quo ad ditissima haec ex Ecclesiae thesauro lucra adipiscenda cunctorum religio, pietas, voluntas vehementius incendatur (2).

CAPUT V.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Carnalium Sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una Corporis, et Sanguinis Domini implevit oblatio, inquit S. Leo Papa (3) *et ita in se universa perfecit Mysteria, ut sicut fuit pro omni victima sacrificium, ita unum de omne gente esset Regnum*. Haec enim oblatio illa est, quam nulla perlitantium iniquitate pollutam ab ortu solis usque ad occasum in omni loco divino Numini offerendam fore vaticinatus est Malachias (4). Hoc est *convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae*,

(1) *De praecepto Paschalis Communionis, ac de aegrotantium Communione agetur Par. 3. cap. 2. Item de Processionibus eadem parte cap. 7.*

(2) *Append.. Par. 2. Num. 5.*

(3) *Serm. 59. cap. 7.*

(4) *Malach. 1. 11.*

quod a Domino exercituum in Ecclesia sua instructum iri praedicaverat Isaias (1). *Cum enim*, liceat cum Tridentinis Patribus animadvertere (2) *per Christi mortem sacerdotium ejus non esset extinguendum, in coena novissima, ut Ecclesiae relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur: Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se declarans, Corpus, et Sanguinem suum sub speciebus panis, et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba*: Hoc facite in *meam commemorationem*. De hoc itaque divino Sacrificio, cui ex Victimae dignitate, quae verus Deus est, placandi, merendi, satisfaciendi vis est, praecipua quaedam decreta proposuimus ad Sacrorum Canonum, et Apostolicarum constitutionum normam, nedum ut qui ad tantum munus honorati sunt, pia illud mente, casta, atque ab humanis curis abducta operentur, sed ut ipso etiam caeremoniarum apparatu, atque cultu mysterii magnitudo, atque majestas portendatur. Licet vero ritus, precationes, caeremoniae, in quibus verba Christi Eucharistiam instituentis principem locum obtinent, adhiberi semper consueverint, non eadem tamen fuit de iis Ecclesiarum disciplina, pluresque ex temporum, ac locorum varietate invectas fuisse liturgias, et vel ipsos Apostolos non ea semper precationum complexione operatos fuisse, vetustiora monumenta Sacrorum testantur (3). Ceterum quidquid de ipsorum rituum origine censendum sit, omnia certe instituta sunt, ut Sacrificii ipsius majestas commendetur, et fidelium mentes per haec visibilia religionis, et pietatis indicia ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem, atque ad propitiandam exinde divinam mentem mirifice excitentur (4).

I. *Accedat ad Altaris tribunal Sacerdos, ut Christus*, placet Sacerdotes sacrificaturos cum S. Laurentio Justiniano admonere (5) *assi-*

(1) *Isa: 25. 6.*

(2) *Sess. 22. cap. 1.*

(3) *S. Greg. M. Lib. 9. Ep. 12. ad Joan. Syrac... Walfridius Strabo de reb. Eccles. cap. 22... S. Jo. Chrys. hom. 27. in Ep. ad Corinth... late Card. Bona Rer. Liturg. I. 1. cap. 5. §. 3... de variis Liturgiarum ritibus legatur idem Card. Bona suo praeclaro opere de Rebus Liturgicis, et Petrus Le-Brun in suo Libro de Explicatione Missae.*

(4) *Conc. Trid. Sess. 22. cap. 5. de Sacr. Mis.*

(5) *Serm. de Corpore Christi Sanctissimo.*

stat, ut Angelus; ministret, ut Sanctus; populorum offerat vota, ut Pontifex; interpellet pro pace, ut Mediator; pro se autem exoret, ut homo. Meditentur proinde sedulo muneris rationem, quo illos dignatus est Deus, illiusque recordatione virtutem, integritatem, religionem perpendant, quibus anteire ceteris debent. Orationi idcirco instantes, ac rerum divinarum meditationi, caveant, ne sacris altaribus, ac divinae illae Hostiae manus admoveant, quin prius poenitentiae sacramento, ac diligenti peccatorum confessione animam expiaverint, ut ne levis quidem culpae conscientia redargui possint (1). Hinc ut saltem septimo quoque die animum poenitentia procurent, eos hortamur, ut puriori totius vitae innocentia, morumque sanctitate illustriori, divino, quo funguntur, ministerio adnitantur pro viribus respondere.

II. Quare cum sacra facturi sunt, in sacrarium, e quo proinde omnia, quae precantibus impedimento sint, amoveri juxta editam a nobis legem iterum praecipimus, vel in aptiorem aliquem locum ea, qua par est, fide, pietate, humilitate secedant, et statas ad animum in rem sacratissimam comparandum precationes recitent, atque ut ille in se exardescat ignis, quem Dei Filius venit mittere in terras, tanti mysterii contemplatione aliquantisper distineantur. Horrendum sane foret, Presbyteros a ludo, ab otio, a saecularibus negotiis, a profanis congressibus, auribus quandoque cogitationeque adhuc procacibus, impurisque actionibus, sermonibusque pollutis, ad aram properare, et ab eadem iterum ad id genus exercitationes remeare, quin piis precibus fusis, propitiatoque Numine se reputasse commonstrent, qualem sint Hostiam contrectaturi, qualem mensam adituri, quando cum terra sint, et cinis, Corpus, et Sanguinem Christi sumunt (2). Ecclesiarum Praesides, et Aedituos jubemus in id advigilare, et si quem eo licentiae, ac profligatae audaciae ex consuetudine devenire dignoverint, Vicarium Generalem de eo admoneant, ut pro rei gravitate opportune decernat (3).

III. Rubricam de matutinis horis ante sacrificium recitandis, curent, sancte servare: *Si quis enim*, inquit Benedictus XIV. (4)

(1) *Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. ... Prop. 38. 39. ex damnatis ab Alexandro VII. 1666.*

(2) *S. Jo. Chrysost. Hom. 1. in Nat. Dom. cap. 7.*

(3) *Litt. encycl. edita jussu Innocentii XI. an. 1678. Item Edicta Card. Vic. 1681. et 1706.*

(4) *de Sacr. Missae Lib. 3. cap. 13. §. 3. 4. ... Vid. Rubr. Miss. Rom. de praeparat. Sacerd. §. 1.. Cleri cat. dec 50. de Sacr. Mis.*

nulla causa urgente perpetuo id faceret, ut videretur quasi statuisse animo, numquam celebrare dicto Matutino, et Laudibus ... concludi posset, hujusmodi Sacerdotem peccare mortaliter.

IV. Sacerdotes operari ad Altare, nonnisi jejunos, posse, Ecclesiae lege cautum est: *placuit enim Spiritui Sancto, ut in honorem Sancti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi* (1). Eos proinde, qui eo impietatis proruperint, ut sanctissimae huic praeceptioni haud pareant, praeter letalis piaculi noxam, quod patrarent, poenis severioribus coercendos monemus. Recentes a compotationibus ad multam noctem quandoque productis, languidos, aut ardentes conscendere ad aras, nefas foret. Item ocreatos, pedibus coeno oblitis, non lotis manibus, ac foedos sordibus dedecet perlitare. Annulum in digito gestare (2), vel pileolum adhibere (3), vel ficta caesarie uti (4) nisi peculiari privilegio donatum, licet nemini. Eos, qui Ecclesiis praesunt, haec procurare cum primis decernimus, quorum insuper sit cavere, ne quis absque tonsura ad justam magnitudinem abrasa, eaque omnino conspicua admittatur ad sacra (5).

V. Qui sine vesti ad talos producta in Civitate, Oppidisque facere Deo ausissent, pecunia mulctabantur ex novissima Synodo (6). Nos vero districte mandamus, ut sacerdos quilibet sive in civitate sacrificet, sive in dioecesium oppidis, sive in sua, sive in Religiosorum Ecclesia, sive etiam in privata aedicula, praeter collare, quod dicunt, sit talari veste ad pedes usque indutus. Eos, qui contra haec fecerint, suspensos ipso facto decernimus a re divina, censurae absolutione nobis unis reservata. Sit vero ea talaris vestis cujusque Sacerdotis propria, nec liberum sit aedituis eam praebere, quam haberi in Sacrariis oportet pro advenis Presbyteris, vel pro iter facientibus, vel pro iis, qui in agro degentes alio sese conferant, vel in civitatem transeunt, oppidumve, vel demum qui a civitate in agrum adveniant (7). Nos certe in eos animadversuros edicimus, qui presbyteris veste talari haud ornatis perlitandi facultatem faciant.

VI. Cum Ecclesiarum cultui, nitorique studeant quam maxime,

(1) *S.Aug. Ep. 54. ad Januar. cap. 9.*

(2) *Cap.* Clerici. *de vita et honest. Cleric... Conc. Rom. Tit. 16. cap. 3.*

(3) *Cap.* Nullus Episcopus. *57. de consecr. dist. 1. . Initio Missal. referuntur dec. S. R. C.*

(4) *Ben. XIV. Inst. Eccl. 34. §. 4.... Inst. 96. . de Syn. Lib. 11. Cap. 9. §. 5.*

(5) *Conc. Rom. Append. N. 18. §. 5.*

(6) *Syn. Card. Cybo Tit. 12. §. 13.*

(7) *Communis Synodorum praescriptio est.*

opus sit, quotquot iisdem curandis praeficiuntur, id profecto in praecipua cura iisdem esse debet, ut sacrae vestes, et linea supellex, ac vasa sacrificii, cunctaque in rem divinam adhibenda, pura, munda, ac nitida sint, nihilque in iis fractum conspiciatur, nihil luridum, nihil maculosum, nihil obsitum sordibus, nihil quod agrestem, et indecoram negligentiam exhibeat. Corporalia cum primis, ac pallae e linea tela amylo oblinita, tum purificatoria mundissima, purissimaque sint (1). Complura semper extent in sacristia purificatoria, ut subinde mutari crebro, ac lavari possint; ea porro foeminae, aliique praeter sacratos viros attrectare, vel curare prohibentur, nisi lota primum sint a Sacerdote, qui aquam in sacrarium projiciat, qua in iis tergendis usus est. Praestent pariter candore linea sudariola abstergendis manibus adhibita, item et amictus, et albae, et cinguli. Calices, patenae, pyxides, lunulae, et vasa cetera Sacrorum, ea saltem parte, qua Sanctissimum Christi Corpus, vel Sanguinem continent, auro obducantur: ipse autem Calicis crater argenteus sit (2).

VII. Altare, in quo coelesti illo sacrificio placatur Deus, quod ipse pro humani generis salute in Cruce perfecit, tantae rei sanctitati maximo, qui haberi possit, nitore respondeat. Non squallore, non situ, pulvereque obsordescat: sit ipsum lapideum, aut saltem lateritium cum lapide consecrato ipsi medio mensae bene inserto (3). Ternis tegatur mappis, quae mundae omnino sint (4): superior prae ceteris tenuis sit, ac pretiosior. Omnem consternant planitiem mensae eae, quae sunt interiores, eaeque divisae sint, non unica complicata dumtaxat. Promineat in altari simulacrum Christi e Cruce pendentis (5), illudque tale sit, et eo loci positum, ut et a Sacerdote perlitante, et a populo commode conspici possit. Nefas est operari ad aram, in qua illud desit, vel sit adeo exiguum, ut oculos inspectantium pene effugiat, licet eodem in altari Tabernaculum extet cum Eucharistia: quae tamen si publice adoranda proponatur, cum ibidem sacrum agitur, consuetudo ecclesiae tenenda erit. Si vero in majori Altaris tabula emineat picto opere, vel caelato imago Salvatoris cruci affixi, satis id esse cautum

(1) *Can.* Relinque. *de Custod. Eucharist... et Cap.* Consulto 4. 6. *de consecr. dist.* 10.

(2) *Cap.* Calix. 45. *de consecr. dist.* 1.

(3) *Legat. Martenius de antiqu. Eccl. rit. Lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 6. §. 4.. *Card. Bona Rer. Liturg. Lib.* 1. *cap.* 20. §. 1.

(4) *Rubr. Miss. de praeparat. alt.. Etiam priscis temporibus altare obtegebat linteum ex Optat. Milevit. Lib.* 6.

(5) *Usum Crucis in altari ab Apostolica traditione descendere putat Card. Bona loc. cit. cap.* 29. §. 8.

est (1). Sint demum prope Crucem ex utroque latere candelabra, quae ardeant, dum sacra peraguntur (2).

VIII. Vestes, vasa, instrumentaque alia sacris addicta legitimo ritu benedicantur, vel consacrentur juxta canonicas praeceptiones: benedictio ab iis tantum impertiatur, qui ea sint ex Pontificis indulgentia donati potestate: consecratio vero vel a nobis, vel a Suffraganeo Antistite, vel ab aliis in Episcopatus ordinem cooptatis confici dumtaxat potest (3). Caveant Sacerdotes, ne rem inchoent, nisi binas incensas candelas, singulisque impositas candelabris viderint. Sint illae cereae, albae, puraeque, nisi de Hostia piaculari res sit ad parentandum manibus Fidelium, vel de sacris in triduo Hebdomadae majoris obeundis, quibus flavae cerae usus invaluit. Oleum prae cera ad Missam collucere vetamus (4). Praesto sint emunctoria ad elychnia curanda, amputandave, ne Minister id peragat digitis, quod foedum visu est.

IX. Curandum vero summopere est, ut purissima sit materia utraque in Christi Corpus, et Sanguinem convertenda. Hostiae sint ex tritici farina, et naturali aqua confectae, quarum munditia, et candor mentis innocentiae respondet ad hoc Sacramentum afferendae: tenues praeterea sint, purae, ac recentes, atque ita comparatae, ut nequeant facile in fragmina dissilire, quando frangendae sunt: sicco in loco asserventur, ne humido flaccescant. Eas inspiciant Sacerdotes sacrificaturi, vel saltem Aeditui, leviterque summis undique digitis defricent, ut si quae fragmenta sint, ea detergantur. Deceret eas a laicis hominibus non confici, sed vel a sacris Virginibus, vel ab Ecclesiastico viro (5). De vino edicimus, merum, esse, ac recens, et optimum, non fugiens, non acidum, non rubens, non atrum. Caveant Sacerdotes, ut quam aquam vino admiscent ex Apostolica traditione, et exemplo Christi, qui vinum cum aqua commixtum praebuit, modica ea sit, ne vini natura immutetur (6). Si panis, et

(1) *Ben. XIV. Const.* Accepimus: *extat ejus Epitomen in Append P. 2. N 6.*

(2) *De Candelabrorum, et luminum usu legatur Card. Bona loc. cit. cap. 25. §. 7. et Sala in Not. 4. Tom. 2.*

(3) *Bened. XIV. Inst. 21.*

(4) *Ben. XIV. de Sacrif. Mis.*

(5) *Vid. Marten. de antiq. rit. Lib. 1. cap. 3. art. 7. §. 23.*

(6) *Cap. 13. de celebr. Miss. . . Conc. Trid. sess 22. cap 7. . . Drouen de re Sacrament Lib. 4. quaest 2. cap. 3. §. 4. Conciliorum auctoritate et S. Cypriani testimonio comprobatur, Christum aquam vino admiscuisse: ita ex Catechismo Romano par. 2. cap 4. §. 14. S. Cypr. Ep. 63. ad Caecil. . . . S. Iraenaeus contra haeres. Lib. 4. cap. 33. §. 2.*

vinum ex corruptione suam naturam amittant, confici ex iis sacramentum nequit. Poenis gravioribus Aedituorum negligentia in re tanti momenti coercendam mandamus.

X. Cum maxima, et incredibilis vis insit in sacris caeremoniis, ritibusque nedum ad divini operis majestatem commendandam, sed ad pietatem quoque, venerationemque populorum mirifice inflammandam, augendamque, eo diligentiori studio enitendum Sacerdotibus est in re divina sancte, decoreque ad Ecclesiae praescriptum tractanda, ut ipso etiam caeremoniarum apparatu, atque cultu mysterii magnitudo, et sanctitas declaretur. Studeant idcirco nihil memoriter pronunciare, tum quae tacite ex disciplina leguntur, ea ita exprimere, ut ab aliis exaudiri nequeant, tum demum non inepte, non confuse, non implicite, sed commode, scite, distincte legere. Nefas profecto foret ex properandi studio vorare, involvere, ac veluti glomerare verba. Hinc viros adsciscemus caeremoniarum peritos, qui de sacrorum disciplina a Sacerdotibus tenenda referant ad veritatem: apud illos rem quotannis experiri, suamque iisdem rationem probare singulis mandamus Presbyteris, ut hoc honestati testimonio facultatem sacrificandi assequantur. Id de iis praesertim decernimus, qui recens in sacerdotii gradum cooptati, sacrificandi munus primo sunt inituri: nisi enim illos singula probe edoctos noverimus, ut scite omnia, decenterque, et cum ea, quam res postulat, gravitate obeant, haud admittemus ad sacra (1). Sacerdotibus primo sacrificantibus fieri publice donorum collationes in Ecclesia, vel in Sacrario, item compatres et commatres adhiberi, ludos demum, choreas, commessationes, aliaque id genus peragi, quae vel profanas solemnitates sapiant, vel ex avaritia, licentiaque invecta sint, omnino interdicimus (2).

XI. Tempus in Sacro rite conficiendo traducendum ex Concilii Romani monito tertia saltem horae pars est (3). Inconditam proinde festinationem, quae tantopere a divinae rei majestate abhorreret, ipsiusque Sacerdotis licentiam, procacitatem, animumque perperam comparatum innueret, gravioribus poenis coercemus. Parochos idcirco, Ecclesiarum Praefectos, Aedituos id adnotare, et referre ad nos, nostrosque Vicarios Generales jubemus, eosque debitores edicimus Deo, si ex ipsorum silentio diutius tantae la-

(1) *Ex Synodor. complurium decretis.*

(2) *Conc. Trid. sess. 22. decret. de observand. in Miss. Fagnan. in cap.* Pastoralis §. 39.

(3) *Append. Conc. Rom. Num. 18... Bened. XIV. de Sacr. Missae Lib. 3. cap. 24. §. 3. et Inst. Eccl. 34. §. 6.*

bis remedium differatur (1). Non inde tamen nimiam in re divina probamus cunctationem, ac tarditatem, quae offensae sit Populo, eique molestiam paret; quod cum ex anxietate, scrupulis, maximaque formidine plerumque oriatur, prudentes animorum Moderatores hortamur, ut si quos ea teneri infirmitate noverint, ad eos curandos in patientia, et charitate adlaborent. Caveant interim omnes, ut verba, quibus Sacramentum perficitur, integre, distincte, religiose, non interrupte, non intercise pronuncient, ne interpolando nimium ea verba, atque ex longiori formae abruptione de vi consecrationis dubitationem injiciant.

XII. Animadvertant Sacerdotes, quo se vestiant ornatu, cum sacra sibi indumenta circumdant: statutas idcirco de iis precatiunculas recitent; sermones pertexere, garrire, circumspectare vetat muneris obeundi divinitas. Id cum primis caveant, si quid forte eos ab egressu detineat. Procedant autem ad Altare, qualem Virum decet cum Deo colloquuturum, oculis demissis, gressu gravi, corpore erecto, neminem consalutantes, nusquam se vertentes, cogitatione in divini Sacrificii mysterium intenta. Missam inchoatam non perficere, vel interrumpere, vel iterum in cujuspiam gratiam inchoare, poena suspensionis hoc ipso irrogatae prohiberi se noverint, nisi fortassis legitimae id causae deposcant, quas in Appendice describi curavimus (2). Vetamus praeterea, viros, ac mulieres quaslibet gradibus Altaris consistere, illudque circumstare, et obsidere, ex quo facile animum Sacerdotis abs re divina divellerent (3).

XIII. Caveant Aeditui, ne quempiam Sacerdotibus sacra facientibus patiantur ministrare, qui vel ipso corporis habitu modestiam, ac religionem non praeferat. Adolescentiores proinde, quos noverint ex aetatis levitate, animoque ad jocos commoto sanctitatem muneris haud revereri, item quos videant vestitu fracto, sordido, maculoso, lutulentos, discalciatos, turpibus manibus, item quos publica infamia notatos sciant, arceant a Ministerio. Ipsi vero respondeant Sacerdoti non confuse, et implicite, non obtruncatis verbis, non caesim, sed ad omnia, quae sacrificanti debent, officia praesto adsint. Ludi proinde magistros, virosque probatos hortamur, ut ad operam recte, atque, uti par est, sacrificiis navandam adolescentes instituant, iisque tantum ministerium commendent, in quo socios meditentur se habere Angelos (4). Loci, atque ordinis splendor ef-

(1) *Loc. cit. Append. Conc. Rom.* §. 7. 1... *cap.* Sacerdos. *de Consecr. dist.* 2.
(2) *Append. par.* 2. *N.* 11.
(3) *Cap.* Apostolos *de consecr. dist.*
(4) *Conc. Trid. sess.* 22. *loc. cit. Syn. Card. Cybo Tit.* 12. §. 18.

flagitat in Cathedrali praesertim Basilica deservire Sacrificio Clericos talari cum veste, et superpelliceo mundo, et candido. Binos, pluresve adhibere ministros, nonnisi iis licet, quibus ex dignitate id juris sit ab Apostolica Sede collatum (1).

XIV. *Missam cum officio convenire, quando fieri potest*, jure statutum est (2). Ast in Ecclesiis, quibus ritu duplici officium agitur, Missam mortuorum celebrare Sacerdos vetatur, licet ipse officium ritu semiduplici recitaverit (3). Item in Ecclesiis Ordinum Religiosorum Missa in Sancti illius honorem fiat, cui sacer apud eos dies festus est: nisi tamen de Apostolico privilegio nominatim constet, eam legat Sacerdos juxta Missale Romanum, non vero eam, quam fortassis Ordinis propriam nanciscatur: qua lege Cappellani etiam Monialium adstrictos se sciant (4). Curent Aeditui, ut quibus diebus Missae Mortuorum, aut Votivae locus est, in perlitantium commoditatem indumenta aliorum colorum praesto sint, ut pro Missae, quam eligent, ratione eadem in promptu esse adinveniant.

XV. Horae ad celebrandum praefinitae sunt ab aurora ad meridiem: fas est tamen tertia horae parte vel inchoare, antequam lucescat, vel post meridiem differre (5). Id et de Sacellis cautum est, quae privati ex Pontificis gratia intra suas aedes habeant. Excipitur ab hac lege auspicatissima dies Natalis Domini, cujus nocte media iis in Ecclesiis, quibus id juris est, unum sacrum sollemne habetur (6) quin tamen liceat Eucharistiam ante statam horam administrare (7). Discupimus vero ante horam decimam neutiquam id peragi, ne a coenis ut plurimum lautioribus cibo, vinoque onusti conveniant fideles ad sacra, animo obtuso, nec ad divina inflammato.

XVI. Antistites Ecclesiarum, et Aeditui magno in negotio habeant curare, ut quando praesertim pauciores Missae sunt, horis eae celebrentur, quibus frequentior populus conveniat; nec proinde plures simul Sacerdotes ad celebrandum exire permittant. Si vero ad Aedium curatores pertinet horas ad divina ex fidelium commodo distribuere, signumque conveniendi in tempore dari, haud abnuant et Presbyteri faciles sese praebere, prompteque, ac sine recusatione in id conniti, nullumque jurgium excitent, nec querelas

(1) *S. R. C. Vicent. 1669. et alias.*
(2) *Rubr. Gen. Miss. Tit. 4. §. 3.*
(3) *S. C. R. Conversana 1668.*
(4) *S. R. C. decr. gen. sub Clem. XI.*
(5) *Rubr. Gen. Missal. Tit. 15. §. 1. Bened. XIV. Inst. 13. §. 3. 4. 5. et Inst. 98. §. 12.*
(6) *Cap.* Nocte sancta *48. de Consecr. dist. 1.*
(7) *S. R. C. in Pisauren. 7. Decembr. 1641. et alibi.*

habeant, Dei tantum dilectione incensi, studio religionis, bonoque animarum permoti.

XVII. Postremis tribus maioris Hebdomadae diebus generatim arcentur ab Altari Sacerdotes, iis exceptis, qui sollemni caeremonia operari debent in Ecclesiis, in quibus Eucharistia perpetuo asservatur (1). Ritus, qui de functionibus ex Ecclesiae instituto per eos dies obeundis ad memorandam, recolendamque Domini passionem sanctissime sunt praefiniti, cum summa disciplina, atque modestia teneantur: eos, quos, ubi administrorum copia desit, adhiberi cautum est, edi juxta formulam a Benedicto XIII. decretam in Appendice jussimus (2).

XVIII. Sunt identidem in Ecclesiis, et Oratoriis Altaria, quae *privilegiata* appellantur, certis quibusdam ex gratiis, indulgentiisque ab Apostolica Sede iis tributis, pro quibus ibidem res divina peragatur. Privilegii verba tenenda sunt ad illius fines cognoscendos: quandoque enim Sacrorum, quibus id privilegii delatum est, numerus praefinitur: quandoque certo illud tempore assignatur. Decreta nonnulla de iisdem edita, nec non privilegium, quo in die commemorationis omnium Mortuorum Altaria singula donantur, extant in Appendice (3). Meminerint Sacerdotes, quibus onus sit perlitandi in Altari privilegiato, quoties per Rubricas liceat, missam Mortuorum celebrandam sibi esse (4).

XIX. Qui Sacerdotes ab aliena Dioecesi in nostram advenerint, nec satis cogniti sint, a re divina facienda prohibentur, etiam in Regularium Ecclesiis, nisi perlatis ab Episcopo suo litteris, quibus de ipsorum vita, moribusque testimonium praebeatur, celebrandi potestas iisdem a Vicario nostro Generali facta sit (5). Hanc facultatem per triduum a Vicariis Foraneis, vel si ii absint, a Parochis tribui permittimus in oppidis dioeceseos. Qui vero diutius in dioecesi commoraturi sunt, periculum faciant caeremoniarum apud virum, quem iisdem praepositum volumus. Litteras ab Episcopo, apud quem diversati sunt, afferant Presbyteri dioecesis nostrae, si alio ad longum tempus commigrarunt. Item Religiosi, qui testimonio careant Moderatorum Ordinis, non admittuntur ad sacra (6).

(1) *S. R. C. de mandato Alex. VII. 12. Febr. et 11. Mart. 1690.*

(2) *Append. Part. 4. N. 10.*

(3) *Append. Part. 2. N. 7. 8.*

(4) *Ben. XIV. Inst. 34. §. 27. Alex. VII. Const.* Creditae. *22. Jun. 1667. Innocent. XI. Const.* Alias. *4. Maji 1688. Clem. IX. Const.* Cum felic. record. *23. Sept. 1669.*

(5) *Conc. Chalcedonen. cap.* extraneo *dist. 31... Litt encycl. S. Inquisit. 20. Jan. 1696.*

(6) *S. R. C. 15. Oct. 1680.*

XX. Quod ex vetusto, et pio Ecclesiae instituto Christianus Populus consueverat, ut nimirum panem, et vinum offerret inter ipsum Sacrificium, ut exinde et ad Eucharistiam conficiendam, et ad Ministros alendos necessaria suppeterent (1), labentibus saeculis id pecunia numerata actum est, quae initio dabatur Ecclesiae, ac deinceps tradi coepit Sacerdoti, ut nominatim pro certis, designatisque personis faciat Deo (2). Patet vero, talem pecuniam non quasi pretium censendam esse pro ipso sacrificio, quod infiniti pretii est, sed quasi *stipendium substentationis* (3), ut qui Altari inservit, habeat ex eo, quae ad cultum sibi, victumque suppeditent. Cum vero Episcopi sit judicare, quid singulis Presbyteris in honestam vitae tuitionem necessarium sit, cumque idcirco ad ipsum pertineat pro temporum ratione modum hujusce stipis, seu eleemosynae definire (4), eam pro Missis *manualibus*, seu adventitiis statuimus, esse julii unius, et dimidii.

XXI. Quamquam autem Missae, quae pro uno speciatim celebrantur, universam quoque Ecclesiam attingant, debet tamen Sacerdos nominatim operari pro eo, a quo datam sibi excepit stipem. Pro eo quippe fidem adstrinxit suam, ut rem divinam ageret: ac propterea cavendum est, ne quis opus prae ceteris maxime divinum in quaestum vertat, si nimirum majorem adversus edita decreta stipem sibi vindicet (5), vel si pro pluribus stipendiis unum Sacrum faciat, vel si quod stipendium majus accepit, partem ipsius retineat, et sacrum minori stipe peragendum alteri committat, licet etiam in id sacrificaturi sacerdotis consensus accedat (6). Adsunt providentissima Pontificum Romanorum decreta, quibus impiam id genus Sacrorum nundinationem gladio censurarum confodiendam censuere, quas nonnisi ab ipso Pontifice relaxari posse decreverunt (7). Religioni itaque sibi ducant Sacerdotes nedum toties perlitare, quoties ab eo, qui stipem praebuit, praefinitum est, quin eleemosynae exiguitas illos excuset (8), sed eo etiam Altari, illa die, illa hora operari, quibus adjunctum

(1) *Christian. Lupus Schol. in. Can. 13. Conc. Rom.. Berlendius in dissert. de oblat. part. 2. §. 2. ..*

(2) *Mamachi del diritto della Chiesa Tom. 2. p. 1. inst. 1. Tom. 3. p. 1. not. 1..*

(3) *S. Thom. 22. q. 10. art. 2. ad 2.*

(4) *Ben. XIV. Const.* Accepimus ... *de Synodo Lib. 5. cap. 9.. Inst. Eccl. 56.*

(5) *Bened. XIV. Instit. Eccl. 36. 56. 92. et de Synodo L. 5. C. 9.*

(6) *Bened. XIV. Const.* Quanta cura, *extat in append. N. 10. Item S. C. C. in Romana 23. Aug. 1664. Syn. Card. Cybo Tit. 12. §. 11.*

(7) *Append. Num. 9. 10.*

(8) *Decret. cit. et ex Const.* Nuper. *S. C. C. Tinen. 18. Mar. 1668. ... Romana 10. Sept. 1672.*

sibi officium postulat (1). Ne quis proinde plus oneris subeat, quam ferre possit, plures etiam sponte oblatas Missas nemo suscipiat, quibus nequeat intra modicum tempus, intra mensem nimirum, satisfacere (2). Id et Ecclesiarum Rectores prohibentur, nisi forte eorum, qui Missas exposcunt, adsit consensus, ut quo demum tempore possit, vel alia in Ecclesia, seu in alio Altari eaedem libere peragantur (3).

XXII. Eleemosynas Dominica quarta Quadragesimae in sacrificia corrogandas, quibus propitiato Deo juventur animae igne Purgatorio cruciatae, dependi omnino decernimus ad sacra piacularia sollemni, et privato apparatu quamprimum facienda. Parochi, aliique iisdem distribuendis praepositi, re universa in codicem relata, sancte, accuratissimeque tali munere fungantur, ne teterrimo coram Deo, et hominibus fraudis, vel desidiae scelere obstringantur: porro nos ipsos, vel Vicarium nostrum Generalem admoneant, si per oppidorum, paroeciarumve Presbyteros eo, quo par est, tempore litari pro ipsorum copia haud possit, ut de sacris alibi faciendis consulamus.

XXIII. Onera Missarum perpetua, quae ex jure ab ipsorum auctoribus statuto religiosissime, ac perstudiose complenda esse palam est, suscipi vetamus a quolibet beneficii, seu pii loci curatore, vel a Canonicorum, seu Beneficiariorum collegiis, vel demum a Sodalitiis, nisi nostra accedat auctoritas: inobedientes ex Urbani VIII. et Innocentii XII. decreto sacris interdici se noverint (4). Stipem vero duorum saltem juliorum assignamus pro qualibet Missa perpetua. Decet quam maxime Ecclesiis, quae necessaria praebent ad sacra, certam quotannis pecuniam ex censua in perpetua onera designato pro iis impensis persolvi juxta Missarum numerum. Interim vero taxam, quae in civitate, ac dioecesi nostra in more est, adprobamus (5).

XXIV. Hic autem animadvertendum censemus, nonnisi ex Apostolicae Sedis auctoritate minui posse Sacrorum numerum, si ob auctam eorumdem stipem impares facultates tanto sint oneri sustinendo. Licet enim detrimenti aliquid, ac damni adsignatos fundos absque Beneficiariorum, vel Administratorum vitio accepisse contigerit, non exinde Missas minuere fas est pro lubitu, sed vel ab Apostolica Sede, vel ab iis, qui ab eadem eam potestatem assequuti sunt, uti nobis toto Visitationis tempore tributum est, talis est facultas postulanda (6). Ceterum

(1) *S.C.C. in Atriensi 18.Aug.1628.*

(2) *Ex cit. Const.* Nuper. §. Eleemosynas. *et ex decr. cit. ad dub. 10.*

(3) *Bened. XIV. de Syn. Lib.12. cap. 7. §. 4.5. et lib. 13., cap. ult. §. 12-*

(4) *Innocent. XII. const.* Nuper. §. ad haec.

(5) *S. C. C. Macerat. 14. Apr. 1585. et 14. Maji 1729. et in Derthonen. 6. Jul. 1726. Bened. XIV. Inst. Eccl. 56.*

(6) *S.C.C. de mandato Urbani VIII. 25. Jun. 1625.*

mandatis Sacrae Congregationis Concilii obsequentes (1) universos admonitos volumus, ne data opera suo munere desint, qui sacrificandi onere aliquo tenentur, ea spe ducti, sibi ab Apostolica Sede omissa Sacra condonatum iri, vel pertenui impensa a Reverenda Fabrica absolutionem sibi fore impertiendam. Noverint quippe, eam omnino conditionem gratiis id genus imponi, *dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur.* Quibus itaque impositum sacrificandi officium est sive beneficii jure, sive mercedis, horum nemo negligentem se gerere audeat, aut contumacem ea in muneris parte: qua quisque die, qua hora, quodve ad Altare divinum sacrificium sibi faciendum sit, noscant omnes, illudque ibidem operentur. Animam meminerint ex Dei testimonio exterminatum iri, quae sacrificium Domino non obtulit tempore suo (2). Horreant turpissimum, quod patrarent, piaculum, si eorum voluntatem contemnant, qui bona, pecuniasque donarunt, legaruntve, ut per sacrificia Deo sibi propitiato poena, incendioque ignis purgatorii leventur. Sciant cuncta ex eorumdem sententia peragenda esse, ac nonnisi facta per nos auctoritate ab ipsorum praescripto vel minimum secedere, fas esse.

XXV. Quare qui Capellas obtinent, quibus quotidiana Missarum celebratio debetur vel per se, vel per alium, nulla unquam die ab eo officio cessare possunt, sed alienam etiam ad id operam adhibeant, nisi fortassis ex ipsarum institutione aliud juris constitutum sit. Qui vero ipsi exsolvere jubentur, possunt justa aliqua de causa ad breve tempus a perlitando vacare, quin alteri suum debeant munus delegare: quoties vero rem faciant, neque pro se, neque pro aliis offerre hostiam liberum eisdem erit, quam semper pro auctore Capellae dedicare debent (3).

XXVI. Si qua bona mobilia cum perpetuo onere Missarum legata sint, veneant statim majori, quo possit, pretio, quod una cum qualibet pecuniae vi in eumdem finem legata intra triduum penes Montem pietatis deponatur, ut mox per eam vel annui census, vel bona stabilia coemantur, relato in tabulas onere imposito, ne cui fraus injiciatur, aut detrimentum. Sacris interdicuntur, qui desides ad id officii se gerant (4).

XXVII. Verum ut de legatorum ratione nullo unquam tempore memoria pereat, prostent in Sacrariis tabellae nostra manu obsigna-

(1) *S. C. C. 25. Nov. 1667.*
(2) *Numer. 9. 13.*
(3) *Cap.* Significatum. *de Praebendis... S.C.C. in Collen... 18. Sept. 1683.*
(4) *Ex Const.* Nuper. *relata in Append. num. 9.*

tae, quae Missas contineant, et anniversaria sacra, et quo quaeque die, quo in Altari, quo ritu, et si ea etiam praefinita sit, qua hora facienda, persolvendaque sunt ex lege ab rei auctore praescripta, publicis etiam adnotatis tabulis, in quas institutio relata est (1). Adsint in Sacrariis libri bene comparati tum pro perpetuis, tum pro adventitiis Missis, ut ibidem juxta habitam intentionem unusquisque, qua die sacrum fecit, factum id a se sua manu exaret. A re divina eos prohibemus, qui dolo malo hisce in codicibus Missas falso describerent, quas alia penitus mente peregere. Viros interea prudentia, ac probitate commendatos adsciscemus, qui libros Missarum quotannis conspiciant, ut de praescripta ipsarum celebratione cognoscant accuratissime, deque eadem referant ad Vicarium nostrum Generalem, ut si quem negligentia, aut dolo officio suo satis non fecisse deprehendat, quae in rem esse dignoscat, praecipiat (2). Mandamus praeterea singulis Ecclesiarum curatoribus, poena excommunicationis constituta, ut infra sex menses ab edita hac Synodo referant in acta, quae Missae celebrari praetermittantur, tum quae bona oneribus earumdem graventur, quorum denique vitio id contingat (3).

XXVIII. Tandem Sacerdotes monemus, ut divinum Sacrificium tum ea, qua oportet, religione, ac sanctitate, tum saepe, imo nisi justa aliqua causa praepediti sint, diebus singulis, vel saltem diebus Dominicis, et Festis faciant (4). Absit, eam nos probatissimis dioeceseos nostrae Sacerdotibus injuriam irrogare, ut eos stipe potius, quam studio pietatis permotos aras frequentare suspicemur. Eos tamen per eam, qua in admirabile Mysterium conflagrare universos oportet, fidem, venerationem, charitatem, rogamus, obtestamurque, ut munus sanctitatis plenum non pia solum mente, et ab humanis curis abducta obire adnitantur, sed ipso etiam caeremoniarum, ac rituum apparatu, et cultu caste, sancte, studioseque servato divini Mysterii magnitudinem declarent, majestatemque. Fiet inde, ut sancta ipsorum disciplina commoti alacriores, ac frequentissimi fideles populi ad sacra conveniant, animis ad ea, oculisque religiosissime intenti. Maxima exinde sibi a Deo lucra parari, omniumque bonorum Largitorem familiae suae benedicturum etiam de pinguedine terrae haud diffiteantur, si primo mane vel qui ad labores proficiscuntur, studeant interesse Sacrificio, in quo

(1) *Append P.2.N.9. Litt.Encycl.S.C.C.13. Dec. 1663.Ben XIV. de Syn.L. 13.c.25.§.4. 34.*

(2) *Ex cit. Const.* Nuper.

(3) *Lit. Encycl. S.C.C. 1663.*

(4) *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 14. de Ref.*

Dei Filius Deus et ipse pro nostris criminibus diluendis immolatur. Adsint vero ea, qua opus est, veneratione; colloquiis, omnique indecoro gestu abstineant, suoque loco consistant, qui ordini suo conveniat, neque propius, quam par est, ad Altare succedant, neque ante discedant, quam Evangelium, quod ultimum pronunciatur, Sacerdos absolverit. Haec Parochi, aliique fidelibus erudiendis praepositi urgeant, haec hortentur, haec moneant, ut in dies magis invalescat in tanti frequentatione Mysterii una omnium fides, pietas, religio..

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Noscens Deus figmentum nostrum, et recordatus, quoniam pulvis sumus, quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est nostri: quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras (1): animo ad pietatem incenso clamamus cum Davide, de Poenitentiae Sacramento tractaturi, per quam altera veluti tabula nobis amantissime proponitur, ut qui amissa innocentia, quam per Baptismum adepti eramus, naufragium fecimus, ea arrepta evadamus in tutum, et cum Deo a nobis ob peccata alienato redeamus feliciter in gratiam (2). *Impossibile equidem videbatur*, inquiebat Ambrosius, *per Poenitentiam peccata dimitti: concessit hoc tamen Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est, factumque est possibile, quod impossiblle videbatur* (3). Cum itaque divinum hoc peccata remittendi ministerium caste, religiose, sancteque procurari, summa sit contentione enitendum, ne falsa illa poenitentia exurgat, quam tantopere Patres Lateranensis 11. Concilii perdoluere (4), complura ex sacrorum Canonum jure decerni visum est, quibus et eorum, qui ad poenitentiam accedant, saluti consulatur, et cuncta, quae ab utiliori ejusdem administratione abhorreant, pro rei necessitate dispellantur.

I. Cum ordinis, et jurisdictionis potestatem necessario requirat ministerium hujus sacramenti, meminerint Sacerdotes e Religiosorum quoque familiis, se non posse, nisi ex nostro permissu saecularium quorumlibet, licet Sacerdotum, confessiones audire, etiamsi de venialibus peccatis res sit, quae nimirum mortem non afferunt, nec Dei gratia dejiciunt, vel de mortiferis criminibus,

(1) *Ps. 10. 2. 14.*

(2) *S. Hieronym. Ep. ad Pammach.*

§. 6. ... *Conc. Trid. Sess. 19. Cap. 2.*

(3) *S. Ambr. Lib. 2. de Poenit. cap. 2.*

(4) *Conc. Lateran. 11. can. 22.*

quorum alias absolutio fuerit accepta (1). Praeter enim gravissimum, quo se obstringerent, flagitium poena excommunicationis tenerentur (2), atque irrita esset absolutio, quam iidem impartiti forent (3). Opus quippe est Ministro, per quem et conferatur gratia, et feratur sententia, quae tantum valet in eos irrogata, qui judicis jurisdictioni obnoxii sunt (4). Parochi vero cum animarum curae praeficiuntur, item et Canonici Poenitentiarii, sui officii jure obtinent hanc potestatem (5). Decet demum quam maxime Sacerdotes confessionem audituros Praefectum Ecclesiae, in qua illo sunt munere functuri, de assensu officiose flagitare (6).

II. Meditentur autem, qui ad id officii adsciscuntur, qua vitae laude, qua religionis, fidei, innocentiae opinione commendari debeant, et qua etiam rerum doctrina praestent, oporteat, ut dispicere, ac dijudicare possint discrimina peccatorum. Nos certe, nonnisi experimento coram nobis facto, neminem vel Saecularem, vel Regularem tanti Sacramenti administrum eligemus: primo autem a tributa facultate anno exacto periculum iterum coram nobis eos facere mandamus., ut quos gravissimo muneri aptos experti simus, iterum eadem facultate donemus (7).

III. Cum vero haec ab Episcopis data potestas ab ipsorum pendeat arbitrio, qui possunt suo lubitu tantum in certos homines, atque in certa crimina eamdem concedere, videant Confessores, qua sint facultate praediti, neque sibi ultra quam concessum est, sumant (8). Hinc nisi quis nominatim in id adlegatur, Monialium, foeminarumque in Monasteriis degentium confessiones audire, fas est nemini: imo et qui Confessor datus est uni Monasterio, non exinde pro altero Coenobio probatum se arbitretur. Huc spectant atrociora quaedam crimina in fine hujusce capitis descripta, quae ad Ecclesiasticae disciplinae rationem (9) cognoscenda, vindicanda, ac di-

(1) *Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 7.... Prop. 13. 16. ex damnat. ab Alexandro VII.*

(2) *Greg. XV. Const.* Inscrutabili ... *S. C. C. in Neapolitana 14. Ap. 1646.*

(3) *Conc. Trid. sess. 14. Cap. 6. can. 9.*

(4) *Christianopulus in opere: Delle assoluzioni ne' casi riservati C. 2. §. 3. 109.*

(5) *Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de Ref.... Legantur Const. Pii IV.* In Principis Apostolorum. *Urbani VIII:* Cum sicut accepimus. *Alexandri VII. Const. 120. die 24. Sept. 1665.*

(6) *Ex Decreto plurium Synodorum.*

(7) *Ex Bened. XIV. Instit. Eccl. 86.*

(8) *Innocent. XIII. Const.* Apostolici Ministerii *1723.*

(9) *Conc. Trid. sess. 14. Cap. 7 Can. 81....Legatur Blaschins diss. 2. de Poen. S. Carolus Conc. Prov. III. et V. de Poen.*

mittenda nobis reservamus, dempta Confessori cuilibet nostrarum dioecesium tam Saeculari, quam Regulari facultate absolvendi ab iisdem. Quod si quis absolutionem ab iisdem auserit impartiri, excepto mortis articulo, praeter quam quod irrita esset absolutio, excommunicationis poena ipso facto teneretur, privationem beneficiorum subiret, atque officiorum, et impar evaderet ad ea obtinenda, neque ab alio praeter Romanum Pontificem hasce poenas sibi relaxari posse meminerit (1). Idem de casibus S. Sedi reservatis jus est, ad quos relaxandos si quando facultas postulanda sit, modum accipiant Confessores ab iis, quae de ea re in Appendice attulimus (2). Certum demum est, *habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis absolvere posse* (3).

IV. Hic vero speciatim adnotatum volumus, nihil ex Ecclesiae auctoritate excipi, a quo quivis Sacerdos, licet nondum ad audiendas Confessiones probatus, absolvere aegrotos in mortis periculo versantes non possit (4). Moneat eos tamen, si a censuris ipsos absolverit, ut si convaluerint, absolutionem petant ab excommunicationis vinculo ab iis, quibus ejus impertiendae jus est; eo quippe se iterum implicitum iri meminerint, si vel id praestare abnuerint, vel longius, ac par sit, differant suam in id fidem liberare (5).

V. Adempta a Pontificibus omnis facultas est Confessoribus ad eos absolvendos, quos sceleris adversus sextum decalogi praeceptum socios secum, participesque, seu *complices* habuerint. Hinc praeter excommunicationis, quam incurrerent, poenam, si eos absolvere auderent, nulla esset hujuscemodi absolutionis vis, etiam tempore Jubilaei, nisi fortassis in mortis discrimine versaretur poenitens, nec alius adesset Sacerdos etiam nondum adprobatus, qui ipsius confessionem audiret, quin vel Confessori infàmia irrogetur, vel scandalum exinde, et offensio ceteris impendeat: at si Confessarius sine necessitate, quam vitare poterat, vel conficto idcirco scandalo, vel infamiae metu ex industria suscepto, complicem in mortis periculo constitutum absolverit, ipse excommunicatum quidem se esse sciat, verum suam efficientiam absolutio non amitteret (6).

(1) *Bened. XIV. de Syn. Lib. 5. §. 6. 109. Item in Brevi* Pius §. 3.... *S. C. C. Colonien. 1720. . . S. C. Ep. et Reg. sub Clem. VIII. 1601.... sub Paulo V. 1617. ... sub. Urbano VIII. 1628.*

(2) *Appen. P. 2. N. 44.*

(3) *Clemens X. Const* Supernae §. 7.

(4) *Conc. Trid. loc. cit.. Melchior. Canus de Poenit. par. 9.*

(5) *Cap.* Eos qui . 22. *de Sent. excomm. in 6.*

(6) *Legantur Const. Benedicti XIV.* Sacramentum Poenitentiae, *ejusque declaratio*, Apostolici muneris. *in Append. P. 2. N. 13. 14.*

VI. Functuri itaque hoc officio cogitent, non hominis se judicium, sed Dei exercere, partesque et Judicis, et Doctoris, et Medici sustinere: eam idcirco afferant animi innocentiam, eamque morum integritatem, ea pietatis, et religionis ornamenta, eam demum doctrinae, patientiae, comitatis, ac prudentiae laudem, quae viros decet abluendis Dominico sanguine animis intentos. Deo proinde pia se precatione commendent (1) ut mittat *sedium suarum assistricem sapientiam, quae secum sit, secumque laboret* (2). Caveant, vero ne *privatis suis opinionibus nimis adhaereant* (3), nec eos pudeat, ubi rem audiant, quae dubitationem injiciat, sumere tempus ad cogitandum, ut interim et probatos viros opportune consulant, et *plures etiam Scriptores examinent, qui magis inter ceteros praedicantur, eas demum partes suscepturi, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent* (4). Hinc habeant in manibus libros de morum Theologia omnium consensione commendatissimos, quos pervolvant adsidue, intentoque studio, unumque connitantur sapere in unitate spiritus, ne ex opinionum varietate, ac partium impetu a veritate cognoscenda, tenendaque infeliciter abducantur. Hoc nos consilio documenta ab Antistitum sanctissimorum operibus Caroli Borromaei, et Francisci Salesii, atque Alphonsi Ligorii excerpta, quibus universam de Sacramento hoc rite administrando rationem complexi sumus, in commentarium retulimus, quod in Cleri nostri commodum edendum curavimus, illudque statis Cleri congressibus quotannis legi discupimus (5).

VII. Eam exinde sententiarum consensionem habitum iri confidimus, quam tantopere animarum moderatoribus Beatus Leonardus a Portu Mauritio commendavit, edito in eum finem libro, quem nocturna diurnaque manu versandum proponimus (6). Praestaret idcirco, bis in annos singulos universos Parochos, et Confessores in Quadragesima, et in mense Julio coram Vicario nostro Generali, vel coram Vicariis Foraneis certis horis convenire, ut collatis consiliis decernant, quae ad populum in semitis justitiae traducendum, et ad abusus, qui invaluerint, compescendos, atque ad rectam animorum curationem noverint expedire. Referant Vicarii Foranei de habito congressu, et de latis in eo sententiis.

(1) *Extant preces a Confessoribus recitandae in Append. P. 2. N. 22.*

(2) *Sap. 6. 4. 10.*

(3) *Bened. XIV. Const.* Vix pervenit. § *8.*

(4) *Bened. XIV. Const. cit. item in Const.* Apostolica §. 21.

(5) *Avvertimenti per degnamente amministrare il Sagramento della Penitenza &c. Roma 1815.*

(6) *In opere, cui titulus:* Sacra lega &c.

VIII. Animadvertant autem sedulo, qui in hujusce Sacramenti administros electi, Doctores, et Judices divina potestate sunt positi, quis ligandus sit, quisve solvendus (1), ne ipsorum vitio turbatam ingemiscamus Ecclesiam falsa Fidelium poenitentia. Primo itaque rudes, et ignaros rerum, quas necessarias vocitamus *necessitate medii* (2) impares absolutioni excipiendae edicimus, quam si quis iisdem impertiri auserit, irritam eam sciant esse ex Ecclesiae jure (3). Quos pariter non ita affectos intelligant, ut peccasse vere eos, et ex animo poeniteat, nec secedere in posterum a peccatis destinasse, et facultate imo peccandi, occasioneque prompta, assiduaque libere versari, hos sane benigne admonitos, jussosque redire paratiores, dimittant, iisque absolvendis abstineant, nisi eos poenitentiae studium diuturna constantia roborasse, atque in proposito, susceptoque consilio noverint permanere. Hoc utique faciant judicium, quin tamen diligere desinant misericordiam (4), cum iis, qui in eam flagitiorum consuetudinem venere, ut non eos pigeat iisdem misere insordescere, vel qui nefario contractuum, pactorumque genere student in ceterorum perniciem rem suam augere, vel qui cum ejus rei facultatem habeant, reddere abnuunt, quae dolo malo adepti sunt, vel qui odium in alterum conceptum jamdiu continent, seque implacabiles eidem, atque inexorabiles praebent, vel qui ludis, aleis, otio torpentes, per ganeas, et cauponas, cuncta liguriunt, helluanturque, ac si abdomini potius nati essent, quam religioni, et pietati. His addas molles, effoeminatos, et amoribus deditos, quorum effusam in omni intemperantia libidinem animadvertant, de quibus propositiones recordentur a Romanis Pontificibus damnatas (5). Caveant, ne *facilitate veniae*, quae *incentivum tribueret delinquendi* (6) *consuant pulvillos sub omni cubito manus, faciantque cervicalia sub capite universae aetatis* (7). *Grandi plagae alta, et prolixa opus est medicina*, clamat Ambrosius, *et majora crimina majoribus abluenda sunt fletibus* (8).

IX. Infirmi attamen facti cum infirmis aequo illos animo, atque ad omnem patientiam obfirmato auscultent, eosque spe veniae susten-

(1) *S. Hieron. in Math. c. 16.*

(2) *Vid. sup. P. 1. Cap. 1. §. 4.*

(3) *Bened. XIV. Const.* Etsi minime .. *Vid. prop. 64. 68. inter damnatas ab Innocent. XI.*

(4) *Michaeas 6. 8.*

(5) *Prop. 60. & seq. inter damnatas ab Innocentio XI. Legat. Rit. Rom. de Poenit. Tit.* Ordo ministr. §. videat.

(6) *S. Aug. Enarr. in Ps. 118. Serm. 8. §. 26.*

(7) *Ezech. 13. 18.*

(8) *S. Ambros. de Lapsis Virg. Cap. 8. . . . . . item Lib. 1. de Poenit. Cap. 3.*

tent, ut fidentius omnia, quibus convicti sunt, flagitia vel atrociora fateantur. Induti viscera misericordiae, turpitudinem retegant peccatorum: magnificentque etiam misericordiam Dei, qui cor contritum, et humiliatum non despiciet. Differant quidem absolutionem, ubi rei ratio id postulet: videant vero, eos verbis compellamus S. Ambrosii, *ne reconciliationis faciant moram, quam non facit Pater Coelestis* (1), *qui uti omnibus delictis poenam per judicium destinavit, ita et veniam per poenitentiam spopondit* (2). Horreant in ministerium indulgentiae cooptati, sua asperitate, ac feritate a tam salutari sacramento quempiam alienari, neque in fraudem, erroremque abduci se patiantur nefaria quadam doctrinarum peste, quibus purioris pietatis specie, ac severioris disciplinae fuco, *de dissipandis magis, quam pascendis ovibus idonea*(3) documenta traduntur. Augustinum audiant, a quo admonemur, *non tam considerandam esse mensuram temporis, quam doloris* (4), eamque tenendam disciplinae rationem, ut *neque de cujusquam correctione desperetur, neque cuiquam poenitendi aditus intercludatur* (5).

X. Ceterum probe calleant Confessores, quae adversus sacrilegum, impurumque tanti Sacramenti abusum decreta sunt, quidque de onere denunciationis edocendi sint Poenitentes, si per impietatis portentum a Confessore Christi ipsius personam gerente sollicitati erint *ad inhonesta, et turpia verbis, signis, nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut postea legendam, vel in actu sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut praetextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, etiamsi sollicitans Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Poenitentem mutua fuerit, sive Poenitens consenserit sollicitationi, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem effluxerit, aut sollicitatio a Confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit* (6). Edicant, rem infra mensem denunciandam esse coram Inquisitionis Administris, vel coram iis, qui facultate ad eas denunciationes rite excipiendas fuerint donati, ne anathemate majori ipso facto obstringantur, si ultra id temporis silentio rem celent: neque eos absolutos

(1) *S. Ambr. in Luc. Lib. 7. §. 244.*
(2) *Tertull. de Poenit. Cap. 4.*
(3) *Concil. Colon. Can. 33.*
(4) *Enchirid Cap. 65.*
(5) *S. Aug. de mendacio Cap. 13.*
(6) *Ex const. Bened XIV.* Sacramentum.

dimittant, nisi tali obligationi satisfecerint, vel saltem spoponderint, se se, ubi primum copia fuerit, satisfacturos fore. *Si vero audierint, aliquas improbas personas vel odio, vel ira, vel alia indigna caussa commotas, vel aliorum suasionibus, promissis, blanditiis, seu minis incitatas, tremendo Dei judicio posthabito, falso insimulasse sollicitationis innoxios Sacerdotes, sciant, tam ipsos falso denunciantes, quam eos, qui sceleste eam calumniam ab aliis faciendam procuraverint, a nemine, praeterquam a Romano Pontifice, excepto mortis articulo, absolvi posse* (1). Verum quae a Pontificibus de ea re, vel a Sacris Congregationibus cauta sunt, de ratione praesertim, qua id genus denunciationes excipiendae sunt, ac de lege, qua Sacramentale silentium in iis custodiendum est, edi in Appendice curavimus, ut omnibus ad manus sint; neque enim liberum nobis erit, quemquam ad tale ministerium probare, a quo hujusmodi Constitutiones non fuerint perlectae, ipsarumque potiora praecepta memoriae commendata (2).

XI. Huc spectant leges, quibus vetantur Confessores a Poenitentibus ullo modo exposcere, ut criminis socios edant, quorum imo nomina cavendum est, ut ne per conjecturam quidem Confessor assequatur. *Scandalosum* sane, *et proscriptum, ac tam famae Proximorum, quam ipsi Sacramento injuriosum* asseruit Benedictus XIV. illorum morem, qui nonnisi iisdem patefactis, absolutionem impertiantur (3). Est quidem Confessorum munus eam de peccatis cognitionem adipisci, ut et eorum genera possint distinguere, et quae pro cujusque status, ordinis, aetatis, ingenii ratione gravia, quae levia sint, apprime internoscere, cunctaque pensitare, quae ipsorum pravitatem augeant, vel elevent culpam. Hinc *Poenitens interrogari prudenter* oportet, quando praesertim *numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit* (4) et imo *teneri Confessorem*, docet Benedictus XIV. *monitis, et interrogationibus Poenitenti opem ferre, quamvis inde ipsius tristitiam sequuturam agnoscat, si Poenitens aut crimina ignoret, quae tamen nosse debet, aut in iis versetur facti circumstantiis, quae Confessario dissimulante peccatorem in pravo opere obfirment non sine aliorum scandalo* (5). Ast tute admodum, caute, prudenter-

(1) *Const. cit.* §. 3.

(2) *Append. P.* 2. *N.* 13. 14. 15. 18. 19. 20. 21.

(3) *Ex const. Bened. XIV.* Suprema. *Item altera ejussem Pontificis* Ubi primum: *item altera* Ad eradicandum.. *Vid. Append. P.* 2. *N.* 13.

(4) *Rit. Rom. de Sacram. Poenitent. Tit.* Ordo ministrandi. §. si Poenitens.

(5) *Bened. XIV. Const.* Apostolica §. 20.

que faciendum id est, praesertim cum foeminis, et pueris, ne liberiori, ac minus severa percunctatione non tam elicere peccata, quam commonstrare videantur.

XII. In hujusce vero Sacramenti tractatione nihil ipsi quaerant aliud, nisi ut errantes animos ad rectum salutis iter omni ratione reducant. Eos proinde cum metu poenarum, tum Dei summe boni consideratione, in quem peccarunt, ad dolorem incitent, tum magnitudine divinae clementiae solentur, erigantque: atque exinde ad mutationem morum, et ad melioris vitae amorem commotis poenitentiam pro gravitate, ac modo facinorum, ductaque cujusque ingenii, aetatis, sexus, vitae ratione opportune praefiniant, qua *et praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem, et novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum* adnitantur conferre. Caveant proinde juxta Tridentini Concilii monita, *ne alienorum peccatorum participes efficiantur, si forte indulgentius cum Poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo* (1). Severitatem meminerint poenalium Canonum, quibus vetusta Ecclesiae disciplina in peccatores animadvertebat (2), indulgentiamque Matris amantissimae, quae ab iisdem in praesentia ediceodis abstinet, commonstrent, denique operam quam lenissime, ut victi iidem, pacatique discedant, suam ipsi culpam agnoscentes, gravioremque ultro sibi castigationem irrogaturi. Decet vero quammaxime, in poenitentia imponenda id sequi in primis, ut noxae respondeat animadversio, et in suo quisque vitio plectatur, eaque ad Poenitentis voluntatem solerter accomodetur, ne invito quispiam, ac repugnanti animo ad eam subeundam pertrahatur.

XIII. Cum autem omnis continuo hebescat Confessoris auctoritas, majestasque illa parentis, ac judicis delabatur, ubi vel sordidi quaestus, vel ambitus, vel humanae cujuspiam rationis suspicio succedat, vetantur Confessores quidquam vel sponte oblatum ex ministerii caussa accipere, vel eleemosynas, aut pecunias sibi a Poenitente corrogare, vel apud ipsum de ullo suo, suorumque honore, et commodo urgere, vel etiam pro Ecclesiae suae lucris instare, eique addicenda curare, quae fortassis ad redimenda peccata impendi praescripserint, aut demum sepulturae in eadem electionem insinuare (3). Imo hec tradendae alienae rei, quae ablata fuerat,

(1) *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 8.*

(2) *Relati sunt Canones Poenitentiales in Append. P. 2. N. 17. Eos perlegi discupimus ab Confessoribus, ut opportune exinde ad poenitentiam inflamment peccatores.*

(3) *Cap.* Animarum. *De Sepulturis in 6.... Cap.* Cupientes *de Poenis... Clementin.* Cum liberum *de Sepulturis Vide infra Part. 3. cap 8.*

negotium ipsi suscipiant, nisi gravis caussa id postulet; tum vero de reddita re acceptilationem exquirent, ut Poenitenti praebeant, vel si de rei Domino haud constet, et summa viginti julios excedat, ad nos, seu Vicarios nostros eam deferant, ut in pios, salubrioresque usus erogetur (1). Poenas graviores repetemus, atque a ministerio, sacrisve arcebimus, si quos delatas ad se in eum finem pecunias perperam intervertisse noverimus, vel sibi retinuisse.

XIV. Sermones de rebus a Sacramento alienis, quae ad aeternam animorum salutem non pertineant, conferre in Confessionali sede cum Poenitentibus, consilia de re domestica, aliisque id genus negotiis postulare eo loci, aut praebere, item poenitentes prohibere, ne alterum animi moderatorem usquam adeant, segnem denique petentibus operam praestare, vel adeuntes gravate, moroseque, et oscitanter audire, vel aspere, atque injucunde rejicere, nec suae diligentiae, benevolentiaeque studium omnibus probare, eos dedecet, qui animorum curatione suscepta reconciliationis ministri sunt dati. Hic vero silentii religionem, quo premenda omnia, obruendaque sunt, naturali jure, divino, et ecclesiastico commendatam, atque cum praesenti etiam mortis discrimine, sancte, inviolate, perpetuoque custodiendam conclamamus. Hinc videant, ne confessionem audientes, ullum promant gestu, suspiriis, ore, vultu, tota denique actione corporis, indicium, suspicionemve ullam de facinorum, quae sibi patefiunt, gravitate (2). Satius proinde erit absolutionis verba ita pronunciare, ut ab iis, qui circumstant, non audiantur, ne si ea denegetur, id ceteris manifestum sit.

XV. Confessiones alibi, quam in Ecclesia audire, maxime foeminarum, nefas sit, nisi quis valetudine praepeditus domo exire nequeat (2): ac tum si foemina audienda sit, pateant cubiculi fores, ut aspici ab his possint, qui in proximo conclavi observant; mulieres nec in Ecclesia ante solis ortum, vel post occasum admittantur ad Confessionem (3): item nunquam extra confessionalem sedem, vel ex antica ipsius parte (4). Confessores vel manu, vel interjecto sudariolo mutuum poenitentium aspectum effugiant, quando poenitens non sistat ad crates Sedis.

(1) *S. C. C. in Derthonen. 6. Julii 1647.... Bened. XIV. de Syn. Lib. 5. cap. 5. §. 8.... Item Instit. 92..... S. Carol. in Instruct. Confessar.*

(2) *Can.* Omnes utriusque sexus *de Poenit. et remission.... S. Thom. in Supplem. Q. 11. Art. 2.*

(3) *Extat Decretum S. C. Episcoporum, et Reg. in Append. P. 2. N. 23.*

(4) *Ep. Encycl. S. C. S. Offic. 14. Dec. 1604. in App. P. 2. N. 24.... S. C. Ep. Patavin. 21. Jan. 1620..... Item in Colon. 18. Dec. 1643.*

XVI. Sint conspicuis in Aedium locis confessionales sedes ab anteriore dumtaxat parte apertae, in qua tamen ostiolo occludantur, ne quis ibidem consideat, quando abest Confessor (1). Sit ad latera fenestella, quae per ferream laminam muniatur clavis firmiter confixam, crebrisque, et parvis foraminibus perterebratam. Promineat Crux in sedis fronte: sit praeterea imago Christi Cruci affixi, Poenitentis oculis conspectanda, meditandaque, quando ibidem flexo genu consistit. Bulla, quae publicatur in die Coenae Domini, et index casuum nobis reservatorum, prostent in tabulis, quae Confessoris latera tegunt (2). Servetur, quoad fieri possit, haec forma iis etiam sedibus, quae celebrioribus diebus opere subitario apponuntur: id de iis cautum in primis sit, ut crates ibidem constituantur, et spatium medium secetur tabula inter Confessorem, et Poenitentem. Sacerdos auditurus confessiones veste ad talos demissa utatur, superpelliceo, et stola (3). Regulares vero cum stola sint in habitu Ordinis, quem inChoro adhibent.

XVII. Nunquam facultatem a Poenitentibus extorqueant ad res per Confessionem acceptas alteri significandas: perraro, ac nonnisi ex necessitate, eam vel sponte oblatam adhibeant, eaque prudentia, cautione, solertia id agant, ut nunquam suspicari quis possit, ipsos ex sacramentali arcano disserere. Scrupulos, ineptias, anxietates, haesitationes, in Confessione auditas nunquam referant, etiam tacito nomine, ne forte Poenitens de violato ab ipsis silentio expostulari possit, atque exinde minus tuto conscientiam aperire se posse pertimescat. Quod si forte ne quid detrimenti respublica capiat ex hominum perditorum conjuratione, vel ex alio quopiam labis genere, quae in eam impendeat, necessario crimen retegendum esse deprehendat Confessor, poterit Poenitentem adigere, ut sive per se, sive per alium, sive etiam data sibi in id facultate, de periculo admonendos curet, quorum interest (4).

XVIII. Nos iterum Parochos, Confessores, aliosque omnes, quibus ceterorum cura est, hortamur, obtestamurque, ut pientissimam, et maxime ad sese in officio continendos necessariam consuetudinem inculcent omnibus hoc se Sacramento quam creberrime procurandi, quod certe absque praesentissimo perennis salutis discrimine non omitterent, quando gravioris delicti conscientia convictos se noverint, si praesertim in morbum inciderint. Medicos monemus omni, qua

(1) *Syn. Velit. Card. Cybo Tit. 13. §. 4.*

(2) *Ex omn. Synod. Decret.*

(3) *Syn. R.P.D.Baptistellii Cap. 4. §. 6.... Barruffald. Tit. 18. §. 1. seq.*

(4) *Syn. Tuscul. Card. Eboracen. P. 3. Cap. 10. §. 3.*

possumus, contentione, ut Pii V. constitutionem, et quae sacramenti religione polliciti sunt, ob oculos habeant: advocati nimirum ad aegrotantium curam, eos primo admoneant de Confessione, eosque nisi peccata infra triduum rite confessos noverint, non adeant in posterum, neve curent. Extant in Appendice leges de ea re illustriores (1). Hinc Confessores jubemus, ut quando primo aegroti confessionem audierint, scriptum relinquant de ea testimonium Parocho, et Medico exhibendum (2). Pueros, ubi primum de aeterna salute deliberandi, et bonum, malumque dignoscendi vim adepti fuerint, necessitate confitendi peccata omnino adstringi edicimus. Parentes, tutores, Parochi in id vigilent sedulo, neque hoc, quod de recta puerorum institutione maximum est praeceptum, in summam animoruum perniciem contemni, ac perfringi patiantur.

XIX. Hisce de Poenitentiae sacramento rite administrando, ac suscipiendo explicatis, tabulam proponimus, qua crimina designantur, a quibus nonnisi per Confessores opportuna a nobis facultate instructos, absolvi quempiam interdicimus. Collatis cum primoribus e Clero consiliis Tabulas perpendimus diligentissime, quas Praecessores Nostri praefinivere, et exinde novam disposuimus, prout temdorum ratio postulare videbatur. Tridentinis Patribus hoc pacto obsequutos nos esse confidimus, qui talem Episcopis curam summopere commendarunt, quae certe ad Christiani Populi disciplinam pertinet quam quod maxime (3). Inde enim audaciae eorum, qui gravioribus se sceleribus tradunt, ac procaciori peccandi licentiae fraenum opportune injectum iri, vel ex prisco more censuit Ecclesia (4).

TABULA CASUUM RESERVATORUM

I. Blasphemia haereticalis, ea scilicet, quae cum errore intellectus minime conjungitur, qui si adsit, Sedi Apostolicae est reservata.

II. Invocatio Doemonis expressa ad aliquid obtinendum. Maleficium quodcumque. Superstitio quaelibet, quae admittatur cum verborum, aut rerum sacrarum abusu.

III. Percussio Patris, aut Matris.

(1) *Append. P. 2. Num. 28.... Legatur Const. S. Pii. V.* Super Gregem. *1556.... Bened. XIV. Inst. 22.*

(2) *S. C. Ep. 1. Jul. 1606.... in Anconitan. 6. Octobr. 1645.... S. C. C. Agnon. 19. Maji 1708.... Clem. X. Const.* Superna §. Ad haec.

(3) *Sess. 14. Cap. 7.*

(4) *Marten. de antiq. Eccl. rit. L. 1. c. 6. art. 6. §. 6. vid. Bolgen. della vera idea della S. Sede §. 133. 134.*

IV. Homicidium voluntarium , quod committatur, aut imperetur : tum abortus foetus vel animati, vel inanimati de industria procuratus : item consilium, vel auxilium, quod positive ad haec praestetur. Id et de propinantibus potiones cautum sit , vel alia quaelibet, ut quis moriatur, vel morbo tabescat, vel mente deficiat, aut insaniat. Effectus sequutus sit, oportet, ut crimina hic adnotata reservatis accenseantur .

V. Detentio infantum anno minorum in eodem lectulo sine repagulo impediente periculum suffocationis.

VI. Defloratio Virginis aut vi, aut promissione sive vera , sive ficta Matrimonii. Incestus in primo , aut secundo consaguinitatis, aut in primo affinitatis gradu, vel in cognatione spirituali . Sodomia perfecta, et imperfecta. Bestialitas. Demum copula carnalis inter sponsos ante celebrationem Matrimonii.

VII. Copula quamvis incompleta, obscoenitas tactu , osculo , amplexu, nutibus cum Filia spirituali sive ratione Sacramenti Poenitentiae , sive ratione Parochiae , quoad Confessarios respective , ceterosque Parochiale munus obeuntes ex officio . Iidem actus reservantur, si patrentur cum Judaeis, aut aliis Infidelibus.

VIII. Obscoenum quidquid est, cum Monialibus, aliisque Foeminis in Monasterio degentibus, seu coram ipsis inspectantibus, actu quocumque, nutu, verbo, scripto, internuntio, amatoria epistola, a quocumque commissum, sive attentatum.

IX. Inductio , consensus sive expressus, sive tacitus , lenocinium ad hoc, ut Uxor, seu Filia turpiter cum aliis agat, quamvis nihil turpe contingat.

X. Perjurium in judicio, et mandatum in illud, consilium, cooperatio positiva quaecumque etiam per solam scriptionem , quae scienter de falso facta sit. Item testificatio falsi contra tertium in actis edita, et mandatum, consilium, cooperatio positiva ad illam producendam.

XI. Negligentia Notarii , et eorum, qui testamentum scribunt, aut recipiunt ex jure, non denunciantium Curiae nostrae intra duos menses a die testamenti promulgati donata, legataque ad pias causas : item negligentia haeredum in legatis implendis ad sex menses producta, ubi longius in ipso testamento tempus non sit praefinitum.

XII. Supplices libellos ad Superiores omni, vel aliqua ex parte mendacia, falsasque accusationes continentes scribere, vel mittere : item libellos famae alienae detrahentes, vulgo *satire* , *cartelli*, condere, efferre, palam proponere, vel haec mandare, aut ad ea quocumque modo operam, consilium, auxilium conferre.

Animadverti porro volumus nonnulla, quae crebro in mentem revocent Confessarii, opus est.

1. Reservatio nulla est, ubi periculum mortis impendeat Poenitenti, vel is nondum pubertatis annos excesserit.

2. Facultas absolvendi a casibus reservatis Poenitentiario facta est a nobis perpetuum in modum (1). Eam et Parochis facimus, et Oeconomis ultra pervigilium, et diem festum Titularis suae cujusque Ecclesiae, a die Dominica Palmarum ad totam usque Dominicam in Albis, et a Dominica quarta Adventus ad totum Epiphaniae diem, item toto pervigilio, ac die festo tum B. Mariae Virginis Gratiarum, tum S. Clementis P. M.

3. Monemus Confessarios omnes, quoties facultatem tribuimus absolvendi ab uno, aut a pluribus casibus nobis reservatis, tribui quoque facultatem absolvendi a censuris, si quae iisdem adnexae sint, licet peculiari mentione dignae forent.

4. Monitos eos volumus, ut poenitenti pro cujusque captu reservati criminis gravitatem, foeditatemque significent: tum etiam ne quemquam absolvant, qui in nostram Dioecesim venerit in fraudem reservationis, quae in sua decreta sit (2).

5. Constitutiones Benedicti XIV. de complicibus in peccato turpi contra sextum Decalogi praeceptum non absolvendis, tum de sollicitantibus denunciandis, tum demum de nominibus complicum non inquirendis, ob oculos habeant Confessarii (3).

6. Edictum Sancti Officii recordentur, poenasque censurarum ibidem irrogatas iis omnibus, qui intra mensem a die, quo tali se sciverint adstringi obligatione, non deferant Inquisitoribus, seu Ordinario eorum nomina, quos noverint sentire, aut loqui, seu moliri aliena, vel non penitus consentientia doctrinae fidei, quam cum Petri Cathedra unice venerari, tenere, profiteri debemus.

7. Confessarii, qui scienter absolvere auserint absque facultàte a casibus, et censuris Sedi Apostolicae, vel loci Ordinariis reservatis, se incidisse meminerint in excommunicationem reservatam Summo Pontifici ex Decreto Clementis VIII. die 9. Januarii 1601.

8. Quare pervolvant crebro Confessores criminum genera, quorum Apostolica Sedes sibi reservavit absolutionem: neque ob certa quaedam privilegia olim fortassis quibusdam ex Religiosis familiis, Collegiis,

(1) *S. C. C. in Derthonen 6. Julii 1647.... Bened. XIV. de Syn. Lib. 5. Cap. 5. §. 8.*

(2) *S. C. C. in Compsana 16. Sept. 1649.... Clemens X. Const.* Superna Magni Patris.

(3) *Extant in Append. P. 2. N. 13. 14. 15. 16.*

Sodalitiis, Coetibusve collata, a Clementis VIII. Pontificis praeceptionibus secedant, qui plura de iisdem providentissime decrevit (1). Casibus, censurisque clare, vel dubie Sedi Apostolicae reservatis in Bulla Coenae descriptis relaxandis abstineant, nisi speciali in id facultate donati fuerint. Huc spectant, qui Ecclesiasticam immunitatem violarint (2), qui claustra, septaque monasteriorum sacrarum Virginum animo pravo, et in scelus affecto ingressi sint, qui duellum indicere, instituere, agere auserint (3), qui violentas manus in Clericos injecerint (4) qui simoniae scelere se devinxerint, vel etiam beneficiali confidentia ad aucupanda beneficia usi fuerint. Meminerint praeterea Confessores, se licet facultatibus generatim praeditos ad facinorum, censurarumque noxas Apostolicae Sedi reservatas remittendas, non posse ab haereseos crimine, quam extrinsecus quis prompserit, absolvere, nisi nominatim potestas in id facta sibi fuerit (5).

9. Illud insuper hoc loci adnotatum volumus de facultatibus, quas ex Apostolicae Sedis indulgentia quispiam assecutus fuerit ad Confessorem eligendum ab Episcopo probatum, qui sibi absolutionem ex reservato aliquo crimine impertiatur, non posse illas exequutioni mandari, nisi per Confessores, qui per id temporis probati per nos fuerint. Quod si iisdem certo dumtaxat personarum generi audiendo, ac stato loco, et tempore ea sit a nobis auctoritas collata, eadem quoque pro memoratis facultatibus exequendis ratio personarum, loci, ac temporis habenda est (6).

10. Confessariis denique etiam atque etiam commendamus, ut saltem quoquo biennio solitudinem dierum aliquot sequantur, quibus sese per spiritualia exercitia confirment ex methodo a S. Ignatio Loyolaeo divinitus praefinita, ut iisdem perquam diligenter exculti majorem a Patre Luminum vim, fortius robur, auxiliaque necessaria assequantur ad rite suum munus, feliciterque sustinendum. Clementis XI. ad pientissimum id operis hortamenta, et attributas indulgentias iisdem in memoriam revocamus (7): iisque id cum primis inculcamus enixissime, ut ad eas, quas suscepere, partes Judicis, Docto-

(1) *Decr. cit. 9. Januar. 1601.... His addantur alia S. Cong. Ep. decr. 6. Jan. 1617.... 18. Nov. 1618.... Item S. C. C. 10. Sept. 1572.... in Neritonen 1573.... Alexander VII. Const. 24. Sept. 1665. in prop. damnat. 12.... Clem. X. Const.* Superna ... *Ben. XIV. in Brevi* Pias Christifidelium 1752.

(2) *Greg. XIV. Const.* Cum alias.

(3) *Greg. XIV. Const.* Ad tollendum.

(4) *Can.* Si quis suadente.

(5) *Alexander VII. 23. Mart. 1656. Bened. XIV. Inst. 4. §. 15.*

(6) *Bened. XIV. Const.* Apostolica indulta.

(7) *Vid. Append. P. 4. N. 4.*

ris, et Medici animarum utiliter tuendas, multa prece, assiduo sacrae praesertim Theologiae studio, atque honestissima totius vitae ratione sese nitantur comparare.

CAPUT VII.

DE INDULGENTIIS

Nedum cessationem a peccatis, eorumque detestationem, ac Sacramentalem ipsorum confessionem saltem in voto, absolutionemque Sacerdotalem Christiani hominis poenitentia contineri, verum et satisfactionem per pia spiritualis vitae exercitia *non quidem pro poena aeterna, quae vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali, quae, ut sacrae Litterae docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur* (1) dogma catholicum est a Tridentino Concilio definitum. Indulgentiarum exinde vis, ac fructus innuitur, per quas pia mater Ecclesia facilem ex Christi, Coelitumque meritis satisfactionis modum proposuit vel ab antiquissimis temporibus (2), Apostoli Paulli exemplis edocta, qui et veniam peccati dedit, et poena solvit Corinthium, quem pridem ab Ecclesia dejecerat (3). Fuerunt sane complures perduelles a fide, aliique rerum novarum studiosi, omniaque pejorem in partem interpretantes, qui scelerata errorum commenta adversus Indulgentias obtrudere ausi sunt. His nostra aetate accessere ex Pistoriensi Conventiculo homines procaces, atque ignoratione rerum perditissimi, qui et remissionem illius dumtaxat poenitentiae, quae per canones statuta est peccantibus, per indulgentias obtineri, et ex Scholasticorum subtilitate doctrinam de thesauro meritorum Christi, et Sanctorum percrebuisse, et demum eam meritorum applicationem per summam inscitiam in Defunctos transferri, Synodali actione docuere, eosque haud puduit probris appetere, ac despectu Altarium privilegia, Indulgentiarum tabellas, aliaque id genus (4). Intonuit tamen adversus illos, deditque vocem virtutis Apostolica Sedes, ac pro ea, qua divinitus praestat, docendi auctoritate, catholicam veritatem diserte conclama-

(1) *Ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 14.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 28. Dec. de Indulgent.*

(3) *II. ad Corinth. 2. De hoc Apostoli loco vid. Chrysost. Hom. 4. in 2. ad Corinth. aliosque apud Cornel. a Lapide, qui cuncti illum de Indulgentia plenaria interpretantur. Cons. Iuvenin de Sacr. Diss. 13. Q. 1. cap. 2.*

(4) *Atti del Concilio Diocesano di Pistoja Sess. 5. Decr. della Penitenza §. 16. 17. 18. e nell' Append. N. 10.*

vit (1). Non ut foveatur Poenitentium ignavia, non ut ardor restinguatur charitatis, vel ut poenitentiae sensus elangueant, quod veteratores isti ad nauseam conqueruntur, saluberrimum Fidelibus subsidium coelesti Indulgentiarum thesauro comparatum est (2). Nostrae potius imbecillitati consultum voluit Ecclesia, ut *remissionem* exinde *poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud Divinam Iustitiam* obtineremus (3). Quare omni cura enitendum est, ut dignos poenitentiae fructus facientes, propitiatoque per preces Deo, studiis obsecundemus Ecclesiae, quae ad perennem nobis, et immarcescibilem coronam adproperandam tot, tantaque, ac parata semper, maximeque facilia adjumenta conquisivit (4). Quae quidem ut ex rei sanctitate prospere succedant, nonnulla juxta Canonum praeceptiones decerni hoc capite visum est.

I. Parochi, et qui tradendo verbo Dei adlaborant, ad quoslibet de Indulgentiis errores propulsandos, atque ad commentitias, futilesque sententias proscindendas, quibus haud raro homines rudes, ignarique imbuuntur, accurate perdiscant ex Concilio Tridentino, et ex Catechismo Romano, quaenam vere sit Indulgentiarum ratio, quae vis, qui fructus, quae leges: tum varia ipsarum genera, si nimirum qui eas assequantur, piaculo omni, statisque admissorum poenis, vel si parte potius dumtaxat poenarum exsolvantur, prout vel *plenariae* eaedem sunt, vel *partiales*: tum si pro vivis tantum juvandis, vel expiandis etiam defunctorum erratis, poenisque per modum *suffragii* sint decretae (5).

II. Hinc curae ipsis maximae sit, easdem dignoscere, ut admonere de iis opportune, et ad veritatem possint Populum, eumque ad hasce comparandas salutares opes ex aeternis divinae gratiae aerariis, quae ex Ecclesiae matris indulgentissimae auctoritate nobis patent, vehementissime incitare adnitantur. Declarent proinde, quam facile in singula fere momenta parari eaedem possint certis quibusdam precationibus, statisque pietatis operibus. Hinc singula, quae in Ecclesia qualibet adsunt id genus privilegia, probe teneant ipsarum Praefecti, indicemque eorum a nobis rite probatum in tabulas referant, quae cunctis legendae prostent conspicuo in loco (6).

(1) *Pius VI. Bulla dogmat.* Auctorem fidei. *Prop. 40. 41. 42. 43.*

(2) *Consule Card. Pallavicin. Hist. Conc. Trid. Lib. 24. cap. 11. §. 6. . . . Card. Bellarm. de Indulg. L. 1. cap. 12.* §. Ad tertium.

(3) *Cit. Bulla.* Auctorem Fidei. *Prop. 40.*

(4) *Bened. XIV. Inst. Eccl.* 23. §. 11.

(5) *Bened. XIV. Instit. Eccl. 56. §. 15. . . . item Const.* Apostolica §. 14. *item Const.* Peregrinantes §. 4.

(6) *Indicem praecipuarum indulgentiarum, quas adeuntibus per statos dies*

Prae Foribus Ecclesiae tabella ponatur, qua de plenaria Indulgentia certiores fiant Fideles. Pendeat ibidem diebus, et horis, quibus Indulgentiae jus est. Quando autem ex sollemni quopiam festo die, vel ex gravi aliqua causa peculiares Indulgentiae a Pontifice decernantur, eas Parochi ab Altari denuncient (1), doceantque, quo studio ad illas assequendas procurari animus debeat: lethalem in primis edicant animae veternum excutiendum, peccata expianda, mutandos mores, fide, spe, charitate animos inflammandos, erigendos, fovendos, propitiandum denique pietate, et religione, et justis precibus Deum. Tum demum ea explicent diligentissime, quae Apostolicis litteris praescribuntur, de sacra praesertim Confessione, de divinae Hostiae perceptione, de certis precationibus recitandis, de obligatione demum, si quae est, templum adeundi.

III. Haec praestent religiosissime ex Pontificis, qui Indulgentias decrevit, voluntate. Non enim certum Indulgentiarum fructum assequi se posse sperent, qui aliquam e constitutis conditionibus praetermiserint. Verumtamen si sacra Exomologesis imperata sit, poterit eadem praemitti die, qui Indulgentiam praecedit (2); ac si Indulgentias excipias, quae instar Jubilaei conceduntur identidem, cautum de ceteris Indulgentiis providentissime est, ut Confessio pro iis necessaria non sit, *qui frequenti peccatorum Confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, nulliusque lethalis culpae a se post peractam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sint* (3).

IV. Ne quid vero pravi moris, atque a recta disciplina alienum, nihilque ex fraude, et mendacio, vel ex superstitiosa rudium hominum opinione compositum, in re tam sancta, ac salutari invalescat, tradantur nobis, aut Vicariis nostris inspiciendae, ac legendae Indulgentiae quaelibet, ac nonnisi ex auctoritate a nobis facta a quocumque sive Saeculari, sive Religioso viro eaedem publicentur(4)

templa Dioecesis Veliternae tributas novimus, edi mandavimus in Append. P. 2. N. 27. Item potiores Indulgentias, quas liberum est cuique ex praefinitis quibusdam exercitationibus consequi, retulimus in Append. P. 2. N. 25.

(1) *Syn. Velit. Card. Cybo Tit.* 24. §. 3.

(2) *Vid. Append. P. 2. N. 26. ubi referuntur Decreta: praesertim* 1. 2.

(3) *Decr. 1763. sub Clem. XIII. App. N. 26.* §. 2.

(4) *S. C. C. Tornacen. 6. Julii* 1608. *Item in Civitatis Plebis 10. Nov.* 1680. *Vid. Fagnanum in C.* Grave. de off. Ordinarii. §. 45.. *Barbosam de Parochis Cap. 16.* §. 19.

in quem finem ex Tridentini Concilii instituto binos Canonicos Indulgentiis cognoscendis praeficiemus (1): gravissimasque poenas daturos se esse meminerint, qui falsas Indulgentias confingere auserint (2).

V. Omnem praeterea quaestus, et sordidae cupiditatis suspicionem e re sanctissima plane removendam esse, severe denunciamus. Gratuitam proinde, ac sine praemio, nullaque cum mercede earumdem probationem, promulgationemque esse volumus. Exigi pro ipsis, emendicarive eleemosynas, interdicimus; imo nec earumdem diploma eo loci proponi volumus, ubi capsa prostet, aut arcula, in quam stipes, eleemosynaeque conjiciantur (3). Concionatores, Parochos, Ecclesiarum Praefectos id monemus prae ceteris. Nihil ipsi tam detestabile, tamque pestiferum esse animadvertant, quam Sacrorum, Indulgentiarumque tractationem ad lucrum, quaestumque revocare, ex quo sane rerum sanctitati, Ministrorumque famae, et existimationi teterrima labes ab iis, qui ex adverso sunt, adspergeretur.

VI. Adnotatum hic volumus, Indulgentiarum privilegia, quae ad certum tempus sint attributa, a die, quo datum est diploma, initium sumere, non vero ab eo, quo promulgatum illud est (4); neque si festum, cujus caussa Indulgentia est decreta, transferatur, censendam esse translatam et Indulgentiam, nisi speciatim id Pontificiis litteris cautum fuerit (5): ac demum *semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri* (6), diemque ad Indulgentias assequendas praefinitum a vesperis diei praecedentis usque ad horam vigesimam quartam diei, qui sequitur, percenseri (7). Quando vero Apostolicis litteris haec descripta conditio legatur, ut nimirum *si alias Christifidelibus Ecclesiam*, quae privilegio donanda est, *quolibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, eaedem litterae nullae sint*, de Indulgentiis tantum intelligenda sunt ea verba, alias erga illos

(1) *Conc. Trid. Sess.* 21. *cap.* 9. *de Reform.*

(2) *S. C. C. Militen.* 16. *Mar.* 1630. *Vide Giraldum Exposit. Jur. Pont. Par.* 2. *Sect.* 62.

(3) *Legatur Const. S. Pii V.* Etsi dominicae. 8. *Februarii* 1567. *Item Const.* Quam plenum. 2. *Jan.* 1570... *Syn. Card. Cybo. Tit.* 24. §. 7... *Trid. Sess.* 21. *cap.* 9. *de Ref.*

(4) *Decr. S. C. Indulg.* 18. *Maji* 1711. *approbat. a Clem. XI.*

(5) *S. R. C.* 30. *Sept.* 1679. *et* 10. *Junii* 1680. *de Festo tamen Annunciationis legatur decr. S. C. Indulgent.* 2. *Julii* 1691.

(6) *S. C. Indulg. decr.* 7. *Mart.* 1678... *Bened. XIV. const.* Inter praeteritos. §. 84.

(7) *Ben. XIV. const. cit.* Inter praeteritos. §. 12.

decretis, qui in Ecclesiam illam Deo supplicatum venerint, vel Altare, aut Capellam visitaverint, nec mentio de iis in Apostolicis litteris facta sit, non vero si certis personarum coetibus; vel universis stata quaedam opera ibidem exequentibus sint concessae, vel si de Indulgentiis res sit, quae pro unica tantum vice sint collatae, vel ad supplicia stativa, seu *Stationes*, quas dicunt, vel ad septem Altarium privilegium pertineant: cum iis quippe vim novae concessionis consistere, Apostolica Sedes declaravit (1).

VII. Haec porro de quibusdam Indulgentiis nominatim in memoriam revocanda censemus, ut diligentiorem commissus nobis Grex illis comparandis det operam. Aedium Sacrarum Praefectos jubemus, ut mane sub lucem, vesperi occidente sole, et meridiano item tempore campana signum salutandi, ac venerandi Beatam Virginem detur. Item sub primam noctis horam idem repetatur signum, quo admoneantur Fideles, ad propitiandum pia obsecratione Deum animis mortuorum. Singulis item feriis sextis hora tertia post meridiem pulsetur campana repetitis, ac distinctis ictibus, quo excitentur Fideles ad Christi Domini in Cruce morientis memoriam sancte recolendam. Cunctis enim, qui audito campanae sono, genibus ad terram datis, vel statam salutationem Mariae Genetricis religiose peragant, vel animas purgatorio igne cruciatas precatione levare, ac solari adnitantur, vel in Passionis memoriam quinquies orationem dominicam, et toties salutationem angelicam recitent, complures concessere Romani Pontifices Indulgentias (2).

VIII. Has praeterea Indulgentias peculiari Sanctae Sedis benignitate Veliternae Ecclesiae tributas commemorandas ducimus. Cathedralis Basilica privilegio donata est ad septennium Indulgentiarum, quas *Stationum* nuncupant, juxta indicem per Sacram Congregationem Indulgentiis praepositam sancitum (3): signum de iis prae foribus Aedis apponi mandamus, ut cuncti supplicatum per eos dies succedant. Item uno per annum die, quem ad Festum Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi constituimus, septem per nos assignatas Ecclesias adeuntes, eorum communione bonorum fruuntur, quae in eos collata sunt, qui diligenter, et caste viserint septem Urbis templa et religione, et Pontificum Indulgentiis

(1) *S. C. Indulg. 23. Jan. 1676. in decr. approbato ab Innocent. XI. 18. Mart. 1677.*

(2) *Vid. Append. P. 2. N. 25. Bened. XIV. Const.* ad Passionis, et Agoniam.

(3) *Append. P. 2. N. 26. §. 3.*

celeberrima. Ex auctoritate demum Pontificis beneficentissimi bis in annos singulos ritu solemni Pontificiam benedictionem impertiri datum nobis est, ideoque ut frequentiores conveniant universi, publicis edictis admonitos quoslibet faciemus.

IX. Huc spectat salutaris expiatio, et indulgentia, qua pia Mater Ecclesia diem suum obeuntibus praesto est, ut aeternam ipsis beatitatem feliciter approperet. Apostolicam hanc benedictionem tribuere datum est nobis ex Pontificis maximi benignitate, ritu, coeremoniisque a Benedicto XIV. praefinitis (1). Discuperemus equidem filiolis carissimis suprema haec officia ipsi praestare, idque dum in Dioecesi immorabimur, peragere, ubi opus sit, religioni habebimus: ast cum e nostro Grege necessario divellamur, aliis hoc muneris demandavimus, quos ne segnes se in id praebeant, magnopere hortamur; excubet vero ipsorum diligentia in animo aegrotantium rite comparando ad eam utiliter suscipiendam; ad poenitentiam, charitatem, patientiam eos inflamment: spiritum meminerint a Deo acceptum, reposcenti Deo non esse invite reddendum (2). Nomina saltem super mel dulcia Jesu, et Mariae in ore habeant, et in corde, si ex morbi vi a Poenitentiae, et Eucharistiae sacramentis arceantur.

X. Sed de Indulgentiis satis sit haec decernere. Adeant, qui ceteros de iisdem edocere adiguntur, Concilium Tridentinum, Catechismum Romanum, et Constitutionem Benedicti XIV., qua universa Indulgentiarum ratio ex causa Jubilei, quod eadem indicebatur, luculentissime proposita est (3). In desiderium excitent Fideles, omnibusque studiis admoneant ad tantum sibi commodum procurandum. Piam Ecclesiae voluntatem, curasque amantissimas obsecundent, quae tanto nunc benignius cum peccantibus agit, neque tamen licentiores inde, proniorespue ad peccandum exsurgant, sed potius ad divinam misericordiam promerendam tanta ejusdem Ecclesiae comitate, indulgentiaque traducantur.

CAPUT VIII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Quamquam adversarius noster Diabolus devorare animas nostras connitatur adsidue, instructis undequaque insidiis, laqueisque

(1) *Bened. XIV. const.* Pia Mater. *Vid. in Append P. 2. N. 30.*

(2) *Nonnulla per Parochos morbo extremo laborantibus suggerenda proponimus in append. P. 2. N. 29.*

(3) *Bened. XIV. Const.* Inter praeteritos.. *Const.* Peregrinantes.. *Item de Syn. dioec. Lib. 13. cap. 18... Conc. Trid. sess. 25. in decr. de Indulgent.*

ad internecionem paratis, *nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae Misericordiae deturbandos, quam cum perspiciat impendere nobis exitum vitae* (1). Hinc Pastorum amantissimus Jesus collugendam suarum ovium imbecillitatem, fragilitatemque miseratus, firmissimo adversus immanem hostem praesidio, qui ad nos tunc temporis *descendit habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet* (2), nos roboravit per Extremae Unctionis sacramentum, quo et viribus restitutis muniamur ad victoriam, et reliquiis deletis peccatorum, puri, et integri advenienti Domino occurramus, divinaeque voluntati non repugnanter parentes, fluxae, mortalisque vitae usuram laeti relinquamus, vel ipso etiam morbo feliciter depulso, si ita saluti animae conducere divinae bonitati visum fuerit, convalescamus aliquando, et sanemur (3). Cum vero multa de hoc Sacramento decreta ab Ecclesia sint, ut recte, atque pro ipsius sanctitate praebeatur, suscipiaturque, praecipuas de eodem leges hoc capite proferri curavimus.

I. Est hujus sacramenti materia oleum ex olearum baccis expressum, manu Episcopi consecratum (4). Quotannis in die Coenae Domini nova olea Chrismatis, Catechumenorum, et Infirmorum ex prisco Ecclesiae instituto consecrantur (5), veteribus in lampadem, quae ante Sacramentum collucet, effusis (6), cinereque gossypii, quo vasa terguntur, in sacrarium projecto. E Cathedrali dumtaxat Ecclesia, in qua sollemni coeremonia vel a nobis, vel a Suffraganeo nostro consecrabuntur, nova olea petenda sunt (7). Parochi urbani, et pro iis, qui ex Dioecesi sunt, saltem Clerici majoribus ordinibus initiati ad ea accipienda accedant, ea-

(1) *Conc. Trid. Sess. 14. de Sacr. Extr. Unct.*

(2) *Apocalyps. 12. 12.*

(3) *Conc. Trid. Sess. cit. cap. 2... Eugen. IV. in decr. Unionis Armenorum.*

(4) *Conc. Trid. sess. cit. cap. 1... Juenin. de Sacram. diss. 7. Q. 3. c. 1... Marten. de antiqu. Eccles. rit. Lib. 4. cap. 22. §. 3... Bened. XIV. de Syn. Lib. 8. c. 1. §. 4.*

(5) *Can. 12. de celebr. Miss... Legatur Espenius Jus. Eccl. Par. 2. T. 3. C. 3. §. 13... Epistola Fabiani PP. de hoc disciplinae capite relata Can. 18. de consecr. dist. 3. pertinet ad falsas Isidori Decretales.*

(6) *Rit. Rom. Tit. 2. C. 1. §. 34.. Conc. Prov. IV. Mediolan. S. Caroli Par. 2.* Quae ad Sacramentum pertinent. §. Parochus.

(7) *Can. 122. et 123. de Consecr. dist. 4. Clem. VIII. Const.* Exponi nobis. *57. Vid. Passerin. de Stat. homin. Tom. 3. Qu. 189. art. 10.*

que gestent majori, qua possunt, religione, diligentia, cultuque. Quod si minores Clericos, vel etiam Laicum virum ex Ministrorum inopia quis mittat ad ea ferenda, clavem capsulae, qua eorum vascula servantur, in epistola obsignata includant, ut ea ab solo Aeditumo aperiatur (1).

II. Sint in qualibet Parochiali Ecclesia vascula sacrorum Oleorum duplicia. Alia quippe majora, argentea, vel stamnea, afferendis e Cathedrali, servandisque oleis addicuntur, eaque formam ampullarem habent, inscripto Olei nomine, quod eorum quodlibet continet. Capsula tribus distincta loculis, lignea sit, corioque extrinsecus convestita, seramque habeat, et clavem a Parocho custodiendam. Alia vero, quae iisdem ministrandis adhibentur, minora erunt, apta pollici ibidem inserendo, cum unctioni admovetur. Non fluens in iis sit oleum, sed totum, quod infusum est, hauriat, imbibatque inditus bombyx: adsit in iis etiam inscriptio nominis ad oleum, quod continent, dignoscendum; parvaque superemineat Crux. Vasculum Olei infirmorum sacculo violacei coloris circumgestetur. Munda sint vasa haec omnia, diligenterque extersa, bombyce undequaque circumsepta. In pariete circa Aram principem loculus sit, satis ornatus, tutus, claususque, serico violaceo, vel saltem panno intrinsecus obductus, ibique Olea sacra magna cura, custodiaque, omnique honoris specie asserventur. Oleum sacrum haberi in aedibus hominum laicorum, imo et Parochorum, omnino interdicimus, nisi fortasse Curionalis Domus longe adeo ab Ecclesia remota sit, ut ad illud ab Ecclesia suscipiendum diuturnior mora in Aegrotantium perniciem necessario facienda foret (2).

III. Aegrotantium Sacramentum, *qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur* (3), extrema haec Unctio est: decet tamen aegrotos eadem procurari, cum integris adhuc sensibus utuntur, non vero in ultimum tempus agentis jam supremam animam aegri, et ab omni spe destituti illam differre. Nam ita salus corporis facilius restituitur, atque ita infirmus integra adhuc mente, ac nondum ex vi morbi perturbata fidem, ac religiosam animi voluntatem afferre, ac Sacramenti gratiam percipere uberiorem potest (4). Sint hac in re per quam solliciti animarum Curatores, et

(1) *Syn. Card. Cybo. Tit. 15. §. 9.*

(2) *Conc. Prov. III. Mediolanen.* Quae ad Sacramenta pertinent. §. Sancti... *Item in Conc. Prov. IV. de Extrema Unct.* §. Quibus.

(3) *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3.*

(4) *Rit. Rom. de Extr. Unct.* §. Extremae Unctionis.

cum ex prudenti Medicorum judicio de vero vitae discrimine moneantur, metumque spe majorem concipiendum noverint, tam salutare Sacramentum administrent. Grandi autem se peccato obstringi animadvertant, gravesque se poenas daturos sciant, si tam necessario tempore officium hoc sanctum suis non navaverint (1). Quod si mente, sensibusque abalienatis, obrutisque infirmum adinveniant, adhuc tamen illud praebeant, nisi aut manifesta vitae ipsius turpitudo, aut pervicax in malo animus, et a poenitentia per procacem impietatem abhorrens, ipsum a Sacramentis e Canonum instituto propellat (2). Id et de iis cautum est, qui inopinato casu occupentur, sensuumque usum repente amittant (3).

IV. Senes, qui ob confectam aetatem deficere sensim, atque abire intelliguntur, ne eos nondum inunctos repente vita destituat (4), item pueros, qui ad Poenitentiae Sacramentum admittuntur, ungi ad extremum fas est. Iis vero, qui capite damnati ad supplicium ducuntur, vel qui praelium inituri, aut navigationem suscepturi, aut aliud quodvis vitae discrimen adituri sunt, hoc Sacramentum denegatur, cum nulla ipsis invaletudo sit, a qua sanentur. Pueris quoque, quibus nondum maturus rationis usus est, ac nulla peccata sunt, quorum deleantur reliquiae, amentibusque, ac furiosis, qui recepta interdum mente signa cupientis id Sacramentum non praebuerint, atque omnibus iis, quos nulla poenitentia, nulloque religionis sensu affectos esse constiterit, tribui illud interdictum est (5).

V. Toties sacra Unctio repetitur, quoties aliquis incidit in morbum, a quo in vitae discrimen adducitur (6): verum in uno, eodemque morbo, cum aeger in eodem vitae periculo versatur, semel tantum ungendus est. Standum quidem in hoc Sacramento administrando Medicorum sententiae est; sed si hi desint, aut neque ipsis satis tuta res sit, eo animo esse Ministrum jubemus,

(1) *Catech. Rom. de Exstr. Unct.* §. 9... *Conc. Wigornien. Can. 19, et Exonien. Can. 6. ex Collect. Harduini.*

(2) *Rit. Rom. Tit. cit.* §. Sed si infirmus. *Vid. sup. Cap. 4. §. 7.*

(3) *Bened. XIV. de Syn. Lib. 8. Cap. 6.*

(4) *Rit. Rom. loc. cit.* §§. Debet.. Non ministretur.

(5) *Catech. Rom. loc. cit.... Rit. loc. cit.* §. Impoenitentibus... *De errore, qui saeculo XIII. invaluerat, differendi hoc Sacramentum ad extremum vitae tempus, legatur Thiersius de superstit. Tom. 2. Cap. 7.*

(6) *Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 3... S. Thomas in Suppl. 3. q. 33. art. 8.*

ut in partem laboranti utiliorem inclinet, neque ad alteram devenire unctionem refugiat (1).

VII. Sacramenti hujus Minister jure divino est Episcopus, seu Sacerdos, quorum uterque *Presbyterorum* nomine significatur, quos Jacobus memorat (2), cum legem hujus Sacramenti promulgavit. Cum vero Apostolus *Presbyteros* nominans, plurium numero usus sit, plures olim Sacerdotes apud Latinos vocari solebant (3), uti nunc etiam plures a Graecis vocantur (4): at jamdiu in Occidentali Ecclesia universa unus tantum Sacerdos adhibetur, atque eum solum recte aegrotum inungere, certo jure cautum est (5). Sit vero is proprius Parochus, aut qui facultatem a Parocho sit assecutus (6), nisi forte urgens tempus absente Parocho id postulet: constat quippe ratio Sacramenti, licet id alterius etiam Sacerdotis cujuslibet manu peragatur (7). Qui eo invito, aut non permittente id muneris invaserit, si saecularis sit, poenas dabit pergraves: si Regularis, ipso facto in excommunicationem incidit Pontifici reservatam (8). Iis enim dumtaxat, qui subditi ex instituto iisdem sunt, vel in Monasterii septis famulantur, ibique degunt, possunt Religiosi Viri hoc Sacramentum administrare (9).

VIII. Legitimus itaque Minister infirmum uncturus, Clericum, si possit, socium adsciscat, qui Ritualem librum ferat, vas aquae benedictae, et Crucem sine hasta, cetera que in Sacramenti administrationem necessaria, sibique operanti praesto sit. Sacculum vero cum sacrato Oleo ipse gestet: quod si praevidens periculum, ne ex interjecta mora, aut mors ante Unctionem occupet aegrotum, aut vis morbi obruat sensus, Eucharistiam afferat eo ipso tempore, Clerico si, adsit, majoribus Ordinibus initiato illum ferendum tradat. Superpelliceo indutus, ac stola violacei coloris, nisi necessitas aliud deposcat, illud administret; mensa in lecti conspectu posita sit strata mappa

(1) *Bened. XIV. de Syn. Lib. 8. Cap. 8.*

(2) *Ep. Cath. 5. 14.*

(3) *Menardus in Sacramentar. Sanct. Greg. not. 909... Martenius de antiq. Eccl. Rit. Lib. 1. Cap. 7. art. 3. §. 3. Item in Anecdot. cap. 17.*

(4) *Septem Sacerdotes adhibent Graeci: Vid. Saintebeuvium de Sacr. Extr. Unct. disp. 6. art. 2.*

(5) *Cap.* Quaesivit *de Verb. signif.*

(6) *Cat. Rom. Par. 2. cap. 6. §. 13.*

(7) *Consulatur S. Carolus in Conc. Med. V. Part. 1.*

(8) *Clement. I. de Privileg. . . et Clem.* Dudum *de sepult. . Bened. XIV. Inst. Eccl. 55. §. 7.*

(9) *Conc. Trident. Sess. 24. de Ref. cap. 11. . . Clem. X. Const.* Superna... *Vid. Decr. S. C. C. in Monopolitana 27. Sept. 1670. . . Gerunden. 13. Febr. 1694. . Asten. 29. Jan. 1718.*

candida, in qua Olei vasculum locetur, et quae sacrum munus peragenti necessaria sunt, item et facula saltem una, quam accensam in rei sacrae venerationem parari ibidem jubemus. Sacerdos aegrotum alloquatur, si sensibus valet, ut praeparato animo, expiatoque, atque ad omnem pietatem affecto sese praebeat ungendum: primum denunciet, ac maximum Sacramenti beneficium animae salutem, roburque eidem injectum, & singulare praesidium adversus acres mali Doemonis impressiones, et instantis mortis terrores, deinde etiam morbi depulsionem, dummodo id bono sibi ad aeternam felicitatem futurum sit (1). Tum vero propitiato statis precibus Deo, singulas corporis partes ex Romanae Ecclesiae ritu summo religionis sensu ungat pollyce sacrato Oleo imbuto, Crucis figura in membris singulis efficta, recitetque eodem tempore precationes, quibus forma concipitur. Non repetita ad singula, sed unica precatione oculos, aliaque gemina membra, unctione gemina obliniat. Membra simul ac uncta fuerint, bombyce abstergantur, quae dein combusta abjiciatur in Sacrarium (2). Piis interim orationibus commendent aegrotum Deo, qui circumstant, Fideles, eosque in id hortetur Parochus enixe. Pelviculas, patellos, linteola, aliaque pro sacramenti tractatione ex aegri domo adhibita sibi vindicare Parochos, nefas est (3).

IX. Oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, pedes propter incessum, renes denique, propterea quod voluptatis in iis, et libidinis sita vis censeatur, perungendi sunt. Qui aliquo membrorum captus sit, ungatur tamen ea parte, quae amisso membro proxima erit (4). Sacerdotibus exterior manus pars obliniatur (5). In Foeminis decoris, et honestatis caussa, item in Viris, si commode moveri loco nequeant, unctio renum omittatur, nec alia corporis pars pro iisdem ungatur (6). Si mors impendeat, una corporis pars, caput nimirum ungatur, formaque aptetur peccatis sensuum corporis universis: quod tamen si quis absque vera necessitate peragat, gravi se irretitum culpa meminerit (7). Si inter ipsam Sacramenti administrationem aeger animam efflaret, ab un-

(1) *Vid. Append. P. 2. N. 29.*

(2) *Rit. Rom. loc. cit.*

(3) *Taxa Innocent. edita an. 1678... S.C.C. Albanen. Funerum 20. Febr. 1720.*

(4) *Rit. Rom. loc. cit.* §§. Jam oculos ... Si quis.

(5) *Rit. Rom. loc. cit.* §. Quinque.

(6) *Bened. XIV. de Syn. lib. 8. Cap. 3.*

(7) *Bened. XIV. de Syn. lib. 8. Cap. 2. et 3.*

ctione perficienda abstineat Sacerdos: sin dubia mors fuerit, conditionem agat, remque e Ritualis disciplina conficiat.

X. Ministrato extremae Unctionis Sacramento haud deserant aegrotum Parochi, sed si integris adhuc valeat sensibus, blandis ipsum, et amantissimis verbis, in aeternae beatitudinis spem erigant, consolenturque: eum cum primis a terrenis rebus ad coelestium amorem traducant: uberes ipsi divinae misericordiae fontes aperiant: quam dilecta, inclament, Tabernacula Domini, animaeque sensus portendant, quae concupiscit, et deficit in Atria ejus: Sanguinem Christi commemorent melius pro nobis loquentem, quam Abel: ac Nomina demum sanctissima Jesu, Mariae, et Josephi repetant tali oris actione, eo mentis affectu, ut eadem in labiis habere ipse gestiat semper, semper in corde, eadem vel intermortuis vocibus suaviter appellaturus. Haec et alia id genus pro temporis, personaeque ratione studio pietatis, et charitatis, quo possunt, impensissimo loquantur Parochi, animasque sibi creditas in manus commendent Dei, illudque recogitent sedulo, cunctos sui officii conatus, curasque universas, studia, consilia, labores eo demum unice contendere, ut commissam sibi ovem in amoena Paradisi virentia feliciter perducant, summoque Pastorum Principi incolumem eam, justitiaeque corona donandam restituant. Horreant itaque, se iis mercenariis Pastoribus comparari, qui adveniente lupo gregem deserunt, vel in eo custodiendo desides, ignavosque sese praebent. Pudeat illos pravum, atque turpissimum eorum morem imitari, qui quaestus dumtaxat ratione compulsi, nihilque de aegro curando, extremaque precatione juvando solliciti, nuncium dumtaxat opperiuntur de defuncto efferendo. Nobis certe, qui Parochorum nostrae Dioecesis pietatem, zelumque plane dignoscimus, haud metuendi caussa est, ne magnum hoc malum nostro Gregi contingat: ac Domino potius messis benedicimus, qui tales nobis in hac vinea excolenda adjutores adlegit.

XI. Ceterum curent Parochi crebro de hujusce Sacramenti natura, rationeque, ac vi populum edocere, rectam ipsius doctrinam, tractationemque e Sacrorum jure (1) perdiscentes, ac praesertim a Concilio Tridentino (2), a Catechismo Romano (3), et a Rituum libro. Primam ipsius utilitatem, et effectum cum S. Carolo conclament (4), *quod peccati reliquias tollit, tamquam complementum Sacra-*

(1) *S.Thom.L.9.contra Gent.cap.73. et in Suppl. 3.Part. Quaest. 30. art. 1.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 14.*

(3) *Cat.Rom. de Sacram. Extr.Unct.*

(4) *Conc. Med. IV. de Sacr. Extr. Unct.* §. Prima.. *Item Bened. XIV. de Syn. Lib. 8. cap. 7.*

menti Poenitentiae, quae reliquiae peccata esse intelliguntur sive mortalia, sive venialia, quae post alia Sacramenta remanent: potest enim fieri, ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit, eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioquin fuisset damnandus.

XII. Hinc universos in summum desiderium excitent procurandi animam ex hac vita migraturam hoc Sacramento, eamque teterrimam opinionem proscindendam curent, ex qua hoc Sacramentum, veluti certam, proximam, et quae vitari nequeat, mortem refugiunt complures (1), cum imo et animae illud, et corporis saluti a Christo Domino institutum profiteamur. Qui vero procaci licentia salutare hoc praesidium contemnere ausi fuerint, vel eo impietatis proruperint, ut offerentem Sacerdotem depellant, in praesentissimo animae discrimine versari illos, edicant, eosque de damnatione admoneant, quae sibi ad Dei tribunal mox adituris impendet (2), illudque e Coloniensi Concilio iisdem comminentur, ut nimirum careant ecclesiastica sepultura, quasi ex misserrimo eorum grege sint, quos tali post mortem poena mulctari decrevit Ecclesia (3).

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Christiani Sacerdotii sanctitas, dignitas, atque praestantia, ex quo nedum Angeli Dei, sed et filii Excelsi (4), imo et Dii vocamur, e coelesti illa potestate dignoscitur, qua pollemus *tum Corpus, et Sanguinem Domini Nostri conficiendi, et offerendi, tum peccata dimittendi, quae certe humanam quoque rationem, atque intelligentiam superat, ne dum ei aliquid par, et simile in terris inveniri queat* (5). Cum vero ex ipsa officii ratione de luculentissimo doctrinae, religionis, pietatis, innocentiae apparatu admoneamur, quem ad rei tam sanctae sacramentum afferamus, opus est, patet, nonnisi vocatos, tamquam Aaronem (6), adsciscendos esse, ac qui *judicio sui Episcopi*, uti et Chalcedonenses, et Tridentini Patres decrevere (7), *utiles, aut*

(1) *Bened. XIV. loco cit.* §. 2.

(2) *Conc. Trid Sess.* 14. *cap.* 3.

(3) *Syn. Colon.* 11. *an.* 1549. *cap.* 38.... *Nat. Alexandr. reg.* 20.... *Juenin dissert.* 7. *qu.* 9. *cap.* 2.

(4) *Ps.* 81. 6.

(5) *Cath. Rom. de Sacr. Ord.* §. 2.

(6) *Ad Hebr.* 5. 22.

(7) *Conc. Chalced. can.* 6.... *Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 16. *de Reform.*

necessarii ducantur suis Ecclesiis. Melius est enim pauciores habere Ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequaquam sint valituri (1). Nos certe, quorum est eos designare, quos sacris Ordinibus ornemus, onus intelligimus, quod sustinemus, debitores facti Deo, et hominibus. Terrent quippe, atque excruciant gravissima S. Leonis Magni verba, quibus de delectu, cautioneque in id negotii conferenda Africanos Episcopos cohortatur: *Quid est cito manus imponere, nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum obedientiae, ante experientiam disciplinae, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi et talem effici ordinantem, qualis est ille, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo Sacerdote judicium; ita gravi semetipsum afficit damno, qui in suum collegium assumit indignum* (2). Ne itaque in re deficiamus, cujus tantum est, ac prae ceteris quibuslibet maximum ad sacrorum tuendam disciplinam momentum, ac ne vitii, offensionisque quidpiam, ac minus rectum, et a Canonum jure absonum irrepat, luculentiora quaedam, et quae servanda magis sunt, hoc capite proponenda curavimus.

I. Quotquot in Ecclesiasticam sese adscribi militiam petunt, perpendant sedulo, in sortem se recipi Dei, Deumque sortem ipsorum fore, uti ab ipso Clericorum nomine admonentur. Hinc non commodi ullius cupiditate, non spe ecclesiastici beneficii assequendi, non ad luxum, ociumque, non ex parentum, aut propinquorum instinctu, non demum ad inertem sibi vitam, omnique solutam opere comparandam, de Ordinibus suscipiendis deliberent. Probent itaque seipsos primum, diligentique animadversione perpendant, si talibus ipsi sint moribus, si ea religione, si iis Christianae disciplinae institutis, quibus tantae vitae, ac dignitatis conditionem exequi possint, ac tueri. Legem meminerint perpetuam continentiae iis indictam, qui in Ordines sacros adsciscuntur (3), suamque indolem pensitent, ne onus exinde officii se suscepisse perdoleant, quod nequeant sustinere. Cogitent demum et de censu, quo Canonum praescripta Ministros Sacrorum jubent potiri ad vitam commode,

(1) *Bened. XIV. Const.* Ubi primum §. 1.

(2) *S. Leo Epist. 12. Cap. 2.*

(3) *Siricius PP. Ep. ad Himerium Ep. Tarraconen.* §. *8. ... S. Innocent. I. ad Victricium Rothomag.* §. *2. apud Coustant. Ep Rom. Pont. ... late de caelibatu Presbyt. Bellarm. lib. 1. de Matr. cap. 21. ... Schmalzgrueb. jus Eccl. univer. lib. 3. tit. 3. qu. 41.*

ac sine ordinis dedecore sustentandam, et de iis bonarum artium studiis, quibus eosdem pollere, opus est. Nos certe Tridentinorum Patrum decretis parere satagemus, quibus vetamur quempiam Tonsura initiare, quem probabili conjectura non prospiciamus ad fidelem Deo cultum praestandum hoc vitae genus amplecti (1).

II. Quare ubi primum de ordinatione habenda edictum proponatur, qui Tonsuram, aut aliquem Ordinem optant, nos adeant, ut in examen eos admittamus, ac legitima conquirant monumenta, quibus de iis constet, quae ad Ordines suscipiendos necessario probanda esse, edicto ipso cautum est (2). Debent quippe docere, justo se matrimonio ortos esse, tum Baptismatis, et Confirmationis sacramentis fuisse imbutos, tum ea esse aetate, quam praesertim pro sacris Ordinibus Canonum jura praescribunt, tum sive ex patrimonio, sive ex beneficio, sive ex pensione, quae ad vitam, cultumque sunt necessaria, percensere, tum demum ex Parochi, ac ludi Magistri testimonio moribus, et qua par est, doctrinae disciplina commendari.

III. Probatissimos idcirco et usu, et integritate viros ex Canonicorum Collegio adhibebimus, qui de eorum vita, ingenio, disciplina, institutis perquirant, qui sacris se initiari deposcunt, et allata ab ipsis testimonia pervolvant, ne quid vitii, falsive obtrudatur. Referant ad veritatem Magistri, neque amicitiae causa, vel immoderata commiseratione, aliisve humanis rationibus abduci se sinant, ut de auditorum peritia, industriaque testentur, quos vere clericali gradu minus dignos nanciscantur. Haec et eos monemus, qui eisdem probandis, cognoscendis, examinandis praeficientur. *Viros probatos oportet deligi, non probandos*, inquiebat S. Bernardus (3). Hinc haud satis erit, nihil occurrere, quod a recta vivendi via eos alienos ostendat: *Merita quippe debent praeire bonorum operum, ut dignus quis habeatur ad ordinationem* (4). Modestia idcirco, frugalitate, studio religionis, discessione a saeculo, gravitate, abstinentia, disciplinae amore, innocentia vitae, in quibus profecto sacerdotalis vitae spes sita est, is commendetur, qui ad Ordines contendit. Non is acer sit, non pertinax, non litigiosus, non acerbus, non consuetudine foeminarum, spectaculis, ludisque distentus, non saeculi mollitiem sapiens, non negotiatione, curisque indecoris demersus, non

(1) *Conc. Trid. sess. 23. de Reform. c p. 4. Conc. Rom. tit. 6. cap. 1.*

(2) *Append. Part. 2. N. 31. et 32.*

(3) *De Considerat. lib. 4. cap. 4.*

(4) *Auctor Comment. in Ep. 1. 1. ad Timot. cap. 5. inter opera S. Ambrosii.*

garrulus, non loquax, non versutus, atque ad injuriam callidus, non demum ab Ordinis, in quem properat, gradu, ac sanctitate absonus, et qui hominum spectatissimorum virtutes, et facta illustria non adumbrare solum, sed prorsus exprimere, atque referre non adnitatur.

IV. Cum ideo ex S. Leonis testimonio *merito Sanctorum Patrum venerabiles sanctiones, cum de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuerint, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis usque ad provectiores annos per disciplinae Ecclesiasticae stipendia cucurrissent, ut unicuique testimonium prior vita praeberet* (1), constitutum nobis est, nisi fortassis pergraves caussae praepediant, neminem praesertim in majores Ordines cooptare, qui certo quodam tempore in Seminario nostro non deguerit, ad religionem, sacrasque disciplinas, morumque probitatem perfecte, planeque instituendus (2).

V. Parochi uno ante ordinationem mense, eorum nomina, qui sacros Ordines petunt, promulgabit ex Altari, tribus festis diebus, dum maxime frequenti populo rem divinam operantur: moneant universos, ut si quem ex ipsis noverint per sacros Canones ab Ordinibus interdici, illum statim denuncient vel sibi, vel nobis, vel Vicariis nostris generalibus: vitium etiam, si quod est in titulo, ex quo in Ordines cooptandi iidem sint, referant diligenter (3). Quod si nihil ipsis obstare intellexerint, litteras de iis dabunt, quibus et de publicatis eorum nominibus, et de cujusque moribus luculenter, accurate, atque ex veritate testentur. Hortentur vero, ac pro religione cujusque, atque conscientia singulos e populo excitent ad rem ingenue, ac syncere aperiendam, quin vereantur, ne accusatorie magis, quam libere dixisse videantur: grave imo piaculum eos admissuros fore edicant, si vel pietatis, aut amicitiae caussa, animove ratione minus recta permoto silentio rem premant, vel ad falsitatem loquantur. Quod ut tutius praestent, nomina eorum secreto a nobis habitum iri pollicemur. Quae ut facilius, tutiusque exitu, quo par est, succedant, explicent diserte Parochi, quibusnam de caussis nonnullos a Sacerdotio repellendos esse, lege Canonum caveatur (4).

VI. Huc spectant, quae ad examinandos, probandosque, qui

(1) *S. Leo. Magnus Ep. 12. cap. 4.*

(2) *S. Carolus Borrom. Act. Eccl. Mediol. de Seminar. Conc. Rom. tit. 30. cap. 2.*

(3) *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 5. de Reform.*

(4) *Percensentur impedimenta, quibus progressio ad Ordines interdicitur, in App. P. 2. N. 33.*

expetunt Ordines, ex Tridentini Concilii auctoritate constituta sunt (1). Eos itaque primum alloquimur, quos in Examinatorum munus praeficimus, ut cum ab ipsorum praesertim judicio pendeat, ministros Ecclesiarum eo genere adsciscì, qui res sacras pure, caste, apte, periteque procurent, religioni habeant in eo ferendo non gratiae, non amicitiae, non miserationi, non humanae rationi cuilibet, sed veritati unice, ac prorsus tribuere. Ea vero prudentia, moderatione, comitate, solertiaque utantur, ut et dubitantibus animos addant, et procaces compescant, et justam de cunctis sententiam pronuncient. Precatione prius, cujus formulam edi jussimus (2), Dei auxilium exposcant, ut cujus numine continentur omnia, Ipse sibi adsit in tanto Ecclesiae nostrae negotio tractando.

VII. Nemo ut prima Tonsura initietur, ad nos adducatur, qui septimum saltem aetatis annum non excesserit, nec legere, et scribere apte sciat (3): qui minores Ordines parant ascendere, latinae linguae, et grammaticae non plane rudes sint: qui demum majores Ordines appetunt, post grammaticas, rethoricasque institutiones rite susceptas, philosophicis, ac saltem dialecticis per annum facultatibus satis eruditi sint, atque insuper Theologiae morum (licet & dogmaticae studium quam maxime discupiamus) uno saltem anno ante Subdiaconatum, binis annis ante Diaconatum, tribus demum ante Presbyteratum assiduam operam debere se sciant, ut id sui specimen possint dare, quo *eos saltem Theologiae moralis competenter peritos agnoscamus* (4). Sint ipsi ea aetate, quam ex Tridentini Concilii lege gradus, quos petunt, requirunt: constet scilicet, Subdiaconum viginti duos, Diaconos viginti tres, Sacerdotem viginti quinque annos natum esse (5). Quae insuper de Ordinis, in quem contendunt, ratione interrogati fuerint, perite edisserant: tum de iis etiam audiendos eos esse jubet Benedictus XIV. *quibus Christiani hominis scientia continetur. Etenim magistra rerum experientia edocuit ex his aliquos, tametsi latini sermonis nitore, et elegantia excultos, in scientiarum curriculo liberaliter institutos, et quae ad Ordines pertinent, apprime callentes, de Doctrina tamen Christiana percunctatos, parum, aut nihil apposite respondere* (6). Cognoscendum itidem de ipsis est, num piam habeant precandi, resque divinas meditandi consuetudinem. Afferant praeterea documenta, quibus osten-

(1) *Conc. Trid. Sess. 7. cap. 11. de Ref... Sess. 23. de Refor. cap. 3. 7. 22. 24.*
(2) *App. P. 2. N. 34.*
(3) *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 4.*
(4) *Conc. Rom. Tit. 6. cap. 3.*
(5) *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 12.*
(6) *Encyclica* Etsi minime *an. 1742.*

dant in eo Ordine, quo proxime initiati sunt, certum se tempus egisse, ejusque muneribus non raro, non per negligentiam, non contemptim, sed crebro, religiose, sedulo, ac magna cum cura perfunctos fuisse. Ceterum de cujusque moribus, doctrinaque ad singulos Ordines probandis nostro de sacra Ordinatione edicto, quo universi de conditionibus, quae in rem sunt, edocentur, copiose cuncta, et accurate decernenda curavimus (1).

VIII. Placet hic nonnulla de titulo singillatim proponere, quem ad Ordines assequendos haberi, sacrorum jure cautum est (2), ad quem probandum ut tute admodum, cauteque adduci se sinant Episcopi, Clementis XIII. encyclicis litteris diserte admonemur (3). Nonnisi Regularibus professis, quibus mendicare institutum est, titulo paupertatis pervenire ad Ordines fas est. Clerici enim saeculares tantum habere debent annui vectigalis sive ex beneficio, sive ex ecclesiastica pensione, sive ex patrimonio, ut exinde vitam absque gradus dedecore commode sustentent.

IX. Annuus hic census vel ab antiquis temporibus pro nostra Dioecesi ad scuta quadraginta deductis expensis praefinitus est (4). Doceant, qui ex beneficio Ordines petunt, stabilem sibi, legitimam, et certam illius possessionem permanere, et quam decrevimus, summam ex redditibus ejusdem libere praeberi. Notatum hic volumus, per Sacram Concilii Congregationem Episcopis jus tribui decernendi, an Missarum onera, quibus beneficium premitur, detrahenda sint (5). Legi Dioeceseos standum est, in qua quis beneficio potitur, si residendi conditio eidem data sit (6). Suppleri sinemus alio modo, si Beneficii census minor sit, ac stata illa summa: adsit vero necessitas, aut commoditas Ecclesiarum ad patrimonii titulum admittendum, quem, nonnisi *dispensative*, probari posse novimus, et quando beneficio quis careat (7).

X. Ceterum omnis in patrimonio probando habenda cura est, ac maxima excitanda animadversio, et diligentia, ut ne quid te-

(1) *Append. P. 2. N. 31. 32.*

(2) *Cap. 16. et 23. de Praebend... Conc. Trid. Sess. 21. cap. 1. de Ref.*

(3) *Ep. Encycl. 12. Septembr. 1759.*

(4) *Syn. Velit. Card. Cybo Tit. 16. §. 6.*

(5) *S. C. C. in Ariminen 17. Jul. 1723.... Firmana 14. Jan. 1708.... Legatur Bened. XIV. de Syn. lib. 2. Cap. 9. §. 6.*

(6) *Bened. XIV. loc. cit. §. 2. S.C. C. Alatrina 9. Jul. 1701.... Conc. Rom. Tit. 6. Cap. 4..... Innocent. XIII. Const.* Apostolici ministerii.

(7) *Conc. Trid. sess. 21. cap. 2 de Reform.... S. C. C. in Signina 18. Septembr. 1683. Civitatis Plebis 10. Jun. 1684.... Camerinen. 4. Aug. 1685.*

mere, inconsiderate, negligenterque hac in re admittatur, ut nimirum qui census in titulum proponitur, certus sit, atque explicatus, non juris ambigui, non aere alieno impeditus, obstrictusque. Sint publica, ac legitima de ea re testimonia ex tabulariis, quibus de fundorum libertate monumenta indubia custodiuntur. Parochi idcirco eorum, qui sacris Ordinibus sunt imbuendi, nomina denunciaturi, de collato quoque patrimonio referant ad populum (1), indicemque bonorum, e quibus titulus patrimonii constituitur, triduo saltem prae foribus Ecclesiae inspectandum conspicuo in loco proponant. Caveant ii, quos patrimoniis cognoscendis, examinandisque adhibemus, ne ex eorum assignatione jura legitimae portionis imminuantur, ac violentur, quae ceteris filiis, si qui sint, alienisve hominibus sit debita: abhorret quippe ab Ecclesiae instituto in jura ceterorum vel minimum invadere. Caveant et qui iisdem aestimandis praeficiuntur, ut aequissimos sese, ac justos praebeant, atque ad veritatem religiose testentur, ne praeter grave crimen, quo ex falsa aestimatione coram Deo convicti forent, cogantur, quanti intersit, ex aere proprio suppeditare iis, qui censu in eum modum aestimato ad Ordines pervenere (2).

XI. Monemus praeterea illos, qui patrimonium constituunt, ne ullam cum Clerico pactionem conficiant de ipsius redditibus sibi vindicandis: non enim ea consisteret, licet sacramenti religio accesserit, et ad fructus, si quos perceperint, reddendos, atque ad alias poenas dandas eos damnatum iri denunciamus (3). Qui itaque patrimonio fulti ad Ordines properant, animadvertant, ne qua fraus, fallacia, collusio, simulatio, ac turpis conditio in illo constabiliendo obrepat. Si enim vitium aliquod in eo adinveniatur, meminerint suis se muneribus interdici, et irregularibus accenseri. Hinc de patrimonio rite, ac recte, libereque constituto, ac de ejusdem redditibus in Ordinandi commodum cessuris, tum ab eo, qui illud assignat, tum ab Clerico, qui eo nomine initiandus est, singillatim per jusjurandum sponderi mandamus (4). Tabulas ad patrimonia constituenda ab aliis con-

(1) *Sup.* §. 3. *Syn. Card. Cybo cap.* 16. §. 9. . , . *Bened. XIV. docet, promulgationes in utraque Paroecia conficiendas esse, si in duabus Paroeciis sint bona patrimonii, et Ordinandus. Inst. Eccl.* 26. §. 21.

(2) *Vid. Bened. XIV. Inst. Eccl.* 26. §. 24. 25. . . *Monac ell. apud eumd. Bened. XIV.*

(3) *Cap.* Neminem 1. *et* Sanctorum. 2. *dist.* 70. . . . *Cap.* Cum secund. *de Praebend.* . . *Trid. sess.* 21. *Cap.* 2. *de Ref.* . . *vid. Rigant. ad Reg. Cancell.* 24. . . *Bened. XIV. Inst. cit.* §. 16. *seq.*

(4) *Patrimonia nec ex proventibus, qui ingenio, ac virtute, industriaque Ordinandi compararentur, nec ex bonis mobilibus, et se-moventibus confici*

fici prohibemus, praeterquam ab Episcopali Cancellario, quem unice in eam rem adhibendum esse jubemus. Is porro et de Vicarii Generalis decreto, et de juramento partium, testiumque, et de peractis a Parocho denunciationibus, et de fundorum descriptione palam proposita, in iis referet (1).

XII. Meminerint, qui ex patrimonio ad ordines pervenere (2), sibi liberum non esse, illo se abdicare vel ex contractu venditionis, vel ex resignatione, vel ex permutatione (3), aut per emphytheusim, aliove quolibet modo, etsi beneficium, vel annuum aliquod exinde redditum nacti fuerint, quo sustentandae vitae opportune consulerent. Nisi enim ex Episcopi auctoritate haec gesta sint, irrita eadem esse jubent sacrarum Congregationum decreta. Item nefas est patrimonium sponsione obligare; quod si illud eo nomine obstrictum fuisse in jus referatur, pro ea summa dumtaxat vis sponsionis consisteret, quam praeter decretam Clericalis patrimonii aestimationem superesse Judex ecclesiasticus dignoverit: poterit tamen Creditor jus persequi, idque sibi vindicare, quod ex Clerici obitu in ipsius haeredes transferendum foret (4). Haec itaque in beneficiorum resignatione comprobari oportet, se nimirum ipsorum titulo ad Ordines non esse provectos, ac vel aliud ipsorum loco patrimonium constituere, quod ea praebeat, quae ad vitam non indecore agendam necessaria sint (5).

XIII. Ex Capellaniis, quas *ad nutum amovibiles* dicunt, initiari aliquem sacris vetamus, nisi nobis certissimis monumentis palam sit, eo illas esse censu, qui sustentandae ipsorum vitae sufficiat (6): tum patronos ex facultate sibi per nos facta jure se abdicare illum amovendi, quem in eas praesentant, nisi antea beneficio, pensioneve auctum eum esse constiterit, quibus in victum, cultumque satis eidem consultum sit: tum demum praedem adstare, qui in Actis Curiae nostrae publicis tabulis spondeat, sese necessaria praebiturum, quoties justa caussa, qui eo titulo ad ordines contendit, ab litando distineatur. Plura autem tenere beneficia, licet residendi legem haud injiciant, ex Cano-

posse decrevit S. C. C. In Seguntina 1589... et 29. Nov. 1670... vid. Bened XIV. Inst. cit. §. 7. 8.

(1) *Ex Monacello Tom. 1. Tit. 3., Form. 13... 18.*

(2) *Conc. Trid. sess. 21. Cap. 2. de Reform... S. C. C. 16. apr. 1622..... 10. Octobr. 1670.*

(3) *S. C. C. 6. Mart. 1638.. 20. Julii 1619... 14. Februarii 1652.*

(4) *S. C. C. 5. Febr. 1604... 25. Martii 1642. Plura in cit. Inst. Ben. XIV. §. 27. seq.*

(5) *Conc. Trid loc. cit.*

(6) *Ben. XIV. Inst. cit. §. 11.*

num jure nefas est (1), ac solummodo aliud simplex beneficium haberi permittimus ab eo, qui ex altero in vitae tuitionem necessaria non nanciscatur. Quod quidem secundum beneficium ut quis acquirat, si primum ad statam census rationem satis sit, liberum nobis non est indulgere: id enim in nostra potestate est, quando primum necessariis in sustentationem impensis ferendis non sit (2). Quod si nec duo haec beneficia sufficiant, tertium, aliaque plura beneficia, licet haec ex Laicorum patronatu sint, nonnisi ex Apostolicae Sedis indulgentia suscipiendi jus est (3): haec tamen, quae ubi de pluribus beneficiis assequendis, tenendisque res sit, locum habent, in legatis piis, et in Capellaniis, quae sunt e laicorum patronatu, animadvertenda non esse, Sacra Concilii Congregatio decrevit (4).

XIV. Qui vero tum morum integritate, tum necessaria studiorum disciplina, tum demum constituto censu, aliisque conditionibus rite ad Ordines majores suscipiendos probati a nobis fuerint, ex Pontificum Romanorum praeceptionibus ad decem dies spiritualibus sese exercitationibus expoliendos tradant apud lectissimos Congregationis Missionis Alumnos, quae est in Urbe ad Curiam Innocentianam (5). Conscientiam cum primis adnitantur excutere, et in seipsos severe inquirere, totiusque anteactae vitae noxas per sacram Confessionem expiare (6). Gradum, quem appetunt, considerent; munera perpendant, in quae contendunt; onera, quae suscipiunt, pensitent; viresque probent, quae sibi iisdem sustinendis praesto sunt: diligentique adhibita praeparatione vocem Domini in sortem se suam, atque in regale sacerdotium adsciscentis audiant dociles, animoque ad piétatem, abstinentiam, charitatem, virtutesque omnes prorsus composito accedant ad sacra, cunctaque perstudiose addiscant, quae de Ordinis suscipiendi ritibus, ac caeremoniis decreta sunt (7): neque ad eos autument se evectum iri, nisi testimonio ab eo, qui iisdem per illos dies excolendis praepositus est, apprime commendentur. Verum et eos hortamur, qui minores Ordines postulant, ut in aliqua e Religiosorum familiis, vel saltem

(1) *Trid. sess. 24. cap. 27. de Reform... Ben. XIV. Inst. 91.*

(2) *S. C. C. Camerinen. dispensationis 4. Nov. 1716.*

(3) *Legat. Fagnanus in Cap.* Cum jamdudum *de Praebend.* §. *35. 71.*

(4) *S. C. C. in Bitecten 6. Dec. 1721. ad 3.*

(5) *Ex Epist. Encycl. Innocent. XI. 9. Octobr. 1682... Extat in hanc rem alia Ep. S. C. C. 1. Febr. 1710. in Append. Part. 4. N. 4.*

(6) *S. Carolus Conc. Prov. IV. Par. 2. T.* Quae pertinent ad Sacr. Ord. §. Subdiaconatum.

(7) *Ex Conc. Rom.*

apud virum Ecclesiasticum dignitate, ac virtute spectatum, tres minimum dies piae meditationi, sacrisque exercitationibus in animi procurationem vacare satagant. Hic in memoriam revocamus, quae de Sacerdotibus primo perlitaturis praecepimus (1) de experimento nimirum, quo ad rem divinam rite, ac pro officii sanctitate, et ex rituum sacrorum norma operandam probatos eos volumus, tum de tanta faustitate, immoderatis comessationibus, epulisque, ac ludorum strepitu, non celebranda, seu potius non foedanda, quibus saeculi potius pompam, atque procaciorem laetitiam ab Ordinis sanctitate alienam confoverent (2).

XV. Clericos quoslibet majoribus etiam Ordinibus auctos, qui ex beneficii jure nulli sint Ecclesiae adjuncti, Cathedrali Basilicae, si e Civitate sunt, vel Parochiali Ecclesiae, si degunt in Dioecesi, aliisve per nos praefiniendis sacris Aedibus navare operam praecipimus (3), ne torpere illos otio, officiique Clericalis exortes vitam degere collugeamus. Adstare proinde ibidem festis diebus omnibus clericali ornatu ad sacra solemnia, ad vesperas, ad precationes, supplicationesque, ac sui Ordinis officia obire, item concionem habenti Parocho, vel christianam cathechesim tradenti, vel Eucharistiam aegrotis ferenti, si a studiis vacant, praesto esse, eidemque ministrare, Clericorum munus sit, qui ad superiores gradus admitti se frustra efflagitarent, si ab Ecclesiarum, quibus addicuntur, praesidibus desideratam frustra fuisse noverimus ipsorum operam, neque eorumdem testimonio admoneamur, rerum ecclesiasticarum exercitationibus eos promptos, lubentes, sedulos, et eo, quo par est, animi sensu, habituque corporis in divinorum Officiorum cultum incubuisse.

XVI. *Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur*: cautum legimus apud Tridentinos Patres (4), idque et de iis decretum est, qui primam Tonsuram postulant. Canonum autem jure edocemur, quanam ratione judicandum sit, utrum quis *proprius* initiandi *Episcopus* sit (5). Quare neminem, qui ex aliena sit Dioecesi, suscipere Ordines apud

(1) *Vid. sup. Cap. 5. §. 10.*

(2) *Conc. Trid. in decr. de observand. et evitand. sess. 23.*

(3) *Trid. sess. 23. Cap. 16. de Reform. Conc. Rom. Tit. 6. cap. 2.*

(4) *Trid. sess. 20. Cap. 8. de Reform.*

(5) *Cap.* cum nullus. *De Tempore ordinationis in 6... Trid. sess. 23. Cap. 9... Sess. 14. Cap. 2. de Reform... Legatur Innocentii XII. Constitutio* Speculatores §. *6. ad 13. qua diserte traditur, quomodo quis subditus sit Episcopi ratione originis, domicilii, beneficii, triennalis cum Episcopo familiaritatis.*

nos fas erit, qui ab suo Episcopo litteras non afferat, quibus de justa cujusque aetate, et de explorata ingenii, morum, ac doctrinae facultate, et approbatione, necessariisque aliis rebus ex instituta Tridentini Concilii ratione doceamur, necnon de Ordinibus eidem conferendis potestas fiat. Litteras id genus non accipiemus, si tribus ad summum mensibus antiquiores sint. Qui autem e nostra Dioecesi, vel a Nobis, vel ab Episcopo Suffraganeo nostro in Ordines cooptari nequeunt, quia absentes sunt, vel quod ordinatio non habeatur, dimissorias litteras a nobis petant, quas tamen nisi de ipsorum examine, ac de praestitutis ceteris Ordinum conditionibus monumenta ferantur, dabimus nemini. Referant vero intra mensem diploma susceptorum Ordinum in Curiam nostram, nosque, si commodum est, adeant ipsi, ut cunctos e Clero dignoscamus (1).

XVII. Cuncta, quae ab Apostolica Sede decreta sunt de Regularibus ordinandis, servari omnino mandamus. Quare qui e Religiosis familiis Ordines petent, litteras ab legitimo ipsorum Moderatore proferant, quibus tum de justa ipsorum aetate, de natalibus, de morum, atque vitae integritate, ac de litterarum scientia, et de spiritualibus exercitiis peractis testimonium praebeatur, atque de ordine iisdem impertiendo fiat postulatio (2). Extat in Appendice litterarum exemplar, quas in Curiam Cardinalis Vicarii Urbis dari ad Religiosorum ordinationes mos est (3). Meminerint iidem Regulares, qui nos Ordinum causa adierint, experimento coram nobis habito eam, quae ad eos assequendos par est, scientiam sibi probandam esse. Item nonnisi certo interstitiorum tempore interjecto, eos ad ordinationes admittemus, nisi ex ejusdem Moderatoris testimonio justa de causa ab hoc instituto discedere adigamur (4). Poenis a Clemente VIII. irrogatis edicimus (5), nefas esse litteras dimissorias ad alterum Episcopum dare de iis initiandis, qui in Dioeceseos Coenobiis degunt, nisi vel a nobis, vel a Suffraganeo nostro ordinationem statis temporibus non haberi, scripto Vicarii Generalis testimonio constiterit (6). Eos tamen hac lege exceptos denunciamus, qui post Tridentinum Concilium id privilegii adsecuti sunt, ut a quolibet Catholico Antistite, aut extra praefinita per Canones tempora ordinationum imbui Ordinibus possint (7): quod quidem indultum exhibendum nobis fore mandamus, ea..que semper conditionem *de forma Clementis VIII. servata*

(1) *Ex pluribus Synodis*.
(2) *Concil. Rom. tit. 21. cap. 1.*
(3) *App. P. 2. N. 35.*
(4) *Bened. XIV. Const.* Impositi.
(5) *Vid in Conc. Rom. Tit. 21. cap. 2.*
(6) *Ben. XIV. Const. cit. et Inst. 58.*
(7) *Conc. Rom. Tit. 5. cap. 2. Ben. XIV. Inst. 23.*

additam intelligant (1). Qui sacrum Subdiaconatus Ordinem efflagitant, testimonium habeant Superioris de edita ab ipsis suae disciplinae, ac Religionis professione (2), ut exinde de paupertatis titulo, quo iidem initiantur, fides adsit. Hoc porro testimonium, nisi aliter decernendum videatur, loco illius chirographi in Curiae nostrae Archivo asservandi exquirimus, quo ex Pii V. lege Religiosi viri jurati affirmare deberent, sponte se professionem suscepisse, eamque ratam habere (3).

XVIII. Ceterum praestituta die ad ordinationem, qui initiandi sunt, animo accedant ab omni labe, sordeque per Poenitentiae sacramentum expurgato, rerumque coelestium amore affecto, atque adversus mundi oblectamenta obfirmato, riteque ad Sacram Eucharistiam suscipiendam comparato: adeant in clericali veste, et indumenta, quibus pro gradus ratione ornandi sunt, gestent, cunctaque in ipsa rei sa- sacratissimae actione ea caeremonia, eo rituum apparatu, ea diligentia, religioneque, mentisque, et corporis compositione, ut inspectantes ad pietatem inflamment, sensusque pietatis, ac fidei, quibus perstrictus animus est, vel ex ipso actu personae in Dei gloriam ostendant. Nemo, nisi post sacrum expletum, discedat. Referant vero omnes a Curia nostra de Ordinibus susceptis testimonium, de quibus ut in Archivo monumenta perstent, librum confici mandamus, quo de cujuslibet etiam alienae Dioecesis ordinatione cuncta accurate describantur.

XIX. Ut vero, quae in tanto negotio ex divino, et ecclesiastico jure peragenda sunt, apprime succedant, nostros adjutores, consiliariosque, Canonicos cum primis, et Parochos compellamus, ut consiliis, ope, curis adsint nobis, et quae duxerint e re esse, sine haesitatione patefaciant silentio confisi, quod de ipsorum relatione sancte spondemus. De re quippe, quae in tantum nostrae Ecclesiae commodum, splendorem, ac salutem contingit, diligentiam nimiam nullam putamus, omnibusque cura est singillatim demandata. Cum vero omne datum optimum a Deo sit, stata proinde jejunia, supplicationesque certis anni temporibus, quae dies ordinibus conferendis statutos antecedunt, Parochi ab Ecclesia praescribi denuncient, ut adstet Deus propitius volens Episcopo ad idoneos Sacrorum ministros eligendos, nec non ad eam iis, qui initiandi erunt, voluntatem injiciendam, ut divinum vocationis beneficium memori semper, gratoque animo recolant, vitaeque innocentia eidem cumulate respondere omni studio connitantur.

(1) *Conc. Rom. Tit. 5. cap. 1.*
(2) *Conc. Rom. Tit. 21. cap. 1.*
(3) *Extat in Append. formula hujusce declarationis. P. 2. N. 36.*

CAPUT X.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Honorabile Christianorum *connubium* dicitur ab Apostolo *Sacramentum magnum in Christo, et Ecclesia* (1) ex indissolubili illa viri, uxorisque societate, per quam aeterna Christi, perennisque in Ecclesiam conjunctio mirifice significatur, quam tanto amore dilexit, ut ad eam constabiliendam *exisse a Patre*, novoque charitatis excessu se venisse in mundum, amantissime profiteretur (2). Horret tamen animus ea pervolvere, quae vel a primis Ecclesiae saeculis viri mendaces locuti sunt perversa in tanti Sacramenti sanctitatem, et quae homines scelerati *tradentes se omni operationi immunditiae, injustitiae, iniquitatis, secundum desideria erroris* peragere haud vereantur ab ejus ratione, disciplinaque plane abhorrentia. Haec ut e nostrae Vineae finibus longe propellantur, canonum jura, ac pecularia nonnulla decreta in medium ferre censuimus, quibus *in munitionum destructionem* (3) consulatur, quas in Christiani conjugii religionem nefaria quorumdam opponere audet impietas.

I. Cum difficile sit, bono peragi exitu, quae malo sunt inchoata principio (4), intonet crebro Parochorum vox in eos, qui nihil de sacramento, nihil de mysteriis, quae illo abduntur, cogitantes, ore, lingua, manu, vita omni inquinati ad nuptias properant, quas non praeparatione criminum, non animali cupiditate, sed *in sanctificatione, et honore* (5) jungendas esse ab ipsa fide edocemur. Intonet et in eos, qui de conjugio ad arbitrium, libidinemque deliberantes, nihil parentum, aliorumve, qui sibi parentum loco sint, auctoritati, voluntatique tribuendum ducunt, iisque ignaris, aut jure invitis dant matrimonii ineundi fidem. Est illud quidem firmum, et constans, neque infirmari ab iis, rescindive ullo modo potest, cum imo nefas sit parentibus iniqua tyrannide vim inferre, ubi consensus debet plena libertate gaudere (6), atque excommunicationis poenam in eos irrogata sit, qui nuptiarum libertati adversantur (7). Ast ne pessimo publico, atque in teterrimam civitatum labem haec atten-

(1) *Ad Ephes.* 5. 32.
(2) *Joann.* 16. 28.
(3) 2. *Corinth.* 10. 4.
(4) *Can.* Principatus *caus.* 1. *q.* 1.
(5) 1. *Thessalonicen.* 4. 4.
(6) *Can.* si verum. *Dist.* 31. *q.* 2... *et c.* cum locum. *De sponsal.*
(7) *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 9. *de reform. matr.*

tari ingemiscamus, poenis ideo gravioribus tum eos, qui eo in patriam potestatem eruperint insolentiae, mulctandos edicimus, tum eos, qui manum, consilium, favoremque in id praebuerint: Parochi vero ab iis denunciandis omnino abstineant (1).

II. Hinc ut sponsalibus clam ineundis aditus obsepiatur, quae certe vim haberent, illudque impedimenti genus inferrent, quod honestatis publicae nuncupant (2), satius foret, eadem fieri coram Parocho, et duobus testibus, ita tamen ut Parochus partium consensum non excipiat conjunctim, bene vero separatim de ipso, ac seorsum cognoscat, remque universam litteris consignet. Quod si sponsalia aliter, vel clanculum peracta sint, ea quamprimum denuncientur Parocho, ut de Sponsis, ipsorumque consuetudine prudens inquirat. Monendi vero sunt praesertim rudiores, ne quam sibi ex sponsalibus existiment inditam facultatem, ut ulla insimul utantur matrimonii licentia: scelusque edicatur gravissimum fore, si quid inhoneste peccatum ab iis esset. Caveant proinde parentes, et qui sponsorum cura adstringuntur, ut ii nedum eadem in domo non habitent, atque ab omni familiari usu prohibeantur, sed nec congredi, nec colloqui, nec versari insimul possint. Edictum de ea re edi mandavimus, quod ut accurate, sancteque teneatur, parentum, ac Parochorum excubet cura sollicita, quibus illius executionem cum primis commisimus (3). Referant vero Parochi, si quos contra quod sancita ibidem lex jubet, conari, ac pertentare deprehenderint, ut opportune pro rei ratione consulamus, easque poenas repetamus, quae ceteros ab simili facinore deterreant (4).

III. Denunciari publice in Ecclesia per Parochos matrimonia quaelibet, tribus continuis festis diebus (5), dum maxime frequenti Populo Sacra curantur, Tridentina lege cautum est (6): nullas vero nuptias denuncient, nisi facta iisdem de scripto facultate per nos, vel Vicarios nostros Generales. Rogent autem Parochi sponsos, an denunciari se velint, eosque *seorsum*, *caute*, et ut dicitur *ad aurem* (7)

(1) *Late Muscettula in opere.* De sponsalib. et Matr. filiorum *cum not. Mazochii*.

(2) *Siricius PP. Ep. 1. ad Himer. cap. 4... Legatur Inst. 46. Ben. XIV.*

(3) *Append. P. 2. N. 37.*

(4) *Sin. Velit. Card. Cybo Tit. 17. §. 3. . . . S. Carol. Conc. Prov. VI. Tit.* Quae ad Matr. § Magnam . . . *Vid. Ben. XIV. Inst. 46. §. 17.*

(5) *Rit. Rom. de Sacr. Matr.* § ante quam.

(6) *Sess. 24. Cap. 1. de Ref. Mat.*

(7) *Rit. Rom. de Sacr. Mat.* §. Parochus.

percunctentur, iis omnibus remotis, quibus adstantibus sponsa praesertim animi sui voluntatem, si forte alienior ab ea re esset, minus libere, ac sincere promere auderet (1).

IV. Voluntatem praeterea sciscitentur parentum, aliorumve, quibus sponsorum regimen sit commissum: tum an justa utrique sponso sit aetas, quando nimirum decimum quartum annum excesserint mares, et foeminae duodecimum (2): tum an prima Christianae Fidei rudimenta teneant, ac de Sacramenti, quod petunt, ratione, muneribusque sustinendis, ac praecipue de recta filiorum institutione sint edocti (3): tum an eo anno in Pascha rite confessi communicaverint: tum demum an aliquod inter ipsos impedimentum intercedat, vel de ipso rumor extet ex vulgi sermonibus, ac praesertim num aliquo castitatis, disciplinaeve religiosae suscipiendae voto se obligarint, num alteri fidem de nuptiis vel clanculum dederint, vel ubi de viduis res sit, utrum aliquo pacto criminis impedimentum incurrerint. Haec, aliaque id genus quaeritent prudentissime Parochi, ac si quid nacti fuerint, quod matrimonio jungendo impedimento sit, nos adeant, ut de re decernamus (4).

V. Haec porro, si sponsi diversa Paroecia sint, peragantur a Parochis sponsorum utrorumque; ab iis proinde voluntas sponsi, qui e suo grege est, explorari, matrimoniumque denunciari debebit, ubi certiores invicem facti sint de ipsorum in denunciationes consensu, neque qui sponsis benedicturus erit Parochus, id obeat muneris, nisi de tribus denunciationibus rite ab altero quoque Parocho peractis ex ejus testimonio sibi constiterit, nullumque exinde impedimentum detectum fuisse. Id cautum sit quoque, si sponsi ab una, ubi diu deguerant, Parochia in aliam recens migraverint, ibidem commoraturi: in utraque enim Paroecia ipsorum nomina denuncianda praecipimus. Porro hasce denunciationes remittere, vel differre, mutare, aut interrumpere, liberum non est Parochis, nisi justa, gravisque caussa nobis omnino probanda intercesserit. ***Difficiliores autem esse***, admonemur a Benedicto XIV. (5) *ad*

(1) *Ben. XIV. Const.* Nimiam licentiam §. 10. . . *Syn. Card. Cybo Tit.* 17. §. 8.

(2) *Can.* Ubi non est. *De desponsat. impub.*

(3) *Ben. XIV. de Syn. Lib.* 8. *cap.* 14. . . *Vid. sup. Par.* 1. *cap.* 6. §. 5.

(4) *Syn. Card. Cybo loc. cit.*

(5) *Const.* Satis vobis. *Extat in Append. P.* 2. *N.* 43.

remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari.

VI. Moneant Parochi, quando publice nuptias denunciant, quonam gravi scelere, quibusque poenis obstringantur, qui referre abnuant, si quod intercedere impedimentum noverint, licet occultum illud sit, neque judicio probari possit. Hinc impedimenta tum quae inire matrimonium prohibent, sed initum non rescindunt, tum quae & ineundi facultatem adimunt, & ab inito divellunt, indicent identidem populo ex Commentariolo, quod de iisdem in Appendice proponi curavimus (1). Meminerint autem Parochi speciatim percensere, num primo, an secundo, an tertio denuncient, ut pateat, quando ultimo loco eae nuptiae evulgentur, ut nulla mora de impedimentis, si quae sint, referatur. Edicant insuper censurarum telo confodiendos, gravique animadversione plectendos, qui dolose falsa pro veris detulerint ad conciliatas nuptias interpellandas, vel etiam, si possit, ad eas pervertendas (2).

VII. Quod si impedimentum aliquod vel ante, vel inter ipsas denunciationes, vel iis etiam peractis detexerint Parochi, aut delatum ad eos etiam falso fuerit, non ultra progrediantur, sed nos de eo certiores faciant, ut re cognita id statuamus, quod negotii ratio ex Canonum jure postularit. Si post junctum matrimonium de publico pateat impedimento, adigantur sponsi separare lectum, atque ab omni prorsus consuetudine abstinere, donec Apostolicae Sedis auctoritate impedimento illo liberentur (3).

VIII. Si denunciationibus confectis nihil nunciatum impedimenti fuerit, omnes praecidi moras jubemus ad matrimonium continuo transigendum. Quo tamen die postremum denunciatae eae nuptiae sunt, contrahi eas nolumus, nisi forte aut postridie Quadragesima, vel Adventus ineatur, aut alia subsit causa, ex qua concedendum id esse existimemus: ac tum quidem moneri in ipsa denunciatione volumus Populum de matrimonio eadem die conjungendo. Ceterum satius erit denunciationes ipsas tamdiu differri, donec Parochus ad matrimonii jura stabilienda, et ad pactiones universas de ipso conciliandas quaelibet sublata dubia, cunctaque rite comparata dignoverit. Tot quippe, tantaque incommoda ex nuptia-

(1) App. Par. 2. N. 41.

(2) *Cap.* Cum inhibitio. *De Clandest. Nupt.* §. Saue..

(3) *Traditur in App. Part. 2. N. 44. quidquid facto opus est ad dispensationes assequendas.*

rum procrastinatione sunt pertimescenda, ut poenis etiam ad eam amoliendam occurrendum quandoque sit. Advigilent vero Parochi, ut interim sponsi nedum in honesti, rectique officio contineantur, sed et ab omni familiari usu, congressuque cohibeantur, & praesertim ne eadem in domo habitent. Quod si denunciatum matrimonium ultra duos menses ex facultate nostra differri contingat, iterum illud evulgandum erit, nisi aliud a nobis decernatur (1).

IX. Moneri nos volumus, ut quid e re sit, jubeamus, si quando contingat, ut nondum expletis denunciationibus, alter e sponsis alio commigret diutius absfuturus. Nefas est enim recedere a pactis sponsalibus, nisi justa probetur, gravisque causa, qualis foret diuturna, ac longinqua alterius ex sponsis absentia, quem tamen certo praestituto tempore ex sponsi praesentis postulatione ad reditum adigemus, qui dies si cesserit, quin ipse reversus fuerit, vel saltem de approperando reditu vadimonium promittat, liberum erit sponso, qui adest, alias nuptias conciliare (2). Poenas vero pro rei, ac personarum ratione graviores repetemus ab iis, qui temere, ac sine causa recusent in conventis sponsalibus perseverare, nisi mutuo partium consensu eadem dissolvantur. Hinc juris sanctione macula infamiae notatos novimus, qui primis sponsalibus adhuc integris ad secunda deveniant (3).

X. Si qui matrimonium contrahere postulant, vel ambo, vel alteruter ex iis sint advenae, peregrini, ac diversa Dioecesi, imo vero si Dioecesanus ipse ultra quatuor menses longe abfuerit, denunciari eorumdem nomina vetamus, nisi de libero eorumdem statu, nulloque eos obstringi vinculo, certo, ac legitimo testimonio Antistitum, apud quos deguere, vel si e Dioecesi sint, ex duobus testibus in Curia nostra constiterit. Leges hac de re providentissime latas a Supremae Inquisitionis Congregatione proponimus in Appendice, ut omnibus exploratae, et compertae sint (4). Hinc si quis ex conjugis obitu secundas nuptias petat, testimonium de eo a Parochiae Curatore, ubi ille decessit, proferatur, et ab ipsius obitus die nullam causam adesse, qua a novis nuptiis arceatur, legitime probandum erit. Quod si nuptiae cum viduis alienae Dioecesis paren-

(1) *Rit Rom. Loc. cit.* §. Si una.

(2) *Ben. XIV. Inst.* 46. §. 5.

(3) *L. 2. in fin. D. de his qui notantur infamia . . . Thesaur. de Poen. Eccl. p. 2. c. 1. Verb. Sponsalia . . Can. 10. de Sponsal. . . In eos, qui virginem deflorarint, legatur edictum App. P. 2. N.* 38.

(4) *Append. P. 2. N.* 39. 40.

tur, fides feratur in Actis de matrimonio, quod cum defuncto contraxerat, qui in praesens in novas nuptias contendit.

XI. Ceterum curent Parochi Populum de hujusce Sacramenti sanctitate edocere, ut affectus pietate animus ad illud afferatur. *Honorabile connubium, et thorum immaculatum* (1) postulare se meminerint, qui ad nuptias voluntatem appulere: non formam, non divitias, non voluptatem, sed gratiam Sacramenti, ac Mysteria, quae illo abduntur, attendenda esse: Deum idcirco exorandum, ut volens propitius deliberanti adsit: neque ad eas properandum, nisi Sacramentis Poenitentiae, et Eucharistiae pie, sancteque susceptis.

XII. Hinc mane post diluculum (2), Sacroque peracto, Sponsisque Sacra Eucharistia roboratis jungantur matrimonia in Ecclesia (3), non vero in privatis aedibus, nisi id a nobis consessum fuerit. Duo, vel tres testes adhibeantur, qui sponsos a Parocho interrogatos de ipsorum voluntate, eosque diserte suum in eas nuptias concensum elicientes audiant: Parochus deinde bene iisdem precetur ritu, ac coeremoniis ab Ecclesia constitutis. Porro benedictio nuptialis solemnis primo nubentibus, vel uti in Dioecesi nostra moris est, si etiam foemina solum primo nubat, inter Missam impertienda est (4). Quod si ex facultate per nos facta matrimonium conjunctum fuerit privata in domo, aut vespertinis horis, nec habito Sacro, vel per eos dies, quibus nuptiarum solemnia adhibenda non sunt, benedici sponsi non debent, sed aliis peractis dimittantur. Adeant tamen ipsi alia die ad Ecclesiam ad benedictionem accipiendam, seque ab Tridentinis Patribus *hortari* animadvertant, *ut ante Benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent* (5). Verum sacris Adventus, et Quadragesimae temporibus festo apparatu sponsam traducere domum, convivia celebrare, saltationes instituere, nervorum, vocumque cantus indicere, aliaque id genus, quae pompam, ac sollemnitatem praeferant, peragere, Ecclesiae leges plenissime vetant; atque dignam poenam sustinerent, quos haud pudeat eo incontinentiae, et contumaciae ausu temerario devenire.

XIII. Cautum lege Tridentini Concilii fuit, ut vana essent, et

(1) *Ad Hebr.* 1. 3. 4.

(2) *Append. P.* 2. *N.* 1.

(3) *Rit. Rom. loc. cit.* §. Matrimonium . . . *Syn. Card. Cybo T.* 17. § 4. . . *S. C. C. Pisauren.* 13. *Jul.* 1630.

(4) *Si sponsa sit vidua, a solemni benedictione abstinendum: sit Missa de die, non autem votiva pro sponsis, neque addatur oratio pro iisdem. Rit. Rom. Loc. cit.* § Caveat.

(5) *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Ref. Matr. Legatur Bened. XIV. Inst.* 80. §. 17. *seq.*

inania, nullamque ne sponsionis quidem causam inducerent connubia, quae aliter quam Parocho, vel ex Parochi, Episcopive concessu altero Sacerdote praesente, et duobus, aut tribus rei testibus inita fuerint. Qui vero id facinoris admiserint, jure matrimonii inter se jungendi in perpetuum interdicti sunt, atque excommunicationis vincula incurrunt, poenasque dabunt pro nostro lubitu, quas et ab iis repetemus, qui re, ope, consilio in id sint connisi, vel etiam silentio pravam, procacemque molitionem dissimulaverint. Licet autem ut matrimonium vim habeat, minime intersit, Sponsi ne, an Sponsae Parochus adfuerit, volumus tamen morem servari, ut ille, cui Sponsa subest, ad matrimonium procurandum adhibeatur (1). Id vero hic adnotatum sit, hac nostra Synodali actione ex cunctorum utriusque dioecesis Parochorum suffragio, ac consensione decretum fuisse, ut puellae, quae in famulatu sunt, eo ad matrimonia Parocho utantur, qui aedes Heri suae paroeciae limitibus percenseat. Illud demum jure cautum esse meminerint Parochi, dummodo iisdem adstent, et quod agitur, intelligant, vim nancisci matrimonium, licet fortuito ipsi occurrerint, vel aliam ob causam vocati sint, vel perinviti, et *reluctantes* adsint, et *affectent se non intelligere* (2).

XIV. *Munus*, ex Benedicti XIV. monito edicimus (3), *quod ad proprium Parochum jure spectat, interessendi matrimonils celebrandis per se ipse Parochus, nisi legitima, gravissimaque de causa impeditus, obire teneatur*. Presbyterum pietate, ac prudentia commendatum adhibeat, ubi opus sit, quem certo sciat accurate eadem illa servaturum, ac praestaturum fore omnia, quae Parocho ipsi servanda, praestandaque praescribuntur. Habeat Parochus in ipsa Sacramenti actione ad sponsos gravem, et qui loci, ac rei dignitatem deceat, sermonem, ut dignoscant, quam sancto vinculo contineantur, quantaque religione et suscipiendum matrimonium sit, et tractandum. Rectam cum primis, sedulam, sanctamque Filiorum in Timore Domini, in pietatis officiis, studiisque disciplinarum institutionem inculcent. Completa vero caeremonia iterum eosdem privatim alloquatur coram Parentibus dumtaxat de mutuis conjugii officiis, atque ut nihil proferat, quod *eloquia Domini*, quae *casta* sunt (4), eamque scientiam, quam custodire debent labia Sacerdotis (5), dedeceat, verbis

(1) *Legatur Ben. XIV. Inst. 30. qua de Parochis ad nuptias adhibendis agitur luculentissime.*

(2) *Late Bened. XIV. de Syn. L. 13. cap. 23. §. 10. seq.*

(3) *Const.* Nimiam licentiam §. 9.

(4) *Psal. 11. 7.*

(5) *Malach. 2. 7.*

eos moneat Antistitis Sanctissimi Francisci Salesii, cujus idcirco de Conjugibus documenta edi mandavimus in Appendice (1).

XV. Habeat vero Parochus librum apte, ac diligenti opere compactum (2), quo ipse *manu sua, licet alius Sacerdos vel a se, vel ab Ordinario delegatus matrimonium celebraverit, rescribat nomina conjugum, et testium, et alia juxta formulam praescriptam*, dies nimirum, quibus denunciationes factae sunt, tum dispensationem, si qua forte impetrata sit, diem, mensem, et annum, locumque ubi matrimonium peractum est, ac demum si quis mandato eo munere perfunctus sit, Sacerdotis illius nomen, gradumque. Item si per procuratorem junctum matrimonium sit, chirographum, quo quis in id procurator legitimus designabatur, in Curia nostra recognitum, probatumque, et in Archivo conservandum, referatur in librum (3). Parochos, quos hujusce muneris negligentes deprehendemus, poenis, quas meriti nobis videbuntur, plectendos omnino fore denunciamus.

XVI. Qui coram Parocho inscio, aut invito, nullis peractis denunciationibus, neque facultate per nostram Curiam delata matrimonium contrahere ausi fuerint, atque eos etiam, qui testes nefariae fraudis adstiterint, illosque vel re, vel consilio juverint, tum carceris, tum pecuniae, tum aliis poenis mulctandos severe decernimus. Conjuges vero illico ab cohabitatione, usuque familiari prohibeantur, donec decretas poenas sustinuerint, Deoque, et Ecclesiae ex nostra sententia satisfecerint. Sciant vero Parochi, dicimus cum Benedicto XIV. (4), *adhibendam esse a se industriam omnem, et diligentiam ad impedienda hujusmodi matrimonia, eumque Canonicas poenas incurrere, et signanter in suspensionem ab officio ad triennium incidere, si praesentiam praestet alicui Matrimonio, quod fieri praesumatur vel sine praescriptis denunciationibus, vel sine praevia dispensatione illius, qui super observantia earumdem denunciationum dispensare potest.*

XVII. *Bona sunt vincula Nuptiarum, sed tamen vincula: bonum Conjugium, sed tamen a jugo tractum, et a jugo mundi*: inquiebat S. Ambrosius (5) Haec sane meditari deberent, qui ad nuptias properant: haec Parochi eosdem monere, ubi primum de matrimonio ineundo res sit: haec demum et illi reputare, qui jam conjugii foedere juncti duo sunt effecti in carne una. Mutua semper inter eos

(1) Par. 2. N. 42.
(2) *Rit. Rom. de Matr.* §. *ult.*
(3) *Can. ult. de Procurator. in 6.*
(4) *De Syn. Lib. 13. cap. 23.* §. 10.
(5) *De Virgin. cap. 6.*

sit charitas: mutua et in incommodis naturae cujusque tolerandis constantia, altero alterius onera invicem portante (1). Viri uxorem vera benevolentia, gratiaque complectantur: virum uxores non summe solum ament, sed etiam revereantur, et colant. Diligentiam vero ad liberos recte instituendos nimiam nullam existiment. Hinc teneros adhuc ipsorum animos Christianae pietatis praeceptis informent; desidem, atque otiosum neminem sinant, sed suo quemque negotio vel ex litterarum studiis, vel ex honesto artificio pro gradus, ingeniique conditione detineant. Comoedias, libros, et alia quaelibet, quae magnopere molles adolescentium animos subruunt, et saepe bonas quoque mentes labefactant, et a doctrina sana, quae secundum Deum est, abducunt, removeant, ac veluti pestem arceant ab iis contentione adsidua, et qua possunt maxima. Inde enim familiarum pernicies, inde tot in civitatibus flagitia, inde miserrimi Reipublicae casus, omnisque ordinis clades, atque dejectio. Id praeterea egentibus praesertim commendent summopere Parochi, ut lectos filiorum omnino dividant ad aditus omnes periculis praecludendos, nec grandiusculos cubare in nuptiali thalamo omnino sinant, conclamante S. Carolo, *nec paupertatis, angustiaeve habitationis locum facile relinquendum, quominus ista impuritatum occasio omnis praecidatur, quum humi potius, atque adeo sub diu jacere satius esset* (2).

XVIII. Quae vero sancta matrimonii jura nefario polluunt, atque perturbant, ea plane ex Dioecesium nostrarum finibus convellere, sollertiae cumprimis, et religioni Parochorum commendamus. Poenam excommunicationis a Concilio Tridentino decretam (3) inclament in eos, qui ab probrosa consuetudine abstinere aut abnuerint, aut contumaciter distulerint. Nos vero de iisdem certiores faciant, ut ex Canonum rigore, poenisque aliis eos compescamus. In eos autem, quos verius dixeris monstra immanissima, et foedissima, qui nimirum eo turpitudinis, ac perversitatis progrediantur, ut, quod Caesareis Legibus *nefandum* nuncupatur, atque perpetua infamia, morteque expiandum edicitur (4) lenocinium de uxoribus, filiis, aliisque personis, quibus parentum loco sunt, attentent, nulla certe durior animadversio videri potest. Quare nedum profligatissimos hosce, et perditissimos, cunctosque consilium in id, et auxilium, consensumque etiam

(1) *Ad Galat. 6. 2.*

(2) *Conc. Prov. VI. Tit. de Matr.* §. Nec vero.

(3) *Sess. 24. cap. 8. de Reform. Matr.*

(4) *Authent. de Lenocin.* §. Sancimus.

tacite praebentes, nostro tantum judicio absolvendos reservamus, licet non inde execrandum quaestum aucupentur, imo etiam licet, Deo bene juvante, nihil turpe contigerit (1); verum si de tali dedecore constiterit, eos justae, et debitae damnationi, et infamiae sordibus pro putidissimi facinoris acerbitate, omni adempta spe veniae, addicemus.

XIX. Atque hoc loci id praeterea a Parochis expetimus, ut advenarum, peregrinorumque statum, qui aliunde in suam Parochiam immigraverint, studiose cognoscant. Hinc nedum quo ipsi in Religionem sint animo, disquirant, sed si ignotas mulieres secum habeant, curent omnino, ut infra definitum tempus eas sibi vel matrimonii, vel propinquitatis causa conjunctas esse testatum faciant; quod si satis luculenter probare nequiverint, ac suspicio proinde subsit impudicitiae, rem statim ad nos deferant, qui, quod maxime opportunum censeamus, remedium adhibebimus. Huc spectant et quae de *Cingaris*, quos dicunt, soleter observandis decreta sunt, ne vaga haec, et inhonesto ut plurimum quaestu victitans natio, turpissimis impune criminibus, flagitiisque insordescat (2).

XX. Haec de matrimonio rite procurando ad canonum sanctiones proponere visum est. Ubi vero legitime initum, concubituque demum firmatum fuerit, dirimi illud ex nulla humana valet auctoritate, sed aeternam vitae societatem inducit, quae exsolvi, nisi morte, non potest. Non quidem ex diuturna, et studio dilata absentia, non ex jurgiis, contentionibusque, non ex adulterii facinore, non demum ex haeresi separari illud fas erit, quod Deus conjunxit (3). Verum sejungi dumtaxat, ne eodem cubare lecto, iisdemque aedibus degere cogantur, possunt conjuges, si alter a fide perduellis desciscat, aut violatae ex adulterio fidei, vel infandae veneris, aut dirioris saevitiae in uxorem reus sit (4). Fieri tamen illud prorsus vetamus, nisi nos cognita causa de ipsa separatione decernamus. Ceterum si de Matrimonii vi quaestio fiat, servari accuratissime mandamus, quae a Benedicto XIV. de judiciis id genus definiendis pro rei sanctitate sancita sunt (5).

XXI. Ultimo loco de Matrimonio, quod dicunt *conscientiae*, haec meminerint Parochi, scilicet arcani silentii lege obstringi tum Parochum, tum testes ad illud jungendum adhibitos: illudque non in li-

(1) *Ex Tabula casuum reservat. N. 9. sup. cap. 6.* §. 19.

(2) *Vid. sup. Part. 1. cap. 5.* §. 19.

(3) *Matth. 19. 6.*

(4) *Vid. Bened. XIV. de Syn. Lib. 9. cap. 9.* §. 4.

(5) *Const.* Dei miseratione ... *Item Const.* Si datam ... *et Const.* etsi matrimonialis.

brum referri, quo cetera Matrimonia adnotantur, sed in alium codicem in secreto Episcopi Tabulario adservandum: non omnes demum posse illud suo lubitu inire, quod cum occultum sit, gravia potest mala irrogare ac proinde nonnisi ex Episcopi auctoritate, ubi *non obvia quaevis, et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima* id postularit, peragendum est (1). Benedictus XIV. in eam rem saluberrima constitutione opportune consuluit, ut quae conducere possint saluti Conjugum, et Matrimonii sanctitatem tueri, prolisque incolumitatem vindicare, naviter, accurate, solerterque procurentur (2).

(1) *Late Mazzeus de Matr. Conscient. cap. 9.*

(2) *Ex Bened. XIV. Const.* Satis vobis *quae extat in app. P. 7. N. 43.*

PARS TERTIA

DE QUIBUSDAM ECCLESIAE PRAECEPTIS, AC SACRIS RITIBUS.

Cum Christus Jesus Fideles omnes, quos ovium, agnorumque nomine designavit, uni Petro pascendos commiserit (1); aperte se velle demonstravit (*quod disposito divinitus operi maxime congruebat*) *ut omnes uno foederarentur imperio* (2). Nemini porro dubium esse potest, quin nullum consistat imperium, nisi quibusdam legibus, tamquam vinculis, quodammodo devinciatur, ex quo manifeste patet, absurdissimum esse eorum commentum, qui omnem legum ferendarum potestatem Ecclesiae, ejusque Supremo Capiti Romano Pontifici adimere conantur. Cum igitur de Sacramentis hactenus egerimus, quae media sunt omnium efficacissima ad divinam consequendam gratiam, qua adjuti ad aeternam aliquando beatitatem perveniamus, nonnulla modo adjungere operae pretium erit de praecipuis Ecclesiae praeceptis, ut, quemadmodum oportet, omnia secundum ordinem fiant. Cumque plures ab eadem Ecclesia sacri, publicique ritus fuerint sapientissime instituti ad cultum Supremae Majestati exhibendum, ad Religionis mysteria saepius recolenda, sancteque celebranda, atque ad pietatem in singulorum animis fovendam, alendamque, non abs re erit, quae in communiori usu posita sunt, breviter exponere, ut ea, qua par est, modestia, gravitate, decore tum a Sacris Ministris peragantur, tum a singulis Christi Fidelibus frequententur.

CAPUT I.

DE FESTORUM DIERUM SANCTIFICATIONE.

Quemadmodum nulla, quantumvis fera, et barbara Natio est, quae omni prorsus careat religione, ita nulla invenitur gens, quae aliquos per annum dies iis exercendis minime adsignaverit, quae

(1) *Jo. XXI. 17.*

(2) *S. Leo Serm. LXXXII. cap. 2.*

ad specialem quemdam Deo cultum praestandum pertinent. Ita enim a Naturae Auctore conditi sumus, ut una ex parte sine religione stare nequeamus, ex altera, ut quam animo gerimus, eam quoque externis veluti signis caeteris quoque patefaciamus.

Quod autem Natura ipsa nos docet, Deus quoque in veteri lege celeberrima illa Sanctione aperte decrevit: *Memento, ut diem Sabathi sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua: Septimo autem die Sabathum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo . . . . sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septima. Idcirco benedixit Dominus diei Sabathi, et sanctificavit eum* (1). Hoc quidem Dei praeceptum quoad substantiam a Christo Domino confirmatum, ita commutarunt Apostoli divino Spiritu afflati, ut Sabathi loco sequens dies a Fidelibus festa haberetur, quae cum Domino esset consecrata, Dominica a primis Ecclesiae exordiis coepit appellari. Neque id sine maximis rationum momentis factum est. Tum enim hoc modo in ipsa festorum dierum observantia ab Judaeis secernimur, tum per hujus diei solemnitatem praecipuorum in nos beneficiorum a Deo collatorum memoria in nostris animis saepius renovatur, faciliusque perseverat. *In hac enim*, apposite ad rem nostram inquit S. Leo, *mundus sumpsit exordium: in hac per resurrectionem Christi et mors interitum, et vita accepit initium: in hac Apostoli a Domino praedicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt, et inferendum universo Mundo Sacramentum regenerationis accipiunt: in hac, sicut B. Joannes Evangelista testatur, congregatis in unum discipulis, januis clausis, cum ad eos Dominus introiisset, insufflavit, et dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis .... in hac denique promissus* a *Domino Spiritus Sanctus advenit* (2).

Haec quidem de diebus Dominicis. Sed nonnulla quoque alia non minus insignia Festa celebranda indixit Ecclesia, uti in veteri quoque Synagoga in more positum fuit. Ejusmodi sunt Nativitas, et Ascensio D. N. J. C.; ejusmodi quoque sunt Festa in memoriam B. Mariae Virginis, aliorumque Sanctorum instituta, ut in illis praesentissimos precatores habeamus apud Deum, eorumque res gestae nobis ad imitationem proponantur. Ex quibus omnibus patet luculentissime, qua cordis munditie, quaque pietate, et devotione dies hujusmodi essent transigendi, ne Judaei, caeterique, qui ab Ecclesiae societate, et communione remoti sunt, et avulsi, surgant in

(1) *Exod. cap. XX. et XXI.*

(2) *S. Leo Epist. IX. Cap. 1.*

judicio cum generatione ista, et condemnent eam (1), eoque acrius, quo festorum dierum numero ob indulgentiam S. Mem. Pii VI. imminuto, qui supersunt diligentiori cultu essent celebrandi. Ne autem populum, rudiorem praesertim lateat quos dies sanctificare oporteat, et ne quis ignorantiam adducere possit, quemadmodum dies festi sint peragendi, haec statuenda judicavimus.

I. Parochis omnibus, Ecclesiarumque Rectoribus praecipimus, atque mandamus, ut diebus Dominicis inter Missarum Solemnia dies festos, si qui sint ea in hebdomada, enuncient, et pridie dierum eorumdem statim post signum salutationis Angelicae aera Campana pulsari curent, quo sonitu quisque Solemnitatis admonitus ad eam celebrandam impensius excitetur (2). In Cathedrali vero, et Collegiatis Ecclesiis in Epiphania Domini Festa Mobilia totius anni post Evangelium, Pontificali Romano praescribente, promulgentur; idque etiam in reliquis Ecclesiis Parochialibus vernacula lingua peragatur (3).

II. Dies communi Ecclesiae more incipit a noctis, quae praècedit, dimidio, concluditurque dimidio noctis alterius, quae subsequitur. Haec omnino dierum festorum mensura est, atque toto hoc temporis spatio quodcumque opus servile exercere vetitum est.

III. Si aut vera necessitas postulet, aut pietatis ratio suadeat, ut aliquando hujus regulae fiat exceptio, consuetam juxta Sacros Canones misericordiam faciemus (4). Ne quis tamen se his causis urgeri facile ex sese judicet, sed eos potius consulat probos viros, ac timoratae conscientiae Parochos et Sacerdotes, qui rectum consilium dare queant, quotiescumque aliquod servile opus die festo aggredi necesse sit, neque audeat quis operari nisi facta sibi ab Ecclesiae auctoritate venia; et quoad fieri potest non publice, et palam, sed clam et secreto fiat.

IV. Venia haec in Civitate a Vicario Nostro Generali, in Oppidis Dioecesum Nostrarum, ubi ad eum aditus commode non pateat, a Vicariis Foraneis petenda est. Hi autem omnes, necessitate perspecta, eam in scriptis gratis omnino elargiantur, qui postulant hortantes, ut ob indultos labores *Ecclesiis circumpositis, et Dei pauperibus aliquam in alterius veluti cultus repensum faciant portionem* (5). Si vero deprehendant petentes nulla urgeri necessitate, eos opportu-

(1) *Matth. XII. 41.*
(2) *Synod. Veliterna sub Cybo Tit. VI. num. 4.*
(3) *Ibid. num. 5.*
(4) *Conc. Rom. sub Bened. XIII. Tit. II. cap. 2. Ex plur. cap. de Feriis.*
(5) *Idem cit. loc.*

ne redarguant, praeceptique pondus demonstrent, urgeantque, cujus violati praecepti rei coram Deo fierent, etiamsi ob extortam facultatem externi fori poenas effugerent.

V. Qui per diem festum mechanicis artibus, vel aliis quibusvis vetitis operibus vacare deprehensi fuerint, nisi habitam in scriptis veniam exhibeant, debitas poenas luant: speciatim vero qui currus aut jumenta ad res importandas, exportandasque ducunt, nisi forte iter die non festo inchoatum prosequantur, juliis quinque in Ecclesiarum usum, vel pauperum subsidium erogandum mulctentur.

VI. Mercatores, Opifices, aliique ne festo die officinas aperiant suas. Et quamquam primo mane, et vespere semiapertae tolerentur illae, ubi aut barbam tondere, aut ea mercari quisque possit, quae ad medicinam, et quotidianum victum fere sunt necessaria, tamen divinorum Officiorum tempore sint penitus clausae, quod quidem severius faciendum esse praecipimus diebus in Ecclesia solemnioribus, veluti in Nativitate, et Epiphania Domini, in Paschate, et Pentecoste. Quae autem opera diebus festis exercere sit nefas, quaeve permittantur, aut ex Ecclesiae benignitate tolerentur, distincte significavimus Edicto in Appendice edendo (1), cui Synodicae Constitutionis vim, et robur adjicimus, quodque statis diebus frequenti populo a Parochis legj, atque explicari volumus.

VII. Mercatus die festo nunquam habeantur (2), sed vel omittantur, vel alius iisdem dies assignetur. Cum tamen die festo S. Clementis, et proxime sequentibus haberi in hac Civitate Nostra soleant celebriores mercatus, seu nundinae, has quidem ita permittimus, ut divinorum Officiorum tempore et Apothecae sint clausae, et nemini mercari liceat (3).

VIII Festis quoque diebus judicialis strepitus conquiescat. Itaque reum ad questionem vocari, jusjurandum exquiri, instrumenta, aliaque acta a quibuscumque ad Forum pertinentibus confici, Judices ab utraque licet parte rogatos jus dicere Sacri Canones vetuere, quae omnia inania per se, nullaque esse declararunt, nisi pietas, aut necessaria causa ad haec praestanda compellat (4).

IX. Illos quoque monendos esse ducimus, qui diebus festis, vel heros suos, vel negotiorum socios, aliosque aliis de causis convenire solent, et cum iis diu de negociis ipsis multum terere temporis, ne hac in re dies perdant, qui servilibus operibus peragendis de-

(1) *Append. num. I.*

(2) *Bened. XIV. Encycl. 7.* Ab eo Te mpore §. 22. *CXLIV. Bull. Tom. I.*

(3) *Idem ibid.*

(4) *Can.* Omnis dies, *et Can.* Conquestus V. *de Feriis*.

stinantur, hos inquam graviter a Parochis monendos volumus, ne terrenis rebus nimium occupati sibi invicem sacras conciones, vel catechisticas institutiones audiendi tempus abripiant: Ne quis etiam dies festos insumat ad petendam a famulis suis rationem de iis, quorum administratio eorum curae commissa est, sicque a diebus festis rite sanctificandis retrahat, vel impediat.

X. Id quoque exigit Pastoralis Nostrae curae munus, ut diebus festis vel removeantur omnino, vel saltem intra quosdam limites arceantur spectacula illa, quae leves, frigidosque multitudinis animos dies festos violandi periculo facile solent exponere. Vetamus itaque hisce diebus poenis in delinquentes, si opus fuerit, irrogandis: I. Clamorosas venationes: II. Circulatorum ludos, quos volumus etiam a rerum quarumcumque venditione abstinere: III. Ne prope templa quidpiam, licet pietatem praeseferre videatur, venale exponatur: IV. Cantus quoque, maxime tempore supplicationum, Catechismi, Concionis, Missae, quam in Basilica Cathedrali majorem dicunt, parochialem in Paraeciis, aliorumque divinorum Officiorum. V, Cauponas, atque tabernas his praesertim horis nemini, si viatores excipiantur, patere volumus, et neminem prorsus in eas admitti ad ludendum, et compotandum, licet id secreto, clausisque foribus fieret. Praecipimus potissimum etiam sub mulctae pecuniariae, et carceris poena ne unquam, ullibique fiant combibonum conventicula, et gravius quoque in eos animadvertemus, qui conventionem de bibendo adeo ineunt, ut ad ebrietatem ipsorum aliquem inducant. Quod quidem jam alias sub poenis carceris, aliisque arbitrio nostro infligendis vetitum esse expresse declaravimus, nuncque confirmatum volumus.

XI. Cum magno cordis Nostri dolore compertum nobis sit protervos juvenes, petulantesque viros in Ecclesiarum porticibus, et atriis consistentes mulieribus ad Sacra confluentibus verbis, nutibus, procacibusque oculis laqueos turpiter parare, maximoque caeteris Fidelibus scandalo esse, vetamus idcirco, ne quis, sive divinorum Officiorum tempore, sive iisdem absolutis illic consistere, et impudentur se gerere audeat, Parochi, autem, et Vicarii Foranei hujus Sanctionis Nostrae executionem satagant urgere. Quod si quis forte eorum monitiones contemnat, is Vicario Nostro Generali denuntietur, et carceris poena, aliisque arbitrio nostro statuendis severissime plectatur.

XII. Ad dies festos rite peragendos haud satis est ea omnia removere, quae a Dei cultu animos quoquomodo avertere possunt, meminerint insuper Christi fideles, (eo enim vocabulo utemur, quo

Deus (1) praeceptum tulit suum) diem festnm non esse otiose insumendum, sed piorum operum exercitio, ut Sacrae Literae loquuntur (2), sanctificandum. *Dies Festi*, inquit apposite ad rem nostram Summus Pontifex Benedictus XIV. (3) *Non ad id instituti sunt, ut Christianus Populus epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis, aliisque id genus liberius vacet, sed ut Fideles in precibus, divinisque laudibus frequentes, et assidui sint, ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animae vulnerum curationem instituta adhibeant, seduloque se exerceant in iis operibus, quae veram pietatem continent, et ut Sanctos una cum Christo regnantes Patronos congruis officiis, et honoribus prosequantur.*

XIII. Itaque cum his praesertim temporibus praecepti hujus observantiam quam maxime relaxatam esse boni omnes doleant, Parochorum sit, eorumque qui ad populum verba facere solent, de illa saepissime agere, eosque objurgare gravissime, qui Missa audita quod reliquum est temporis vel in venatione, vel in platearum, tabernarumque circulis otiose insumunt, conteruntque. Acrius etiam in eos invehant, qui in ludis, aleis, ebrietatibus, commessationibus toto eo tempore versantur. Efficiant imo, ut Fideles sibi persuadeant, dies festos sanctis operibus esse transigendos, curentque diligentissime, ut pluribus intersint Sacrificiis, Sacramenta suscipiant, Sacras adeant conciones, Christianas institutiones ediscant, aut tradant, actus peragant Theologicarum virtutum, potissimum ante Augustum Sacramentum, vespertinis adsint officiis, Sacras B. M. V. precationes alternis, ut moris est, recitent, aliaque id genus pietatis opera sedulo exerceant. *Quantum* enim, sapientissime inquit Cathechismus Romanus, *Fidelium referat hoc praeceptum colere, ex eo perspicitur, quod eo diligenter colendo ad reliqua legis jussa servanda facilius adducentur. Cum enim inter caetera, quae diebus Festis praestare debent, necesse habeant verbi Dei audiendi causa ad Ecclesiam convenire, cum edocti fuerint divinas justificationes, illud etiam consequentur, ut ex toto corde custodiant legem Domini* (4).

XIV. Quae Parochis, verbique Dei Concionatoribus superiori numero dicta sunt, quilibet Paterfamilias a suis Familiaribus fideliter studeat observari (5).

XV. Plurimum autem ad dies festos rite celebrandos proderit, si singularum Solemnitatum, quae in Ecclesia obtinent, originem,

(1) *Exod. Cap. XX. 8.*
(2) *Ibidem.*
(3) *Constit.* Nihil profecto §. 1. *num. 1. Bull. Tom. I.*
(4) *De 3. praecept. Cap. IV.* §. 2.
(5) *Synod. Velit. sub Cybo Tit. VI.*

naturam, causam dilucide Parochi aperuerint, divina quae illis diebus commemorantur beneficia in eorum mentibus penitus defigere curaverint, si Deiparae, Apostolorum, aliorumque Sanctorum virtutes, resque praeclare gestas condignis laudibus, quoad fieri poterit, extulerint, Fidelesque excitaverint, ut eos tamquam Patronos colant, et veluti virtutum omnium exemplaria intueantur, atque imitentur.

XVI. Neque hic committere possumus, ut cultum, venerationemque silentio praetereamus non solum erga Sanctissimam Dei Genitricem, quam sub dulcissima *Matris Gratiarum* nuncupatione veluti praecipuam sui patronam Civitas Nostra piissime colit, verum etiam erga invictissimum Martyrem, sanctissimumque Pontificem Clementem, quem Majores Nostri Civitatis, atque utriusque Dioecesis Protectorem praecipuum elegerunt, cujus quidem praesentissimum patrocinium semper experti sunt. Hunc igitur quovis festo die impensius coli, sicuti aequissimum est, volumus, commendamusque. Patroni vero hujus festus dies in quavis Parochia tum Civitatis, tum utriusque Dioecesis aliquo pietatis officio Pastoribus singulis curantibus praeveniatur. Idem dies non secus atque alii, quos Ecclesia solemnissimos habet, ab omnibus celebretur. Eadem quoque dicta volumus de Ostiensi Dioecesi quod ad S. Virginem, et Martyrem Auream spectat, cujus fidissimo patrocinio gloriatur, cujus diem festum, ut melius possit a populo praesertim Ostiensi venerari, nos Apostolica Auctoritate suffulti transtulimus in alteram ex duabus postremis Mensis Maji Dominicis, vel in ptima Mensis Junii, quae Festo Pentecostes, vel Sanctissimae Trinitatis non impediatur (1). Neque in Civitate hac Nostra cultus negligatur erga SS. Eleutherium, et Pontianum Martyres, et Pontifices, ac Geraldum Episcopum, et Confessorem, quorum patrocinio stat haec ipsa Nostra Civitas. Et quamvis dies istorum Natalitii inter festos de praecepto non recenseantur, singulorum tamen Civitatis Parochorum erit in praecedentibus Dominicis diebus dum greges suos in Missae Sacrificio alloquuntur, eosdem omni qua possunt ratione cohortari, ut in eorum festivitatis die Cathedralem Basilicam adeant sacras eorumdem exuvias veneraturi, suisque apud Deum in Coelo Patronis honorem aliquem exhibituri.

(1) S. R. C. Decret. 19. Nov. 1816.

CAPUT II.

DE CONFESSIONE ET COMMUNIONE.

Nemo sane ignorat omnibus omnino hominibus poenitentiae Sacramentum esse necessarium: non est quippe *homo qui non peccet* (1). *Nihil enim peccare est solius Dei* (2). *Una autem erroris medicina confessio est* (3). *Solvit siquidem criminum nexus verecunda confessio peccatorum* (4). Necesse quoque est ad Sanctissimam Eucharisticam Mensam accedere. Christus enim qui dixit: *Si poenitentiam non egeritis, omnes* simul *peribitis* (5): dixit etiam: *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis* (6). Nullum quidem utriusque hujus implendi praecepti tempus Christus definivit, sed Ecclesiae judicio, et auctoritati id assignandum commisit. Quae sane quamdiu nihil Fidelibus fuerit optatius quam peccatorum pondere per Sacramentum reconciliationis levari, nihilque jucundius suaviusque, quam saepe Angelico pane refici, atque recreari, eorum libertati utriusque praecepti adimplementum integrum reliquit. Cum autem frigescente Charitate ab utroque Sacramento diutius quam par esset eos abstinere animadverteret, pluries coactis Conciliis constituit tempora, quibus ad haec Sacramenta esset accedendum (7). Denique in Concilio Lateran. IV. hac de re celeberrimum hunc canonem sancivit Ecclesia: *Omnis utriusque Sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam propris viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens ecclesiastica careat sepultura* (8). Haec porro Lex fuit a Tridentinis Patribus expresse confirmata (9). Cum autem de utroque hoc Sa-

(1) *III. Reg. VIII. 46.*

(2) *S. Ambr. Epist. LXVII. ad Simplicianum.*

(3) *Idem de Instit. Virg. Cap. IV.*

(4) *Idem de Poen. Lib. II. Cap. VI.*

(5) *Lucae XIII. 5.*

(6) *Joan. VI. 54.*

(7) *De Euchar. sumend. ter in anno Conc. Agath Relat. in Cap* Seculares *19. de Consecr. dist. 2. et Cap.* Etsi non frequentius *16. Ibid.*

(8) Omnis utriusque sexus *12. de Poenit. et remiss.*

(9) *Trid. Sess. XIII. Can. IX., et Sess. XIV. Cap. V. et Can. VIII.*

cramento alibi egerimus (1), hic unice de plena integraque praecepti utriusque observantia agendum erit.

I. Parochi itaque omni cura, studioque perficiant, ut hujusmodi praeceptum omnes omnino permagni faciant, omnesque prorsus observent.

II. Opportunum erit proinde si quaedam sibi tempora constituant, quibus hoc praeceptum in memoriam Fidelium revocent, gravissimeque inculcent. Haec tempora, Cl. Mem. Cardinali Alderanio Cybo Praedecessore Nostro praescribente (2), duo maxime sint; Dominica scilicet quarta Quadragesimae, et Dominica Passionis inter Missarum solemnia (3). Ne vero quid omittatur ad animos Fidelium permovendos, perlecto eodem superius relato Canone in Italicam linguam converso (4), gravi, efficacique oratione poenas exponant, quas Canon idem contra praecepti tam sancti violatores comminatur.

III. De praecepto autem confitendi peccata in Sacramento Poenitentiae illud distincte tradant, quod a memorata Tridentina Synodo probatur, et commendatur (5). In universa nempe Ecclesia cum ingenti animarum fructu observari morem illum salutarem confitendi sacro, et maxime acceptabili Quadragesimae tempore.

IV. Ne quis autem in scrupulum quemdam, aut animi anxietatem incidat ob illa verba: *Confiteatur proprio Sacerdoti*, docendum publice erit, ibi non Parochum uniuscuiusque proprium intelligi, sed Sacerdotem quemcumque vel Saecularem, vel Regularem, qui a Loci Antistite, in quo fit confessio, sit ad confessiones excipiendas probatus (6). Monendi tamen Fideles praeceptum minime impleri confessione voluntarie nulla (7).

V. Ac ne quis se omni alia obligatione solutum censeat, si semel in anno peccata confiteatur sua, docere debent Parochi alia quoque esse tempora, quibus Divinum Confessionis praeceptum sive *per se*, ut Sacri Doctores loquuntur, sive *per accidens* urget, *certe salutariter*, ut rem explicat S. Carolus, *ex doctrina Spiritus San-*

(1) *Part. II. Cap. IV. et VI.*

(2) *Synod. Velitern. sub Cybo Tit. .... num. ...*

(3) *Vid. Ind. Rer. publ. ad calcem huj. Synod.*

(4) *Qui refertur in App. Num. 2.*

(5) *Sess. XIV. sub fine cap. V.*

(6) *Constat ex Extrav. Joan. XXII.* Vas Electionis de *Haer. ex Decr. Clem. VIII. 22. Decemb. 1592* Vid. Prop. *80. inter proscript. ab Alex. VIII. et 13. inter proscript. ab Alex. VII. Vid. et Lambert. Inst. XVIII. num. 7.*

(7) *Vid. Prop. 14. inter proscript. ab Alex. VII.*

cti cautum est, Christi Fideles de peccatis confiteri debere, quotiescumque rem actionem aliquam aggrediuntur, in qua praesens mortis periculum pertimescendum sit. Quamobrem Parochus curet, atque efficiat, ut... si quis Parochialis, eo profecturus est ubi sit pestis, aut haeresis, aut ubi nullam Confessarii copiam habere possit, aut ad bellum iturus sit, aut pugnam initurus, aut iter infestum, navigationemque periculosam facturus, antequam viae, navigationique se committat, peccata confiteatur. Idem officium praestet de mulieribus proxime parituris (1). Praeterea cum ex Pauli praecepto (2) se ipsum probare quisque debeat, antequam de Christi Corpore edat, et de calice bibat, *Ecclesiastica consuetudo declarat*, inquit Tridentinum Concilium, *eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat* (3). De aliis vero temporibus cum ea quis sive tractare, sive suscipere aggreditur, quae a peccatore attingi minime licet, ea moneantur, quae hac de re in Rituali Romano (4) distincte explicantur. Illud denique Ecclesia Fideles semper admonuit, iisque mandavit, ut Sacramento poenitentiae se expient, quandocumque infirma sunt valetudine (5).

VI. Cum Lateranense Concilium Sacram Mensam unicuique adeundam esse in Paschate decreverit, tempus hoc non unica Dominicae Resurrectionis die arctatur, sed ad integros quindecim dies extenditur, quorum primus est Dominica Palmarum, postremus Dominica in Albis; quod auctoritate etiam Apostolica declaratum est (6). Violant itaque Ecclesiae praeceptum, qui intra hujusmodi tempus Eucharistiam non sumunt, nisi aut legitimo impedimento teneantur, aut Confessarii judicio id facere in aliud tempus distulerint; quod quidem necesse nonnunquam est, ne quis indigne Christi Corpus manducando teterrimo se sacrilegio contaminet, praesertim cum ne Ecclesiae praecepto quidem satisfaciat, qui sacrilege ad Communionem accedit (7).

VII. Quanam aetate praecepto huic parere quisque incipiat

(1) *In Conc. Mediolan. VI.*

(2) *I. Cor. cap. XI. 28.*

(3) *Trid. Sess. XIII. cap. 7.*

(4) *Rit. Rom. de Sacram. administr. gen. Sess. Quamobrem.*

(5) *De obligat. Medicorum hac in re vid. Part. II. cap. VI. num. 31.*

(6) *Eugen. IV. Const.* Fide digna *XX. Id probat Bened. XIV. in Encycl. Ad Primat. Poloniae* Magno *XLVIII.* §. 22. *Bull. Tom. III.*

(7) *Ex Prop. 55. inter proscript. ab Innocent. XI.*

nondum ab Ecclesia Universali definitum est. Hae tamen veluti regulae haberi pussunt. Pueri illi ab Eucharistica mensa arcendi omnino sunt, qui ob aetatis imbecillitatem Sacramenti hujus cognitionem, et gustum nondum habent (1). Illi autem ad Mensam hanc vocandi, qui divinum hunc cibum a communi, et profano pane distinguere satis sciunt, et possunt satis intelligere, quid sibi apud Christianos velit Sacra Communio, et qua ratione a Fidelibus suscipi debeat (2). Tempus vero, quo pueris haec cognitio affulgeat, non omnibus aeque idem est. Parochorum, et Confessariorum erit explorare, atque internoscere, quo quisque tempore cognitionem ad hoc admirabile Sacramentum suscipiendum necessariam incipiat habere (3). Cum autem id communiter soleat evenire inter decimum, et decimum quartum aetatis annum (4), haec generatim servetur regula, ut nemo ad Sacram Mensam ante decimum aetatis annum expletum admittatur, nemo diutius ab eadem prohibeatur decimo quarto vitae anno jam inchoato (5). Cumque ab hoc reliquorum omnium longe sanctissimo Religionis actu ea qua par est pietate primum peracto, non parum pendeat ad totam Christi legem vitae totius conformatio, ad majorem Parochorum, et Confessariorum commoditatem Appendici inserendam censuimus rationem, qua pueri ad primam, ut ajunt, Communionem sunt rite disponendi (6). Parochos tamen juxta monita S. Caroli Borromaei hortamur, ut perspecta in pueris sufficienti cognitione accelerent potius, quam retardent ad eos citius ad Eucharisticam mensam admittendos, ut sese dedicent Deo priusquam illos Daemon malitia vitiisque pervertat.

VIII. Ne igitur gravissimi criminis se reos constituant Parochi, curent etiam atque etiam, ut ne unus quidem in grege suo, qui adsignatam aetatem annorum scilicet quatuordecim tetigerit, quantumvis haebes esse videatur, qui institutionem a Nobis nuper memoratam ignoret. Praecipimus autem, ut Quadragesimae tempore crebriorem, diligentioremque operam navent Parochi pueris ac rudibus instituendis in iis potissimum, quae de Sacramento hoc fide divina tenenda sunt, itemque in aliis, quae ad pietatem, ac religionem pertinent, qua Sacramentum hoc est suscipiendum. Selectis autem pueris, qui per aetatem, perque alias conditiones, quas superius re-

(1) *Rit. Rom. de Sacram. Euchar.* §. Iis etiam.

(2) *Catech. Rom. de Sac. Euch. num.* 62. 63.

(3) *Ibid.*

(4) *Vid. Bened. XIV. de Synod. Lib. VII. cap. XII. num.* 2.

(5) *Plures Synodi hanc regulam statuunt.*

(6) *Append. num. III.*

censuimus ad Sacram Synaxim sint admittendi, certus dies intra Paschale tempus constituatur, in quo poenitentiae Sacramento expiati hac divina esca in parochiali Ecclesia solemniter reficiantur. Ad hoc brevi, sed ferventi sermone, uti decet, praeparentur, neque desit externa devota pompa, quae quo erit augustior, eo altius tantae actionis memoria in teneris puerorum mentibus imprimetur.

IX. Notum est, locum ab Ecclesiastica lege definitum ad hoc praeceptum adimplendum esse Parochialem cujusque Ecclesiam; et praeter eam, nullam aliam, ne excepta quidem Cathedrali, nisi ex Nostra, aut Parochi ejus, qui alibi obligationi huic satisfacere voluerit, facultate (1). Parochi tamen in hac concedenda ne nimium faciles, sed neque etiam nimium difficiles se praebeant. Ut autem oves suas semel in anno saltem recognoscant, iique, qui publice indigni sunt, a Mensa Domini facilius repellantur, per se ipsi Eucharistiam ministrent, nec per totum paschale tempus curam hanc alteri facile committant. Ab hac lege Vagi, Peregrini, Advenae excipiuntur, qui ubicumque Eucharistiam sumant, praecepto satisfaciunt, nisi aliter ferant alicubi aut consuetudines, aut Synodalia Statuta (2). Qui justis de causis tempore Paschali a propria absunt Parochia redeuntes certum Pascalis Communionis testimonium proprio Parocho exhibere teneantur. Qui vero toto illo tempore a Parochia abesset, ut a lege hac adimplenda dolose se subtraheret, nec obligatione profecto se liberaret, nec statas effugeret poenas.

X. Sacerdotes quidem ubicumque paschali tempore Missam celebrent praecepto satisfaciunt. Qui tamen nulli addicti sunt Ecclesiae, eos, uti et alios similiter Clericos, hortamur, ut quod antiquissimo ritu constitutum est, omnes Eucharistiam e manibus nostris vel ejus, qui absentibus Nobis (quod ne contingat unquam omni studio curabimus) Sacris loco Nostro operabitur Feria V. in Coena Domini, accipiant, quo ipsam, quae tunc recolitur, Coenam Dominicam mutua pietate, et charitate simul imitemur.

XI. Veri Regularium Familiares paschali praecepto satisfaciunt in eorum, quibus famulantur, Ecclesiis (3).

XII. Ad eos, qui vel auctoritate publica in carceribus detinentur, vel domi adversa valetudine afficiuntur, ut praecepto et ipsi

(1) *S.C. Conc. in Limana, Sutrina, et Perusina Mense Sept. 1649., et 23. Jan. 1688. Bened. XIV. in Encycl., de qua supra*, §. 21. *Vid. Eumd. Inst. eadem ibid.*

(2) *Vid. Rit. Rom. de Commun. Pasch.* §. Dabit.

(3) *Qui hujusmodi sunt superius jam declaratum est Part. II. cap. VIII. num. VII.*

satisfaciant, est per id temporis Eucharistia solemniter deferenda (1).

XIII. Sedulo invigilent Parochi, ne quis e Subditis suis ab hoc implendo praecepto abstineat, quod ut meliori, quo fieri potest, modo praestent schedulas quotannis novas diversimode confectas sibi tempestive comparent. Minister sequens pone Sacerdotem Eucharistiam distribuentem singulis unam tantummodo tradat, statim ac fuerint Coelesti Pane refecti, quam quidem ipsi recipiant ac servent. Caveat tamen quam diligentissime Minister, ne cui tradat non Communicanti. Qui enim secus consulto id fecerit, si Secularis sit, carcere, si Clericus suspensione a divinis plectatur.

XIV. Exacto Paschali tempore, Parochus nemini curam hanc committens diligenter a singulis schedulas per se reposcat, quo facile qui praeceptum minime impleverit, poterit cognoscere. Advertant Parochi non deesse, qui omni studio eis illudere conantur. Quidam Paschali tempore absentes dum redeunt in aliam a priori Parochiam domicilium transferunt, quod idem haud raro facere ii solent, qui aliis famulantur. In hos igitur diligenter inquirant Parochi, et ad cognoscendam rei veritatem, uti opus est, inter se conveniant, mutuasque sibi praestent manus.

XV. Utinam vero nemo Parochorum quempiam deinceps inveniat, qui coeleste convivium respuat, curamque Pastoris sui amantissimam frustrari conetur! Si quem tamen compererit, eum continuo tamquam bonus Pastor conveniat, amice colloquatur, causas, quibus a Communione abstinuerit, sciscitetur, moneat, hortetur, obsecret, seque ipsum quibusvis eum juvare rebus potest, offerat, neque ab his caritatis officiis prius cesset, quam oviculam, quae errabat, suis humeris impositam ad ovile reduxerit. Haec privatim. Si tamen nihil ista profuerint, jam ad virgae pastoralis usum veniendum est.

XV. Ut autem debito id ordine fiat ipsa Dominica secunda a Paschate, tertia item, quarta denique elata voce eos generatim in Missa Parochiali moneat Pastor, qui nondum praecepto huic obtemperaverint, diutius non esse expectandos, sed poenas illis ab Ecclesia prorsus impendere. Demum per citationem, cujus formulam in Appendice damus (2), ad Ecclesiae valvas exponendam suppresso pariter nomine cum interminatione censurarum singulos admonebunt, ut Ecclesiastico huic praecepto tandem aliquando satisfaciant (3). Eorum, qui hoc detrectaverint, nomina, cognomina, aetatem, et

(1) *Rit. Rom. Ibid.* §. Aegrotis.
(2) *Append. num. 4.*
(3) *Synod. Velitern. sub Cybo Tit. XI. num. 8.*

Porochiam ordine Alphabetico exposita ad Nos, aut ad Vicarium Nostrum Generalem ante Festum Ascensionis D. N. diem trasmitti omnino volumus. Nostrum erit iis praehabitis, quae jus postulat, declarare eos in poenas canonicas incidisse, et jubere ut eorum nomina publice templi januis affigantur. Caveant interim Parochi, ne cuiquam Eucharistiam ministrent eorum, quos interdicto obstrictos nominatim declaraverimus, nisi peractae confessionis testimonium in Curia Nostra recognitum exhibeant. Qui hisce non obstantibus obduruerint, contumacesque perstiterint, dolentes quidem, sed munere nostro fungentes nominatim in eos excommunicationis majoris sententiam feremus, qui proinde ab omnibus Christifidelibus, tamquam membra putrida ab Ecclesiae corpore recisa, erunt vitandi.

XVI. Fideles omnes in mortis periculo constituti Eucharistiae Sacramentum sumere tenentur (1), et quidem uti communiter Doctores docent jure divino (2). Curent igitur quam diligentissime singuli Parochi, ne quis unquam sua culpa e vivis excedat praesentissimis Ecclesiae subsidiis non munitus. Quare conveniant illico eos, qui aliquo gravi morbo laborant, omni charitatis officio solentur, in eorum memoriam revocent, quae tum decent maxime Christianum hominem, perficiant deinde, ut qui aegrotus alteri peccata sua confessus non fuerit, id quamcitius peragat, et ad Eucharistiam sumendam se praeparet, quam ex charitate in Christum Jesum, qui prior dilexit nos, homo iter in Coelum jamjam facturus sponte sua expetere deberet. Nemo patiatur Parochorum, ut hisce in rebus opera curaque sua desideretur.

XVII. At non semel tantum in eadem infirmitate, sed iterum, atque etiam tertio Sacrosanctum Viaticum aegrotis deferri potest, tum etiam debet, cum ipsimet coelestem hunc panem esuriant, et petant (3). Si quis autem citra vitae periculum satis incommoda valetudine utens ad longum tempus domo nequeat exire, hunc hortetur Parochus, ut solemnioribus saltem festis diebus Eucharistico pane jejunus se reficiat, qui nemini petenti denegandus est. Et quoniam diuturna viget consuetudo deferendi Eucharistiam ad Chronicos Aegrotantes in solemnitatibus Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., et Nativitatis D. N. J. C., nos saluberrimam hanc praxim non commendamus solum, sed etiam in posterum diligenter servari, et nunquam ommitti gravissime praecipimus.

(1) *Trid. Sess. XIII. cap. 6.*

(2) *Vid. Bened. XIV. de Synod. Lib. VII. cap. 11. num. 2.*

(3) *Ibid. cap. XII. num. 2. sub fine.*

XVIII. Nostram quoque pastoralem solicitudinem exigunt pueri, qui nondum per aetatem spirituali hoc cibo refecti ad mortem properare videntur. Hos jubemus, ut Parochi diligenti examine explorent, quosque sub sacramentalibus speciebus latentem Deum, et Hominem Christum, et firmiter credere, et reverenter adorare deprehenderint, his Viaticum praebere ne dubitent (1). Male autem se gererent, nec leviter delinquerent, si perspicacis ingenii pueros sinerent sine Viatico ex hac vita decedere, ea moti inepta ratione, eos nunquam antea fuisse ad Sagram mensam admissos. Animadvertant enim necesse est non tantam aetatem desiderari, ut quis in articulo mortis Sanctissimo Viatico, et possit, et debeat muniri (2). Imo si qui pueri periculose decumbant, qui nondum satis edocti sint, eos divini hujus mysterii notitia summatim imbuere curent, neque dubitent eos divino hoc cibo reficere, si divinum panem satis a vulgari discernere didicerint, et aliquo erga illum pietatis sensu affici cognoverint.

XIX. Ex his patet evidenter quam assidui debeant esse in visendis infirmis suis Parochi. Sacramentum per se ipsi deferant, et tantummodo si vere nequeant, Sacerdotem substituant confessionibus audiendis probatum, nisi jam confessarius adesset aegrotanti (3). Cum vero ignorentur tempora, quibus urgebit Viatici deferendi necessitas, quae potest in quodvis tempus incidere, perficiant omnino Parochi, ut quod alibi jussimus (4), consecratae particulae semper asserventur. Quae si forte aliquando desint in aliqua rurali Parochia, (id enim de Civitate ne suspicamur quidem) neque ab aliqua vicina Ecclesia Sacer panis sumi queat, non idcirco licebit Sacerdoti non jejuno sacrum facere, ut aegroto jam decessuro Viaticum paretur (5). Si post oblationem particula consecranda ipsi deferatur, eam mente oblatam consecrare quidem poterit, dummodo Canonem nondum inceperit, eo enim incepto potius illi licebit Hostiam ad Sacrificium consecratam abrumpere, ejusque particulam ad Infirmum deferre (6).

XX. Ut autem rite, et ea, qua par est, pietate, et religione Augustissimum Sanctissimumque Christi Corpus ad infirmos deferatur, nisi repentina, urgensque infirmorum necessitas, aut viarum in vil-

(1) *Ibidem num. 3.*

(2) *Ibidem sub initio num. 1. et 3.*

(3) *S. Carol. Conc. Prov. IV. Part. 2. Tit. Quae ad Eucharistiae Sacramentum pertinent §. Ad Aegrum.*

(4) *Part. II. hujus Synodi Cap. IV. num. I.*

(5) *Bened. XIV. de Sacrif. Missae Lib. III. Cap. X. num. 3., et Cap. XVI. num. 8.*

(6) *Idem* ibidem.

ticularum numerus est assumendus, ut omnium communione peracta una saltem supersit eodem ritu ad Ecclesiam referenda. Parochus igitur priusquam eam in Tabernaculo reponat ad Populum conversus, si id non importunum fore intelligat, pauca verba faciat sive de tanti Mysterii dignitate, deque cultu illi praestando, sive de humanae vitae brevitate, deque mortis horrore, atque acerbitate mature per poenitentiam praecavendis. Monere saltem adstantes ne praetermittat de Indulgentiarum Thesauro, quarum fit particeps quicumque Sacramentum comitatus fuerit, quarumque brevem indicem in Appendice reperiet (1), eosque omnes hortetur, ut quae ipsi sibi eo tam necessario, ac difficili tempore a D. O. M. essent exoptaturi, eadem infirmis Sacro Pane refectis pie adprecentur.

XXIV. Si tamen Extrema Unctio periclitanti infirmo confestim sit conferenda, si in parte ab Ecclesia admodum remota commoretur, vel si via, per quam incedendum est, sit quacumque de caussa difficilis, aut si noctu sit Eucharistia administranda, satis erit unam tantum consecrati panis particulam deferre; atque ad infirmi januam cum perventum fuerit, ibi Populum cum benedictione dimittat, mox ministrata de more Eucharistia, Pyxidem vacuam Parochus seponat, quam deinde secum ipse per se referet abluendam.

XXV. Illud etiam omnibus Christifidelibus maxime commendamus, ut quoties Venerabile Sacramentum ad infirmos deferri contigerit, quantum fieri potest, frequentes conveniant, illudque maxima qua possunt religione, atque cultu comitentur: optandum autem summopere esset, ut ex Patribusfamilias, quibus congruae suppetunt facultates, unam singuli, aut plures cereas faces domi ad hoc pium, religiosumque officium sepositas haberent, ut Eucharistiae deferendae audito signo eam aut ipsi, aut eorum filii, vel famuli saltem iisdem accensis devote comitarentur.

XXVI. Ecclesiae denique vota esse apertis verbis Tridentina Synodus nos docet: *Ut in singulis Missis fideles adstantes non solo spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret* (2). Quare longissime a Dioecesi nostra absint quotquot falsa pietatis specie fideles a Sacra Mensa abalienare conantur. Una sit Parochorum, Confessariorum, Catechistarum, omniumque Verbi Dei Praeconum vox, qua in Fidelium animis altissime defigantur quaecumque ad Sacramentorum Poenitentiae, et Eucharistiae desiderium

(1) *Append. num. V.*
(2) *Trid. Sess. XXII. de Sacr. Mis. Cap. VI.*

adeo excitandum valeant, ut non solum nemo deinceps ab observando de iis praecepto abstineant, verum etiam ut in solemnioribus potissimum Ecclesiae diebus, immo multo saepius ad ea omnes maximo animi ardore, religione, et fiducia suscipienda accedant. Atque utinam unusquisque sibi S. Ambrosii verba vindicet! *Si quotiescumque effunditur Sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur: qui semper pecco semper debeo habere medicinam* (1).

XXVII. Hoc porro ardentissimum desiderium nostrum facilius, meliusque in posterum, quam hactenus factum fuerit, expletum iri confidimus, cum hac in Civitate Oratorium *Sanctissimae Communionis* nuncupatum nuper erectum fuisse summa animi nostri gratulatione atque gaudio acceperimus, ubi singulis festis diebus, illisque, qui hos proxime praecedunt, prima noctis hora Fideles variis pietatis exercitiis sancte detinentur; atque ad poenitentiae Sacramentum multis, qui ibidem praesto sunt, Confessariis alliciuntur. Omnes itaque, et singulos Civitatis nostrae Presbyteros, quantum possumus, in in Domino hortamur, immo etiam obsecramus, ne tempore procedente ardentem hunc Salutis animarum procurandae zelum in cordibus suis tepescere patiantur, sibique persuadeant, nullum aliud opus sanctius hoc, nullum ipsorum vocationi conformius, nullum Deo acceptius, nullum denique Christiano populo fructuosius esse posse.

CAPUT III.

DE JEJUNIO.

Naturae nostrae primum in Adam per intemperantiam sauciatae remedium ab ipso Deo praeparatum fuisse sancta nos docet Ecclesia: *Ut sicut fuit concupiscentia initium peccatorum, ita sit continentia origo virtutum* (2); *Jejunio enim concupiscentia carnis extinguitur . . . . . per hoc Dei in nobis imago renovatur* (3). Quare non immerito Patres Moguntini affirmarunt: *Ipsum Jejunium esse Divini praecepti; tempora vero jejunandi, prout salubritati corporum, et animarum expedire visum est, ab Ecclesia ordinata fuisse* (4). *Ex doctrina autem Sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt jejunia, ut lex abstinentiae omnibus sit adscripta temporibus*. Siqui-

(1) *S. Ambros. Lib. IV. de Sacram. Cap.* 6.

(2) *S. Leo. Serm.* 79. *De Jejunio Pentecostes* 2.

(3) *Id. Serm.* 12. *De Jejunio Dec. Mens.* 1.

(4) *Conc. Mogunt. IV. Cap.* 47.

dem jejunium vernum in Quadragesima, aestivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale autem in decimo celebramus (1). Atque hoc pacto misericordissimi Regis auxilium praefinivit nobis per temporum recursus quosdam jejuniorum dies, in quibus castigatione corporum virtus roboraretur animorum (2). At idem ille, qui ab initio primis hominibus interdicti cibi inseruit appetitum, et male credulis per illecebram edendi omnium concupiscentiarum virus infudit, easdem fraudes retractare non desinit, et in natura, quam scit suis seminibus esse vitiatam, sationis suae germen inquirit, ut ad labefactanda studia virtutis desiderium voluptatis accedat (3). Ne quis autem a Daemone deceptus sine caussa titulos aucupetur subtrahendi se a jejunii praecepto adimplendo, praeter ea, quae quotannis sub Quadragesimae tempore erimus de more commemoraturi, SS. Patrum, Pontificumque sensa, quae hanc in rem magis facere possunt, hoc loco aperiemus. Maxime enim nobis cordi est, ut veneranda jejuniorum institutio ab ipsis Apostolis profecta (4), quo magis fieri potest, in utraque Dioecesi nostra vigeat, floreatque.

I. Ne Fideles jejunia esse onera, ut vulgo dictitari solet, intolerabilia arbitrentur, Parochi ex SS. PP. sententiis, Leonis praesertim, et Basilii, qui magna dicendi vi, et copia jejunii tum laudes, tum utilitates prosecuti sunt, gregibus suis ostendant non ad animae solum, sed ad corporis quoque vires reparandas Jejunia salubriter instituta fuisse (5). Addere etiam possunt quotidiano experimento probari satietate carnis aciem mentis obtundi, et ciborum nimietate vigorem cordis hebetari; ita ut delectatio edendi etiam corporis contraria sit saluti, nisi ratio temperantiae obsistat illecebrae, et quod futurum est oneri, subtrahat voluptati (6). Homines namque videmus a jejuniis ad sua munera alacriter obeunda non parum excitari.

II. Illud autem praecipue singulis commendent, ut ea mente, et voluntate, quae maxime Christianos decet, jejunium suscipiant, atque observent. Doceant videlicet: Jejunii observantia nos appropinquare Deo, et resistentes Diabolo vitia blanda superare (7): a

(1) *S.Leo. Serm. XIX.De Jej. Dec. Mens.* 8.

(2) *Idem Serm. LXXXVII.De Jej. Sept. Mensis* 2.

(3) *Id. ibidem*.

(4) *Id. Serm. XX. De Jejun. Dec. Mens.* 9., *et signanter de Jejun. Quadrag. Serm. XLIV. de Quad.* 6., *et de Jejun. Pentec. Serm. LXXXI de Jejun. Pentec.* 4.

(5) *Eccl. in Of. Sab. post cineres. Videatur etiam S. Leonis Sermo XCII. de Jej. Sep. Mens.* 7. *Cap.* 2.

(6) *S. Leo Serm. XIX. de Jej. Dec. Mens.* 8.

(7) *Idem Serm. XIII. de Jej. Dec. M.* 2.

Sanctis Apostolis ordinata esse jejunia, ut per commune consortium Crucis Christi etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus, sicut Apostulus ait, si compatimur, et conglorificamur (1): haec quoque jejunia nos manu veluti ducere ad viam illam arctam, et difficilem, quae fert ad vitam (2); per haec nos aliquam divinae justitiae pro admissis sceleribus poenam solvere, ceteris exemplo praelucere: atque alia, quae facile cuique suppetent.

III. *Inductum est jejunium*: *caveat quisque ne negligat* (3). At ne quis praesertim e rudioribus ignorantiam causari possit, ex qua se ab hoc onere eximat, quoties occurrunt jejunia, ea sunt indicenda: quod quidem Parochi eadem ratione praestabunt in diebus Dominicis proxime jejunii dies praecedentibus, quam superius ineundam esse decrevimus, cum de diebus festis egerimus (4), significentque nominatim diem, aut dies, quibus jejunia erunt agenda. Insuper quoties per annum incidunt jejunii dies, post primam noctis horam, uti mos est, dierum proxime illos praecedentium cum in Basilica Cathedrali, tum in quavis Parochiali Ecclesia singulorum utriusque Dioecesis locorum edito aeris compani sono ad omnium memoriam revocentur, quod etiam peragi volumus in oratoriis a Parochiali Ecclesia mille, et amplius passibus distantibus.

IV. Sed et Parochus doceat quosdam esse, quos pia mater Ecclesia nequaquam ad praeceptum hoc observandum vult adstringere. Quare quos teneri, aut non teneri certum est, generatim saltem edoceat, ostendatque qui labores sint, qui ab hoc onere eximant, eosque justo judicio ab aliis distinguat, qui non eximunt. Definitum enim est non eos omnes jejunii lege esse solutos, qui vel in republica laborant, vel iter agunt equitantes (5). Si qui vero sunt, qui prandii horam nulla justa de caussa nimis protrahant, hos serio monemus, ne ita agentes famulis praebeant jejunii violandi occasionem. Eam itaque rationem ineant, qua jejunium servari ab illis neque difficulter possit. Neque enim culpa coram Deo vacabunt, si secus fecerint. Moneat quoque Parochus fideles, ne quis ob laborem aliquem extraordinarium, aliamve ob caussam pro suo arbitrio a jejunio servando se judicet excusatum, sed Parochum quisque adeat,

(1) *Idem Serm. XLVII. de Quad.* 9. *Num.* 48.

(2) *Id. Serm. XC. de Jejun. Sept. Mens. 5., et Serm. XLIX. de Quad.* 11.

(3) *S. Ambr. in Psalm. 118. Serm. VIII.*

(4) *Cap. I. hujus partis Num. I.*

(5) *Vid. Prop.* 30., & 31. *inter proscript. ab Al. VII.*

vel Confessarium, aut aliquem probum, et timoratae conscientiae virum, a cujus prudenti judicio pendeat.

V. Ratio quoque habenda aetatis est. Qui nondum septimum aetatis annum attingunt, ii jejunii servandi tum quoad qualitatem, tum quoad quantitatem nulla lege tenentur. Adolescentibus, qui vigesimum primum aetatis annum non excedunt, indulgenda circa ciborum quantitatem jejunii immunitas: non quia eorum minus coercendae voluptates sint, minusque peccatorum illecebrae praecidendae, aut minus rationi appetitus subjiciendi, sed quia ad constituendas, firmandasque corporis vires crescens illa aetas largiore, plenioreque indiget alimento.

VI. Contraria ratione sunt qui opinantur, senes, qui ultra sexagesimum aetatis annum progressi sunt, jejunii lege esse solutos ea ducti ratione, quod eorum vires annis, longoque usu attritae cibo saepius sint recreandae, eoque cibo, qui facile concoqui, et nutrire melius existimetur. Verum si ea utantur corporis, viriumque firmitate, qua sine gravi incommodo jejunium ferre queant, a legis hujus observantia nulla excusantur aetate. Qui autem excusari censentur, non arbitrio suo id faciant, sed de utriusque medici consilio (1).

VII. Doceat quoque Parochus plebem sibi concreditam, ut diebus jejunio consecratis sibi penitus abstineat non solum a carnibus animalium terrestium, ac volatilium, sed etiam a dapibus illis, *quae* (ut Canonis verbis utamur) *sementinam carnis trahunt originem, lacte videlicet, caseo, et ovis* (2). Qua quidem in re nuperis temporibus nostris exceptio facta est a S. M. Summo Pontifice Pio VI. Is enim plurium per annum jejuniorum praeceptum solvens, alia illis substituenda decrevit singulis sextis Feriis, et Sabbatis adventus; mitiori tamen ratione esse observanda, facta nimirum facultate his diebus utendi lacte, caseo, ovisque, exceptis tamen feria IV., VI., et Sabbato quatuor temporum, necnon pervigilio Nativitatis Domini, quibus diebus antiquioris jejunii disciplina omnino servanda est.

VIII. Admonendus deinde populus est unica comestione jejuniorum dies esse transigendos, neque praeter eam licere nisi pertenue jentaculum vespertinum, qua quidem in comestione, et jentaculo horae quoque ratio habenda est. Hisce autem de rebus acturus Parochus probatiores consulat Scriptores, et propositiones potissimum, quas nonnulli Summi Pontifices confixerunt, damnaruntque.

(1) *Syn.Amer.subGratianiCap.784.* (2) *Cap.*Denique Sacerdotes *fin. dist.*4.

IX. Declarandum praeterea est, ex Summorum Pontificum praesertim Benedicti XIV., et Clementis XIII. constitutionibus (1) iis, quibus ex legitima caussa, et facultate vetitis cibis vesci fas est, (*dummodo nulla certa, et pericolosa affectatae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat*) (2) quasdam esse conditiones impositas, scilicet, ut semel tantum in die cibis hujusmodi vescantur; ut qui comedendi carnes facultatem obtinent, possint quidem simul ovis, lacte, et caseo uti, minime vero piscibus, quo nomine omne etiam salsamenti genus comprehenditur, quod servandum etiam in Dominicis Quadragesimae est, quibus unicae comestionis lex minime urget; ut jentaculum quoque ex iis prorsus cibis sit, quibus meticulosae conscientiae viri jejunantes uti solent. Hora denique jenunantibus praescripta servetur (3): neque liceat extra unicum illud prandendi tempus potionem aliqam sumere lacte permixtam (4).

X. Tempore Quadragesimae adveniente, nemo prorsus, qui credat se minus idoneum esse jejunio servando, audeat judicio suo jejunium violare. Id enim violare non licet nisi legitima ex caussa, ac de utriusque Medici consilio (5). Quatenus igitur Medicus scite, prudenterque testetur, aliquem non esse parem jejunio quoad hanc, aliamve partem, eatenus ille, praehabito Parochi testimonio, ab nostro Vicario Generali in Civitate, in utraque autem Dioecesi a Vicariis foraneis erit dispensationis beneficio juvandus. Quae omnia scripto, et quidem gratis firmanda. Porro nec Medicorum est, non servandi praecepti copiam facere, nec Parochorum, de morbi genere judicare. Verum sicubi Medici copia non sit, solius Parochi testificatio sufficiat.

XI. Cum autem rogatur Medicus, ut suam hoc in genere sententiam ferat, meminerit de re gravi, nec temere definienda sibi esse agendum. Non sit igitur Medicus in testificationibus hisce tradendis aequo facilior; sed animo affectibus minime praeoccupato haec serio perpendat. 1. Num morbus, qui indicatur, sit satis exploratus, certusque. 2. Si vero non iam de morbo agatur, quam de morbi periculo, num hoc certum sit, vel ejusmodi, ut saltem prudenter possit de eo dubitari. 3. Expendat praeterea, quonam reme-

(1) *Constitutionum hac de re editarum ab utroque hoc Pontifice Syllogem exhibemus in Append. Num. VI.*

(2) *Bened. XIV. Const.* In Suprema §. 2. *XXVII. Bull. Tom. I.*

(3) *Ex litt. in form. Brev Bened. XIV.* Si fraternitas *XCIX.*

(4) *Clem. XIII. Encycl.* Appetente.

(5) *Bened. XIV. Const.* Non ambigimus *XIX. Bull. T. I.*

dio occurri proposito sibi aut morbo, aut morbi periculo possit. Neque enim carnium usus potest concedi, ubi lacticinia sufficiant, ubi vero lacticiniorum, vel etiam carnium usus ad aliquot dies fuerit satis, eum ad plures protrahere nefas est. 4. Denique eas dumtaxat carnes permittat singulis, quas ad recuperandas, vel graviter non debilitandas corporis vires profuturas esse cognoscat, non quae ad solius gulae irritamentum studiose conquiri solent (1).

XII. Solent plerumque Patresfamilias, cum quis e suis a quadragesimalibus cibis vescendis dispensetur, facile eam dispensationem ad totam familiam, domesticosque omnes extendere ea ducti ratione, quod domesticus census minime patitur eo ipsos majori dispendio gravari, quod duplex requirit epularum genus. Verum ne ab avaritia illudantur, quod saepe contingit, hoc omnino illicitum esse declaramus, nisi Parochus, cujus hac quoque in re conscientiam oneramus, aperte testetur, duplicem hanc expensam ab ea familia ob rei familiaris angustias fieri minime posse, tuncque in ipsa facultate, quam scriptam tradere debet, totam familiam exprimi volumus.

XIII. Si quando, uti superioribus hisce annis saepe evenit, de venia toti Civitati, aut etiam Dioecesi impetranda agatur vescendi per Quadragesimam lacticiniis, vel etiam carnibus, nemo audeat Saeculares magistratus, aut Ecclesiasticos Superiores temere accusare, quod eam non petant. Immo Parochi, Concionatoresque efficiant, ut quisque intelligat, generalem hanc dispensationem ne peti quidem sine crimine posse, nisi vera adsit petendi caussa, defectus videlicet, aut caritas eorum, sine quibus Quadragesimae praeceptum nequit observari, aut certum, exploratumque periculum communis gravisque morbi e Quadragesimalium ciborum usu derivandi. (2) Quandocumque autem facultas haec impetretur, nunquam eximit ab regularum earum observatione, quas superius attulimus.

XIV. In publicis Hospitiis, Tabernis, et Cauponis nemini esurialibus diebus dapes vetitæ apponantur, nisi hospes, quicumque ille sit, facultatem illis vescendi sibi concessam ostenderit. Si quid in hoc peccatum fuerit, non impune abibit (3). Quomodo hac in re se gerere quisque debeat erga Judaeos, et Haereticos superius jam declaratum est (4).

(1) *Haec omnia ex Lambert. Inst. XV. Num. 17.*

(2) *Ex Bened. XIV. Encycl.* Libentissime *17. et seq.*

(3) *Syn. Praenest. sub Rufo Tit. de Jej., et Quad. Cap. 4.*

(4) *Part. I. huj. Syn. Cap. III. N. III., et Cap. IV. N. II.*

XV. Sed neque impunitum erit, si quolibet jejunii die choreae, tripudia, publici ludi, scoenicae actiones, aut alia hujusmodi profanae laetitiae spectacula fuerint celebrata. Haec enim manifesto opponuntur pio moerori ac luctui, quem certe praeseferunt dies, quibus Ecclesia voluntaria carnis afflictatione se subjicit Deo, quosque praecipua quadam ratione satisfactioni justitiae Dei pro peccatis exhibendae, iracundiae ipsius mitigandae, asperioribus ab se ipsa avertendis flagellis per adjectas demississimas preces addixit.

XVI. Atque distincte hic notandum est quam sit inordinatum in Christiano populo integras interdum reperiri familias, nedum peculiares homines, qui celebriora convivia, ac solatia in ipsam conferunt noctem, quae baccanalium suprema cum sit, est etiam Quadragesimalis jejunii prima, quae hoc modo injuriis ac bene multis exponitur. Si quis igitur ne signum quidem, quod aere compano mediam ante noctem datur e templo S. Laurentii in Civitate, et e Parochialibus in oppidis, et locis utriusque Dioecesis, attendere voluerit, neque tandem illo cessante epulis, tripudiis, aliisque hujusmodi finem imposuerit, patientiae nostrae vim inferet, quaeque congruae videbuntur, poenas experietur.

XVII. Illud denique hortamur omnes, ut dum quotannis recurrunt jejunia, Quadragesimale potissimum, neque caussas praetendant, quibus a jejunii lege se subducant, neque temere eamdem audeant infringere: verum jejunium alacriter aggrediantur, et ad præscriptas ab Ecclesia regulas constanter observent, insuperque *pietatis opera quibus semper studendum est abundantius exequantur .... ut in ipsis quoque eleemosynarum distributione bonitatem Patris coelestis imitentur* (1), *qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos* (2): iis demum orationis studium adjungant, *efficacissima enim est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur* (3). Haec eadem post Sanctum illum Pontificem ante nos locutus, hortatusque est Summus Pontifex Clemens XIII. (4). Eos vero, quibus a communi poenitentia, et disciplina justis de causis relaxatio conceditur, cum alio Pontifice salubriter admonemus, *ne per alia pietatis opera . . . . peccata sua explare, et Deo satisfacere negligant . . . . ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, & eleemosynae munera redimant* (5).

(1) *S. Leo* Serm. *XLI. de Quad.* 3.
(2) *Matth. V.* 45.
(3) *S. Leo* Serm. *XVII. de Jej. Decim. Mens.* 6.
(4) *In cit. Sup. Encyc.*
(5) *Bened. XIV. cit. Const.* Non ambigimus 5.

XVIII. Haec fere omnia de Quadragesima, quae est *omnium sacratissimum, maximumque jejunium* (1). Ut autem Adventus etiam Domini (quo tempore uti diximus (2) nonnulla servanda sunt jejunia) religiosa animi praeparatione, quam tantum religionis nostrae mysterium sibi postulat, a fidelibus colatur, iis inhaerendo, quae clarae memoriae Praedecessor noster Alderanus Card. Cybo sua in Synodo (3) constituit, volumus, ut prima Adventus Dominica die Parochi vel Concionatores edictum Appendici insertum (4) promulgent, utque singulae ipsius partes a Fidelibus facilius, libentiusque observentur, eos ad Sacramenta Poenitentiae, atque Eucharistiae eo tempore non semel sumenda omni studio hortentur, inflammentque: ex quo illud quoque assequentur, ut tantam Domini Festivitatem maxima celebrent pietate, ac religione.

XIX. Quamvis ex Ecclesiae praecepto diebus dumtaxat praescriptis jejunandum est, quia tamen testante Hieronymo ad Donat. *jejunium virtutum fundamentum, et sanctificatio est*, Dioecesanos nostros in Domino hortamur, ut praeter tempora ab Ecclesia constituta jejunare identidem non graventur, ac praesertim in pervigilio inclyti Martyris Christi, et Pontificis maximi S. Clementis praecipui tum civitatis, tum Dioecesis utriusque Patroni; itemque civitatis incolae jejunium religiose servent, quod pro innumeris fere in se collatis beneficiis civitas eadem ex voto constituit perpetuo observandum in pervigilio B. M. V. sub gratiarum Matris nuncupatione. Idem fieri cupimus tum ab incolis Ostiensis Dioecesis in pervigilio Sanctae Aureae V. et M., tum ab oppidanis utriusque Dioecesis in pervigilio peculiaris ipsorum Patroni.

XX. At eum esse animum omnium volumus, ut quoties Ecclesia nobis jejunium aliquod indicit, illud quisque ita aggrediatur, ut non solum impleat omnino, quae expresse praecipiuntur, sed curet etiam, ut culpatum fuga, atque demississimis precibus Deo acceptissimum jejunium reddat. Ecclesia enim dum jejunium praecipit, elata etiam voce pronunciat: *Jejunium maximum, et generale est abstinere ab iniquitatibus, et illicitis voluptatibus saeculi, quod est perfectum jejunium* (5). Quod quidem Deus ipse per Isaiam pronunciavit: *Hoc est magis jejunium quod elegi, dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes* (6). Etenim *qui jejunat in peccatis, et iterum*

(1) *S. Leo* Serm. *XLII. de Quad.* 4.
(2) *Sup. Num. VIII.*
(3) *Tit. VII. Num. 3.*
(4) *App. Num. VII.*
(5) *August. relat. in Can.* Jejun. 25. *De Consecr. Distinc. 5.*
(6) *Is. LVIII. 6.*

eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet (1)? Si autem sancte serventur jejunia, tunc profecto *castigatio carnis assumpta ad nostrarum vegetationem transibit animarum* (2).

CAPUT IV.

DE DECIMIS, ET OBLATIONIBUS.

Qui in veteri Lege Sanctuario erant ministraturi, ne curis, et saecularibus negotiis distinerentur, iis Deus nullam in promissionis terra partem attribuit, sed caeteris omnibus e Populo suo praecepit, ut Decimas, et primitias omnium iisdem solverent, tamquam praetium pro Ministerio, quo fungi in Templo debebant (3). Haec tamen consuetudo longe ante Legem latam viguit. Abraam siquidem Sacerdoti Melchisedecho dedit *Decimas ex omnibus* (4), et Jacob omnium, quae sibi Deus erat daturus, Decimas se eidem oblaturum spopondit (5). Aequum porro erat, ut e veteri in novam etiam Legem mos iste traduceretur; Ecclesiae enim Ministri statim ac in limine Sanctuarii consistunt, cum Regio Psalte concinunt: *Dominus pars Haereditatis meae, et Calicis mei* (6). Verum inter utrumque Decimarum genus hoc, neque leve, intercedit discrimen, quod Judaei decimam omnino partem offerre debebant eorum, quae percipiebant, nostrarum vero Decimarum nomine venit illa quantacumque sit fructuum, et acquisitorum pars, quae per singulos annos Ecclesiis, vel earum Ministris pendenda est. De quibus juxta Tridentini Concilii placita (7) haec sancimus.

I. Quicumque sive ex jure, sive ex consuetudine vim legis obtinente Ecclesiis, aut hominibus ab Ecclesiis designatis certorum annuorum proventuum decimam, vel partes alias quascumque, aut primitias solvere debent, id prompte, fideliterque sub poenis a Jure Canonico statutis faciant. Concilium porro Tridentinum nos monet (8) eos omnes, qui Decimas Ecclesiae debitas aut subtrahunt, aut quominus pendantur, impediunt, esse excommunicandos, neque nisi plena restitutione sequuta absolvendos.

II. Caveant ipsi Ecclesiastici, ne Decimas amicis, aut propinquis

(1) *Eccles. XXXIV. 31.*
(2) *Ecclesia in Off. Sab. post. Dom. sec. Quadr.*
(3) *Num. XVIII. 20.*
(4) *Gen. XIV. 20.*
(5) *Ib. XXVIII. 22.*
(6) *Psal. XV. 5.*
(7) *Sess. XXV. Cap. XII. de Ref.*
(8) *Id. Ibid.*

remittentes Ecclesiae, ejusque Ministris fraudi, ac detrimento sint. Si enim in hoc negligentes, et culpabiles fuerint, se Dei, et nostram indignationem subituros esse certo sciant (1).

III. Quoniam vero humanae avaritiae coecitas eo quandoque procedit, ut exiguam fructuum a Deo acceptorum partem ipsi Deo solvendam, utpote quae illius Ministris cessura est, vel quantitate imminutam, vel qualitate corruptam, et vitiatam pendant, non considerantes Deum hac de causa Caino indignatum ad illius munera non respexisse (2); Sciant isti, se non solum ad integram restitutionem teneri, verum etiam aliis arbitrio nostro infligendis poenis plectendos esse, etiamsi Ecclesiastici fuerint. Parochi idcirco statutis diebus (3) praefatum tum Sacri Tridentini Concilii Decretum in Appendice exhibendum (4) vulgari idiomate gregibus suis inter Missarum solemnia perlegant, explicentque, tum criminis turpitudinem, atrocitatemque ipsorum oculis subjiciant, et divinam animadversionem denuncient (5).

IV. Si qui ab hujusmodi oneribus immunes se praedicent, hi nisi immunitatem hanc suam legitimis tabulis in Cancellaria Nostra confirmaverint, nequaquam audiantur. Hujus autem generis controversiae, si quae oriantur, in Foro unice nostro sola facti veritate inspecta, praecisisque forensibus actionibus, summatim conficientur.

V. Contra nemo audeat Ecclesiae nomine primitias, vel decimas, quintas, aut sextas partes exigere, nisi legitimae juris hujusmodi tabulae extent, vel antiqua Ecclesiae illius consuetudo. Haec autem jura omnia accuratissime descripta in Cancellaria nostra serventur, ad quam illico ea trasmittenda praecipimus, quae desunt. Pari ratione qui jus haec omnia repetendi habent, caveant ne in quantitate, aut mensura majore, quam debetur, ea repetant sub onere restitutionis, et poenis etiam arbitrio nostro inferendis.

VI. Ad Ecclesiae redditus pertinent quoque voluntariae oblationes, quae nimirum Fidelium pietate ad Ecclesias, Altaria, Sacrasque Imagines afferri solent, quae quidem oblationes, cujuscumque sint generis, ad Ecclesiae jus referuntur. Verum non idcirco in quoscumque usus a quolibet aut Parocho, aut Ecclesiae Rectore confuse, et sine dilectu sunt convertendae. Offerentis siquidem explorandus

(1) *Syn. Velit. sub Cybo Tit. XLI. Num. 3.*

(2) *Gen. IV. 5. Vid. S. Joan. Chrisost. in hunc loc.*

(3) *Vid. ad Calc. Append. indic. Rerum Publicand.*

(4) *Append. Num. VIII.*

(5) *Synod. Velit. sub Cybo Ibid. Num. 4. Syn. Amerin. sub Gratiani Cap. 1036.*

est animus, et ab ejus voluntate ne latum quidem unguem unquam est recedendum (1).

VII. Ut autem oblatio quaecumque Deo accepta sit 1. Offerens debet esse Christianus, propterea quod Ecclesiae, non privatae offertur personae; 2. Res oblata licite, et honeste ab offerente parta sit, non ex furto, usuris, aut criminoso quocumque quaestu. Ecclesia idcirco respuit oblationes sibi factas a fratribus dissidentibus, ab oppressoribus pauperum, a sacrilegis, a raptoribus, ab usurariis, caeterisque hujus furfuris hominibus (2).

CAPUT V.

DE HORIS CANONICIS.

Horas Canonicas, quae divini Officii nomine appellantur, ab Apostolis primum institutas fuisse constat, tum ex ipsa eorumdem consuetudine (3), tum ex plurium veterum Scriptorum testimonio (4). Has deinde Pelagius, et Damasus Summi Pontifices Decretis suis confirmarunt; hinc Gregorii primus, et secundus Sacrorum Rituum decore auxerunt; ac tandem Pius V. ad formam, quae nunc in Breviario Romano dispositae sunt, redegit (5). Sunt autem Horae Canonicae laudis Sacrificium ab Ecclesiae Ministris Deo quotidie immolandum (6), et hoc quidem jure meritoque. Si enim oratio cuicumque adeo necessaria est, ut sine ipsa ad salutem pervenire nemo possit (7), quanto magis hac indigere ii censendi sunt, quorum vita longe sanctior, ac perfectior esse debet? Neque suo tantum, sed Fidelium omnium, atque Ecclesiae ipsius nomine Deo ipsi labiis suis sacrificare debent: *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrifica pro peccatis* (8). Hinc factum est, ut per undecim priora Ecclesiae saecula quotquot erant sive in majoribus, sive in minoribus Ordinibus constituti, utpote qui peculiaris alicujus Ecclesiae servitio mancipabantur, omnes simul in Choro munere hoc funge-

(1) *Plura vid apud Monacell. Tom. I. Tit. VI. Form. 10. Num. 19. 20. 21.*

(2) *Synod. Velit. sub Cybo Tit. Cit. Num. 7.*

(3) *Act. II. 15. III. 1. et X. 9.*

(4) *Auct. Const. Apostol. sub Clem. Rom. Lib. VIII. Cap. 40. Sanct. Aug. Ep. 119. Sanct. Hier. Lib. de Officiis.*

(5) *Sanct. Pius V. Const.* Quod a nobis LXIV.

(6) *Psal. XLIX. 14. et CXV. 17.*

(7) *S. August., seu potius Gennad. Lib. de Eccles. Dogmat. int. op. Aug.*

(8) *Ad Hebr. V. 1.*

rentur. Quoniam vero post Saeculum undecimum induci consuetudo coepit, ut ad ordines solo Patrimonii titulo aliqui promoverentur, quin ulli peculiari Ecclesiae essent addicti, minores Clerici ab hoc Officii Divini onere paulatim se subduxerunt, quod onus, labente tempore, ad solos Clericos vel in majoribus Ordinibus constitutos, vel Beneficio aliquo Ecclesiastico insignitos ex tacita Ecclesiae permissione contractum, peculiari tandem lege post Saeculum decimum tertium solemniter sancitum est. Cum autem hujusmodi horarum Canonicarum recitatio alia publice nunc fiat in Choro a Capitulis Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum, alia privatim a reliquis hac lege obstrictis, hinc de posteriori hujusmodi recitatione aliqua hic generatim statuemus, alio loco de priore acturi.

I. Ii itaque omnes, quos modo memoravimus, praeter Regulares utriusque Sexus, de quibus non est, ut nos dicamus, hoc Horarum Canonicarum pensum quotidie persolvere tenentur (1). Si quis infra aetatem viginti, et unius annorum Beneficium Ecclesiasticum obtinuerit, ne audeat arbitrio suo Officium Divinum cum breviore B. M. V. commutare, sed ut id facere licite queat, venia sibi ab Apostolica Sede est impetranda.

II. Qui ex Canonicis Horis vel omnes, vel notabilem earum partem nulla legitima intercedente causa recitare omiserit, eo die lethalis culpae fit reus (2): Praeterea si beneficiatus sit *beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officii, et temporis suos non facit*; *sed eos tamquam injuste perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum erogare teneatur* (3). Haec autem restituendi fructus obligatio nonnisi post sex ab adepto beneficio menses urget, et ita est adimplenda, ut qui *horas Canonicas omnes uno, vel pluribus diebus intermiserint, omnes beneficii, vel beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui vero Matutinum, tantum dimidiam, qui caeteras horas omnes, aliam dimidiam partem, qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittant* (4).

III. Qui pensionem ex Ecclesiastico beneficio, aut Ecclesiasticos fructus ut Clericus percipit, Officium parvum B. M. V. in totidem horas distributum similiter recitare quotidie tenetur. Qui hujusmodi officium aut totum, aut ex parte sine legitimo impedimento re-

(1) *Conc. Bas. Sess. XXI. Can. V. Conc. Lateran. IV. Can. XVII. Sanct. Pius V. Const.* Ex Proximo Lateranensi *CXXXV.*

(2) *Innoc. III. Cap.* Dolentes *19. de Celeb. Missae.*

(3) *S. Pius V. Cit. Const.*

(4) *Id. Ibid.*

citare neglexerit, similiter peccat, eodemque modo fructuum amissioni est obnoxius (1).

IV. Hanc porro culpam qui contraxerint, etiamsi praeter conscientiam testes habeant nullos, nullosque judices; immo vero etiamsi antea in praescripta opera largissimos sumptus fecissent eo, quo dictum est modo, eluant, nisi injustae fructuum illorum occupationis, seu detentionis rei fieri velint (2). Nos quoque, si de hujusmodi crimine rescire contigerit, vim ipsam ut id reparent admovebimus, contumacesque beneficio, vel pensione juris Canonici ordine servato spoliabimus.

V. Officium autem clare, distincte, attente, ac devote pronunciandum est. Nam quemadmodum qui in legendo haeret, claudicat, errat, turpe audit, nec fortasse quid ipse pronunciat intelligit, ita nec facile intelligit, qui lingua fertur praecipiti; immo qui ob celeritatem immodicam verba ipsa non dicit, nec obligationi suae satisfacit.

VI. Quamquam autem imbecillitati, atque instabilitati humanae mentis, quae non ita facile fert attentionem, assidueque huc illuc volitat, plurimum indulgeatur, ac condonetur, magna tamen ab unoquoque cura est adhibenda, ut Divini Officii recitationi animum intendat, ut non solum solvere quod debet, sed etiam libenter, attente, ac pie persolvere videatur: *Maledictus* quippe *homo, qui facit opus Dei negligenter* (3).

VII. Unusquisque autem, qua par est gravitate, atque attentione, Horas Canonicas recitabit, si primo ante ipsam Divini Officii recitationem sese collegerit, opemque a Deo imploraverit juxta illud Ecclesiastici *ante orationem praepara animam tuam* (4). Secundo si aptum ad recitandum locum delegerit; et quidem laudandus esset qui recitaturus in Ecclesia, aut aliquo Sacello sese pie reciperet, vel saltem is locus esset, qui orantem minime dedeceret, quique esset ab omni strepitu remotus, ne huc illuc mens facile pererraret.

VIII. Tempus etiam, quoad fieri potest, servandum. Quare qui nullam temporis rationem habent, et qui praesertim officium integrum prope diei exitum recitandum reservant, et culpam vereantur, et poenas, quibus Divinum Officium extra praescripta tempora persolventes a Deo plectuntur, quasque aliquando Viri Sanctissimi ob

(1) *Id. Ibid.*
(2) *Ex propp.* 20., *et* .33 *inter proscrip. ab Alex. VII.*
(3) *Jerem. XLVIII. 10.*
(4) *Eccli. XVIII. 23.*

leviusculas eorum negligentias effugere non potuerunt (1). Quid de privata Matutini cum Laudibus recitatione observandum sit alibi dictum est (2). Ritus vero, ut omnes uno ore glorificemus Deum, tenendus est. Sancitum est enim, ut in Horis Canonicis legendis Breviario Romano dumtaxat utamur, quod jussu S. Pii V. ex Concilii Tridentini auctoritate editum est, nec cuique licet quidquam addere, aut detrahere, aut aliter, quam descriptum est, recitare. Si quis autem hoc ageret, is obligationi suae minime satisfaceret, sed praeterquamquod lethalis culpae reus fieret, fructus quoque Beneficiorum ab eo perceptos restituere deberet, Officii siquidem rationem negligere, aut pervertere perinde est, ac Officium ipsum praetermittere.

X. Insuper aequum est, ut omnes uni, eidemque Ecclesiae addicti in celebrandis Sanctorum festivitatibus simul concordent. Quare Kalendarium jussu nostro quotannis edendum, omnes, qui Officium recitare tenentur, sibi comparent, atque eodem utantur. Non excluduntur tamen peculiaria locorum quorumdam, aut etiam Ecclesiarum Officia, quemadmodum ferunt Rubricae, et Romanarum Congregationum Decreta. Propria autem Dioecesum nostrarum, peculiariumque earumdem locorum Officia, vel quae in pervulgatis Breviarii Romani editionibus haud facile reperiuntur, in unum Libellum congesta, et disposita ad singulorum commoditatem Typis edita sunt. Quem libellum, qui hactenus non habeat, sibi comparare non omittat.

XI Qui infirma valetudine ita utuntur, ut ex Horarum Canonicarum recitatione grave aliquod incommodum oriri prudenter timeatur (in quo Medici judicio standum erit) is, de Medici ejusdem licentia, sine culpa, adeoque etiam sine fructuum perceptorum restitutione omittere poterit. Quisque tamen caveat diligenter, ne ex levissima causa quacumque id faciat. Qui enim corda scrutatur, neque decipi, neque irrideri potest Deus.

CAPUT VI.

DE BENEDICTIONIBUS.

Hactenus de potioribus Ecclesiae praeceptis, aliqua modo de quibusdam ejusdem Ritibus, quos inter primum sibi locum vindicant

(1) *S. Petrus Damiani Opusc. XXIV. Cap. VI. Vid. Labert. tota Inst. XXIV.*

(2) *Part. II. hujus Synod. Cap. V. Num. III.*

Benedictiones, quibus nihil est in Ecclesia Christi, quod frequentiori in usu positum sit. Cum enim *tota pulchra sit, et macula non sit in ea*(1), singula, quibus utitur, particulari quadam Benedictione ante purificat, vel etiam consecrat. Praeterea cum ob Divinam adoptionem universus Fidelium Caetus sit *genus electum, regale Sacerdotium, Gens Sancta* (2), nihil fere ad ipsum quacumque ratione pertinet, quod propria aliqua Benedictione sacrum quodammodo fieri nequeat. Inter has vero Benedictiones nonnullae sunt, quae Sacramentalium nomine veniunt, seu quod in Sacramentis conficiendis, aut ministrandis adhiberi soleant, seu quod aliquam Sacramentorum virtutem, salutaresque eorumdem effectus imitari videantur. Licet enim sola sint Sacramenta, quae a Christo instituta vim habeant gratiam producendi ex opere, uti dicunt, operato, qui tamen Sacramentalibus pie, religioseque utuntur, plurimam inde utilitatem capiunt ad leviores, quas unusquisque contrahit (3), maculas eluendas (4), tum ad veram in Deum pietatem fovendam, augendamque. Quo ergo populus curae nostrae commissus tot, tantisque auxilis, quantum fieri potest, juvetur, haec et servanda, et tradenda proponimus.

I. Ecclesiarum Rectores ignorare minime debent, quae res potissimum per Benedictionem mundentur, purgentur, vel etiam consecrentur (5). Sunt nimirum Sacrae Vestes, quarum usus est in Sacrificio, quibus altarium mappae adduntur, eisque Ecclesia Romana Pluviale accensere consuevit. Sunt Arae, sive in unoque Altare Lapis medius, sunt quae res Sacram Eucharistiam excipiunt. Sunt tandem non solum Ecclesiae, atque Oratoria publica, et privata quoque, in quibus fiat Sacrum, sed ipsa quoque Caemeteria, immo aera quoque Campana, quae in Templorum turribus suspendi solent.

II. Quae res priusquam in usum deducantur benedicendae, aut consecrandae sunt, ne iis nondum benedictis, aut consecratis quisquam omnino utatur, neque ab aliis quam quibus alibi docuimus (6), Benedictiones hujusmodi petantur. Quod si quis eo loci sit, ubi nemo adsit, qui facultatem benedicendi habeat, eum monemus, ut hanc sibi exposcat.

III. Verum aliae sunt Benedictiones, quas quilibet Sacerdos,

(1) *Cantic. IV. 7.*
(2) *1. Petri Cap. II. 9.*
(3) *Prov. XXIV. 16.*
(4) *Vid. in hanc rem S. Thom. 3. Part. Quest. 83. art. 3.*
(5) *Vid. Lambert. tota Inst. XXI. Vid. etiam Rit. Rom. de Benedict.*
(6) *Part. II. Cap. V. Num. VIII.*

aliæ, quas Parochi tantum, seu quos Parochi delegerint, impertiri queunt. Caveat igitur quisque, ne in Parochi jus temere invadat, quod nos certe Parochis asserere, ac tueri parati sumus (1).

IV. Quae ex Ecelesiae ritu solemnius per annum Benedictiones fiunt, uti Candelarum, Cinerum, Palmarum, Paschalis Ignis, ac Cerei nunquam omittendae, sed omnino servatis singularum ritibus quotannis explendae. Earum significationem Parochi Populum doceant, moneantque gravissime, nullam ex rebus, quae ex Ecclesiae Benedictione divino cultui addictae fuerint, in profanum usum converti posse; et enorme simul eorum facinus ostendant, qui rebus hujusmodi in peccati commodum abuti actibus superstitiosis non verentur, cujus quidem sceleris absolutionem nobis ipsis reservavimus (2).

V. Et ne quid Parochi a nobis desiderent, praecipuarum harum Benedictionum originem paucis verbis percensemus. Cum primos Februarii dies Februo sacros haberet ethnica superstitio, et in vanis lustrationibus transigeret, eos ab profanis vera expiavit Religio, voluitque, ut quo die recolitur Christus in Templum adductus, et Sanctissimae ejusdem Genitricis Purificatio, Cerei benedicerentur, atque distribuerentur, aliaeque simul sacrae peragerentur caeremoniae, quibus Populus ad prudentum Virginum exemplum obviam sponso prodeuntium ita componeretur, ut ad Christi Domini nuptias accensis lampadibus esset et ipse excipiendus.

VI. Cineres e combustis sacrarum olivarum ramis, ac frondibus sunt colligendae, iis deinde, cum fuerint benedicti, capita Fidelium primo Quadragesimae die asperguntur, ut in memoriam singuli revocent cinerem, pulveremque illum, in quem serius ocius revertemur omnes, qua recordatione moti sollicite studeant per intimam animi poenitentiam, et per externam simul, quam sacrorum Cinerum aspersio significat, corporis macerationem, vere se totoque animo ad Dominum Deum convertere.

VII. Olearum, aliarumque arborum rami ideo post ipsorum benedictionem a singulis deferuntur, ut eorum pietatem quisque aemuletur, qui Redemptorem beneficentissimum, cum Jerosolymam ingrederetur, festo hujusmodi apparatu exceperunt, ac veluti triumphantem prosequebantur. Ipsi deinde rami in domibus pie servantur, ut quoddam sint pacis signum Deum inter, et homines per Christi passionem, et mortem conciliatae.

(1) *Utrum quaedam Benedictiones sint de juribus mere Parochialibus definitum est ex Decr. S. C. R. quae vid. in Append. ad IV. Part. Num. III.*

(2) *Vid. Part. I. Cap. V. Num. XV. et Part. II. Cap. VI. Num. III. XIX.*

X

VIII. Igne tandem, ac Cereo Paschali significare Ecclesia intendit, Christum ipsum veram esse mundi lucem; cumque Cereus summovetur, ascensio ipsius in Coelum exprimitur, a quo nimirum die visus in terris amplius non fuit (1).

IX. Quilibet praeterea Parochus domos, ut moris est, statis temporibus benedicat. Usum praecipue aquae lustralis commendet, perficiatque, ut in singulis privatis aedibus servetur. Est autem in vasis apprime solidis, iisdemque mundis ad omnes Templi januas retinenda, praescriptisque a Rubrica diebus renovanda. Ne autem Ritus inanes vulgo habeantur, doceat quorsum fuerit lustralis aqua instituta, quinam ea utendi modus, quique ex ejus usu expectandi effectus (2). Hac denique rite confecta, singulis diebus Dominicis, qui Missam, quam vocant conventualem, erunt celebraturi, Benedictionem Populo impertiantur.

X. Benedicunt Praelati nec uno quidem modo Populum ipsum. Namque id saepe faciunt erga obvios quosque sibi subjectos, qua benedictione devote suscepta, venialia remitti habemus ex Glossa (3). Item statis in anno diebus, obtenta Apostolica facultate, solemnem Populo benedictionem elargiuntur Summi Pontificis nomine: de qua etiamsi alibi egerimus (4), eam hic iterum commendatam volumus, ut ad eam in Basilica Cathedrali religiose suscipiendam omnes, quoad fieri potest, Parochis id curantibus, sollicite conveniant.

XI. Licet etiam aliis Sacerdotibus Populo benedicere adhibitis modo Sanctorum Reliquiis, modo Iconibus, immo divina ipsa Eucharistia. Benedictionibus autem Eucharistiae monendus populus ut adsit, utque adsit flexo utroque genu, capite aperto, eoque admodum inclinato, quo demissum, religiosumque animum indubie testetur.

XII. Porro quaecumque dentur benedictiones, perficiendae semper sunt eo ritu, ac forma, quae a Rituali, et a Missali Romano praescribuntur. Hoc vero imprimis observetur: *Ut in omni benedictione extra Missam Sacerdos saltem stola, et superpelliceo pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur* (5). Si vocatus fuerit Sacerdos ad dandam benedictionem contra injurias a bruchis, locustis, aliisque insectis illatas vel virgultis, vel animalibus utilibus, aut contra varios horum morbos, quarum formulae in Rituali non

(1) *Singula haec videantur fusius express. in Auct. Liturgicis, atque in praecl. op. Bened. XIV. de Fest. &c.*

(2) *Haec omnia ex Cap.* Aquam 20. *De Consecr. dist. 3.*

(3) *Gloss. In Prooem. Sex. Decret.*

(4) *Part. II. Cap. VII. Num. VIII.*

(5) *Rit. de Benedict. reg. gen.*

extant, has habeat Ecclesiastica auctoritate probatas, neque aliis utatur. Harum quaedam prostant in Appendice (1).

XIII. Cum autem, uti superius innuimus, plura ex iis, quae hactenus commemoravimus, naturam, ac vim Sacramentalium habeant, ne populus tot, tantisque bonis, quae sibi comparare posset, ob ignorantiam frustretur, Parochorum erit eum diligenter docere, quae hujusmodi sint bona, quaeque Sacramentalia, simulque eum hortari non desinant, ut quandoquidem *in multis offendimus omnes* (2), eadem, quam maxime fieri potest, frequentet, ut accedente pia animi dispositione, sinceraque in primis culpae detestatione, venialium remissionem eorum usu a Clementissimo Domino consequatur. Ipsi vero Parochi functiones hujusmodi peragant mente, actioneque ad religionem maxime compositis, ut spectantes ad fidem excitent, pietatemque.

CAPUT VII.

DE PUBLICIS SUPPLICATIONIBUS, SEU PROCESSIONIBUS.

Supplicationes publicae, seu, ut ajunt, Processiones nil aliud sunt, quam publica, et communis quasi Ecclesiae vox, qua seu per Templa, seu per vias Deum adorat, et aut illi pro collatis beneficiis gratias agit, aut nova, quibus indiget, dona a Deo expostulat, aut malum aliquod superimpendens a se deprecatur (3), quem in finem Sanctos omnes cum Christo in Cœlo regnantes sibi Patronos advocat, ut quae petit sibi Deus multiplicatis intercessoribus largiatur. Nec quis putet novissimum hoc esse Ecclesiae inventum, nulliusve ponderis apud Deum: siquidem Deus ipse solemnem hujusmodi Supplicationem circa muros Urbis Jerico Josue indixit, et nonnisi hac semel per sex dies peracta, septimo autem septies, se Urbem illam in Populi sui manus traditurum pollicitus est (4). Cumque Christus Dominus se illic futurum promiserit, *ubi duo, vel tres in nomine suo essent congregati* (5); Ecclesia ab ipsis suis exordiis (6), vel saltem statim ac per orbem tranquilla pace frui coepit (7), ni-

(1) *App. Par.* 3. *Num. XI.*
(2) *Jac.* 3. 2.
(3) *Rit. Rom. De Process.* §. *I.*
(4) *Josue V.*
(5) *Matth. XVIII.* 20.
(6) *Auct. Const. Apostol. sub nom. Sancti Clementis Lib. VIII. Cap.* 40. *Baron. ad Ann.* 58. *Tertull. Lib. II. ad Uxor.*
(7) *Conc. Laodic. sub Sylvestro circ. Ann.* 320. *Cap.* 17. *S. Ambr. Serm. VIII.*

hil magis apud Deum valiturum rata est, quam publicas has supplicationes. Quoniam vero in hac adeo sacra actione *stultorum hominum irrepsit vanitas, ut plura adhibeantur non congruentia, quae potius Deum ad iracundiam provocant, quam ad misericordiam* (1), ita nostrum est quaedam constituere, quibus servatis, et abusus jam invecti eliminentur, et supplicationes publicae ea, qua par est, gravitate, pietate, ac religione peragantur.

I. Ad nos tantum spectat publicas in utraque nostra Dioecesi supplicationes indicere (2). Quare praeter eas, quas Romanae Ecclesiae Ritus imperant, vel quae peculiarium Ecclesiarum consuetudine aguntur, quas retineri omnino volumus, nullae ob quascumque populi necessitates instituantur, nisi de Nostra, aut Vicarii Nostri Generalis licentia.

II. Quia vero *Diabolus invenit quomodo homines etiam boni sectationibus perderet* (3), ne ulla scandali detur occasio, nocturnas supplicationes prohibemus (4). Quae igitur pomeridianis horis fiunt ad solis occasum absolvantur. Si quae autem ob urgentem aliquam necessitatem ex Nostra, aut Vicarii Nostri Generalis licentia in scriptis concedenda post dictam horam fiunt, foeminae domi se contineant, neque audeant intervenire.

III. In Majoribus, et Minoribus Litaniis, in Festo Corporis Christi, in pervigilio Beatae Mariae Virginis sub Gratiarum Matris nuncupatione, et quandocumque ob publicam causam publica a nobis supplicatio indicta fuerit, Parochi, et Clerici omnes tam in majoribus, quam in minoribus Ordinibus constituti, Officium, vel Beneficium Ecclesiasticum habentes, cum veste talari, superpelliceo mundo, ac bireto interveniant, atque in solemni tantum diei Corporis Christi Processione omnes cum Cereo incedant, ita tamen ut Parochi, et qui Beneficio quocumque gaudent, proprio aere eum sibi comparent, caeteris autem Presbyteris, aut Clericis (exceptis iis, qui in Seminario Nostro degunt) Basilica Cathedralis eum suppeditet. Omnes item Regulares, Laicorumque societates, quae hactenus consuevere, cum proprio sacco, Cruce, & Vexillo, seu Labaro conveniant. Confratres vero cujusque Sodalitatis monemus, ut quo majore poterunt numero conveniant, curentque, si fieri id potest, ne adsint minus, quam duodecim.

(1) *Conc. Colon. Tit. de Process.*

(2) *Bened. XIV. Const.* Quemadmodum LXXXII *Bull. Tom. I. S. C. Imm. Ann. 1604. S. C. C. saepe, et S. C. R. 21. Jan. 1696.*

(3) *Tert. Lib. II. ad Uxores.*

(4) *Edictum Urb is sub Clem. XI.*

IV. Cum autem Nobis poenarum de absentibus sumendarum attributa sit facultas (1), quicumque aut Presbyteri, aut Clerici sine rationabili caussa a Vicario Nostro Generali probanda non interfuerint, praecipimus, ut singuli poenam luant Juliorum trium Cathedralis Basilicae Sacrario applicandorum. Quodcumque etiam Sodalitium, quod vel de jure, vel de consuetudine Supplicationibus iisdem interesse debet, et vel abfuerit, vel hora indicta non comparuerit, trium librarum cerae elaboratae poenam solvat ejusdem Basilicae Sacrario tradendae.

V. Suum unusquisque ordo locum in Supplicationibus servet, omnium ultimus Cathedralis Basilicae Clerus suis sub insignibus incedat; quod quidem a SS. D. N. Pio Papa VII. constitutum fuit, dum Litteris in forma Brevis datis Ecclesiae eidem concessit titulum, praeeminentias, et privilegia Basilicarum Minorum Urbis (2). Si qua alia circa praecedentiam controversia suboriatur, ea opportuno tempore ad nos deferatur, et a Nobis, seu a Vicario Nostro Generali sententia expectetur. Si in ipso Processionis actu controversia insurgat, ad evitanda scandala, et ad partium jura salvanda, fiant consuetae coram testibus protestationes, atque interim sine ullo praejudicio novissimum locum tenere non erubescant, cum majori gloria ad altiora ascensuri, quoties bonum jus ipsis faveat (3).

VI. Ad Ecclesiam, unde agmen ducendum est, omnes mature conveniant, quosdam enim medio sese itinere sociis adjungere non satis decere censemus. Sit ad Templi ostium, qui coetus singulos ex ordine evocet, ut quisque praedecentibus addatur, atque universim sua post signa bini, et bini incedant.

VII. Foeminae, quae ad Processionem veniunt, vel ordinatim binae, et binae antecedant omnes, vel omnes turbatim subsequantur, semper tamen sint a maribus plane sejunctae, sintque compositae modestissime. Puellae vero dotatae, si adsint, suo loco procedant.

VIII. Clerici Saeculares, vel etiam Regulares, piarumque Sodalitatum Confratres singuli quique incedant vestibus induti coetuum suorum propriis, et cum hi, tum caeteri omnes, quibus supplicantium multitudo constat, summam praeseferant gravitatem, religionemque.

IX. Ut sacra pompa ordine progrediatur, sint qui eam veluti dirigant, nempe qui impedimenta, si qua occurrant, removere studeant, quique eos ipsos in agmine progredientes prudenter commo-

(1) *Trid. Sess. XXV. De Reg. et Monial. Cap. XIII.*

(2) *Has vid. in App. N. XII.*

(3) *Synod. Velit. sub Cybo Tit. XIX. N. 3.*

neant, ut gressum sive accelerent, sive contineant, ne agmen interruptum feratur.

X. At vero inania colloquia, liberi oculorum excursus, incessus incompositus, gesticulationes sacrum Ritum penitus dedecerent. Id igitur unum spectetur, ut quoties Hymni dicendi sunt, sive Psalmi, sive aliae precationes, eas suis singuli Coetibus, uti mos est, elata voce edant, neque importuno unquam silentio intermittant.

XI. Si quae hactenus praescripsimus, omnes, et in primis Ecclesiae Ministri (populus quippe ad Cleri exemplum componi solet) diligenter, accurateque perficiant, tum profecto publicae Supplicationes erunt spectacula Deo, et hominibus jucundissima, atque ex illis ea consequentur, ob quae sunt sapientissime constituta.

XII. Curandum quoque est, ut viae, per quas Comitatus est transiturus, mundentur, atque etiam quo magis fieri potest ornentur. Omnes officinae non modo sint clausae, sed nullus quoque inde strepitus audiatur. Item severe mandamus, ut coram incedente agmine abstineat quisque a festivis ignibus, et tormentorum balistarumve cujuscumque generis tonitruis (1). Qui secus facere audeant, sciant se fore non leniter plectendos. In Turre potius Ecclesiae, a qua supplicatio proficiscitur, et aliarum, prope quas transit, campana aera festive pulsentur.

XIII. Haud vero possumus hoc loco dissimulare, foeminas interdum, quae sacro agmini sese adjungere deberent, ex improbanda levitate, curiositateque ad fenestras, et maeniana prodire spectandas potius, quam spectaturas, non ut honorem aliquem Deo praestent, sed ut mutua colloquia misceant, ex quibus scandalum aliis objiciunt. Arceatur ergo, exuletque tam a Civitate, quam ab Oppidis, locisque omnibus utriusque nostrae Dioecesis, siquidem invaluerit, consuetudo haec plane foedissima. Ita vehementer cupimus, ne asperiora tantae indecentiae remedia apponere cogamur: apponere vero parati sumus, si foeminae huic pravae consuetudini inhaerentes cultui detrahant, et honori, qui integer soli Deo debetur, aliisque ponant offendicula.

XIV. Episcopo cum suo Capitulo aliquam Saecularium, aut Regularium Ecclesiam intranti, in ipso ejus limine instrumentum aquae lustralis aspergendae ab eo porrigatur, a quo majus obsequii argumentum Praesuli potest exhiberi, ab eo nempe, qui supremam in Monasterio, vel Ecclesia obtinet dignitatem.

XV. In Publicis Supplicationibus diei S. Marci, et trium die-

(1) *S. C. E. et R.* In Ventimiliensi 2. *Junii an. 1713.*

rum rogationum Missa canenda est in Ecclesia, ad quam Processio dirigitur, nisi aliud ferat consuetudo. Ubicumque canatur, ei sub poenis arbitrio nostro infligendis intersint quotquot in ipsa Supplicatione locum habere diximus (1).

XVI. Verum inter Processiones omnes, quae Ecclesiae universae communes sunt, vel aliquibus locis peculiares, illae prae caeteris majore tum animorum pietate, tum exteriore splendore, atque pompa celebrandae sunt, quibus adorandum Christi Domini Redemptoris Nostri Corpus circumfertur. Hic autem praecipue eas memoramus, quas Ecclesia Catholica in solemnitate Corporis Christi celebrare solet, et solemnes, carissimasque habet. His igitur non solum ii, quos superius memoravimus, sed omnes quoque Christifideles pie, religioseque interesse cupimus.

XVII. Cum ubique locorum consuetudo vigeat, ut per octo dies, quibus solemnitas haec concluditur, singulae Parochiales Ecclesiae per terminos suos augustissimum circumferant Corporis Christi Sacramentum, volumus, ut ea, quae hac in re ad confusionem omnem evitandam peculiari suo Decreto C. M. Praedecessor Noster Cardinalis Dux Eboracensis sancivit (2), ad apicem in posterum serventur.

XVIII. Qui amantissimum gloriae Dominum comitari nequeunt, eum saltem privatim adorent, eique pro immensa sua in nos charitate, quas maximas possunt gratias agant, curentque in terris illud imitari, quod Fratres in Christo, qui nos praecesserunt, una cum Angelis assidue in Coelis faciunt. Si haec fuerit animorum omnium dispositio, nunquam erit, cur nos pro Redemptoris gloria vindicanda poenis utamur, quas a nobis injuriae ei illatae postularent.

XIX. Adventante autem Corporis Christi solemnitate proderit quam maxime, si Parochi Gregem suum ad eam rite celebrandam disponant. Explicatis igitur caussis, quibus Ecclesia eam instituit, hortentur singulos, ut per eos dies expiatis animoram sordibus, Eucharistico Pane reficiantur, Supplicationibus, quibus poterunt, intersint non levi ducti curiositate, sed intimo pietatis sensu affecti, omni denique ratione tantum amoris Mysterium venerentur, uberrimos inde Indulgentiarum fructus percepturi (3).

XX. Vetamus autem, ne ulla cum venerabili Eucharistia fiat supplicatio ad incendia extinguenda, ad procellas, aut inundationes

(1) Sup. N. III.
(2) App. N. XIII.
(3) Elenc. harum Indul. exhibet App. N. XIII. ad calcem Edicti.

caercendas (1). Quae autem fieri in qualibet Ecclesia solent, praescriptis omnino Ritibus peragantur.

XXI. In nostra Cathedrali Basilica tertio post Kalendas cujuslibet mensis Dominico die augustissimum Sacramentum per Templum a Clero Nostro circumfertur, cui quoque se comites adjungunt sodales Sanctissimi Sacramenti. Piam hanc, et nunquam satis laudandam consuetudinem et retineri volumus, et ut eam singulae utriusque Dioecesis Parochiae, in quibus memorata solemnitas nondum est instituta, amplectantur optamus quammaxime.

XXII. Cum autem in iis potissimum, quae ad Deum pertinent, ne quid indecore fiat omnino curandum est, cumque nobis compertum sit, supplicationis, qua in Pervigilio B. M. V. in Coelum assumptae Imago Sanctissimi Salvatoris per Civitatis vias solemni pompa ad Templum Sanctae Mariae de Trivio defertur, ordinem semel atque iterum turbari, et abrumpi, ut Capitulum Nostrum Ecclesias Sacrorum Stigmatum, et Sancti Laurentii extra viam positas, qua supplicatio incedit, cum Sacra Imagine adeat, praecipimus, ne ullo modo in posterum fiat utraque haec diversio, et statio. Et quoniam sodalitas Sacrorum Stigmatum ob hanc unice caussam supplicationi huic minime intererat, hac sublata, nihil amplius impedimento erit, quominus hoc etiam singularis suae in Christum Dominum, ejusque Genitricem pietatis argumentum cum reliquis exhibeat, nisi forte inania quaedam, nulliusque momenti jura religiosae actioni praeferre velit, quod de piissima sodalitate ne possumus quidem suspicari. Caetera, quae a singulis in hujusmodi Sacris functionibus, aut servanda, aut cavenda erunt aperiet instructio nostra, quae in Appendice exhibebitur Num. XIV.

CAPUT VIII.

De Funeribus, Exequiis, et Sepulturis.

Catholica Ecclesia Filios suos, quos in lavacro Baptismi Deo, et Coelo genuit, quamdiu perbrevi hac vita fruuntur, amantissimo maternae Charitatis officio prosequitur; eos autem etiam hac vita functos non veluti reliquae Matres deserit, sed suae in ipsos benevolentiae, et amoris argumenta praebere non desinit. Eorum enim, qui in sua communione oculos mundo, et hominibus clauserunt (2), non solum animas, quantum in se est, Sacrificiis, orationibus,

(1) *Vide Part. II. Cap. IV. N. VIII. hujus Synodi.*

(2) *S. Ciprianus Ep. ad Martyr. et Confess.*

omnique suffragiorum genere nititur adjuvare: *Sancta* quippe, *et salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (1); sed Cadavera etiam ipsa, a quibus reliqui abhorrent, supremis honoribus effert, suisque veluti ulnis amplectitur, ea iterum Sponso suo Christo exhibitura, qui ea *reformans configuret Corpori claritatis suae* (2), eodemque tempore ipsa aperte declarat nobis erga Defunctos similes induendos esse sensus. *Nec enim contemnenda, et abjicienda sunt Corpora Defunctorum, maximeque justorum, et Fidelium, quibus tamquam organis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus* (3). Neque haec pietatis officia parvam apud Deum gratiam ineunt, cum magnus ille Tobias, quidquid bonorum a Deo consequutus est, iis praesertim, quibus pro mortuorum Cadaveribus angebatur curis, acceptum referre debuerit (4). Sed cum nihil tam sanctum sit, quod pravae hominum cupiditates non violent, dolendum nobis est, non leves in haec pietatis officia abusus irrepsisse, e quibus etiam scandala derivari mirum non est. Ut igitur omnia juxta leges ab Ecclesia sapientissime statutas hac in re fiant, et ne quid peragatur, quod Fidelium animos offendat, haec in posterum servanda praecipimus.

I. Ignorare Parochus non debet, quinam Ecclesiastica Sepultura digni sint, quive privandi. Horum Catalogus prostat in Rituali Romano (5). Si quis ergo sua in Ecclesia vel Coemeterio aliquem ex his sepelire auderet, quibus Sacri Canones (6), Pontificiaeque Constitutiones Ecclesiasticam denegant Sepulturam, is poenas per sacros eosdem Canones inflictas, aliasque arbitrio nostro infligendas non effugeret. Verum si quis ex casibus in Rituali Romano descriptis contigerit, ne quid temere, aut praecipitanter admittatur, nihil Parochi Nobis, aut Vicario Nostro Generali inconsultis aggrediantur. Cadavera autem, quibus ex nostra sententia deneganda est Ecclesiastica Sepultura, volumus ut in Terra non sacra, eaque alte effossa humentur ita procul ab Ecclesia, ut inde vox Clericorum psallentium

(1) *II. Maccab. XII. 46.*

(2) *Philip. III. 21.*

(3) *S. August. Lib. I. de Civitate Dei Cap. III.*

(4) *Tobias XII. 12.*

(5) *Rit. Rom. de Exeq. Tit.* Quibus non licet §. Ignorare. *Plura in hanc rem Sacrament. Eccl. Ferrarien.*

(6) *Can. XXVI. et XXVII. Dist. I. de Consecr. Cap.* Sicut, *Cap.* Excommunicamus §. Crederes *de Haereticis, Cap.* Quicumque *eodem Tit. in VI. Cap.* Sacris *de Sepult. Cap.* A Nobis *de Sent. Excom. in VI. Clementina I.* De Sepult *Cap.* Explantare *de Privilegiis, Cap.* Si qui *de Sent. excommunicationis in VI. C.* Quia *de Usuris, Cap.* Quamquam *eod. Tit. in VI. Cap.* Super eo *de Rapt. Cap.* Felicis, *et Cap.* Ad audientiam *de Torneam. Quod pertinet ad eos, qui moriuntur ex*

nequeat audiri (1). Quod si forte in loco sacro sepulta jam fuerint, et a reliquis Cadaveribus possint distingui, inde extrahi, atque in profanum locum exportari jubemus.

II. Pueris etiam sine Baptismo decedentibus Ecclesiastica Sepultura est deneganda (2). Horum Cadavera extra Ecclesiae, vel Coemeterii stillicidia condantur. Si tamen in defunctae praegnantis Matris utero obierint, tamquam viscerum ejus pars una cum Matre in Ecclesia sepeliantur.

III. Praeter narratos hujusmodi casus simul ac Parochus aliquem e suis Ecclesiastico sepeliendum ritu vita functum esse intellexerit, admoneat ejus rei populum aere campano lugubrem in modum personante, quo et mortalem se esse unusquisque meminerit, et pro anima nuper e corpore egressa Deum exoret: expedit tamen campanas multo post primam noctis horam minime pulsari; quare si noctu mors contingat, aut mortis nuncius noctu ad Parochum deferatur, mane diluculo aera campana pulsentur.

IV. Festivo antem, non lugubri sono parvulorum obitus annuncietur, hi enim cum facto regenerationis lavacro mundati ante rationis usum decesserint, Choris Coelestibus protinus admixti Agnum ipsum sine machula sequuntur, et sine macula sunt ante Thronum Dei (3).

V. Curandum interea est cadaver, componendum, vestiendum, quod quidem a foeminis erga foeminas, a maribus erga mares perficiendum est, et valde deceret, ut ubi fieri possit officium hoc erga Ecclesiasticos ab Ecclesiasticis tantum persolveretur. Vestes Clerico sint Clericales, et quidem illius ordinis propriae, in quo vivens erat constitutus (4). Laicis sint aptae suo cujusque loco, seu conditioni, aut a pia aliqua Sodalitate concessae. Hae tales sint, quibus cadaver totum decenter ad pedes usque tegatur; ejusdemque generis vestibus, quibus ad Ecclesiam effertur, sepeliendum est (5).

VI. Nemo tumuletur, nisi post viginti quatuor saltem horas ab ejus obitu, et puerperae, vulnerati, repentino morbo oppressi, ex aquis extracti, utcumque animam efflasse existimentur, nequaquam

vulnere accepto in Duello, vel in loco Duelli leg. Const. Bened. XIV. Detestabilem *IV. Idus Nov. 1752. Vid. insup. Can.* Quibus peccata *Can.* Non aestimamus *Causa 13. Quest. 2. et Can.* Placuit *Causa 23. Quest. V.*

(1) *Plures Synod.*

(2) *Rit. Rom. Ibid.* §. Infantibus.

(3) *Apoc. XIV. 4.*

(4) *Rit. Rom. de Exeq.* §. Sacerdos, *et sequentibus.*

(5) *Plur. Synod.*

terrae mandentur, nisi elapsis horis quadraginta (1). Verum si gravis odor, quo nullum aliud mortis indicium certius est, e Cadavere erumpat, antequam tempus a nobis constitutum fuerit expletum, tunc poterit, praehabito Medici testimonio, ante praedictum tempus sepeliri.

VII. Quo tempore cadaver supra terram, ut ajunt, consistit, nunquam sine alicujus accensae facis honore, neque sine custode deseratur. Gravissime tamen vetamus, custodiae hujus nomine mares, et foeminas simul convenire, praesertim vero nocturnas agere excubias; plectemusque nec leviter si quis contra fecerit.

VIII. Si quis violenta morte decesserit, sitque a laica potestate cadaver ejus recognoscendum, hoc ad Ecclesiam non deferatur, nisi postquam extra locum sacrum, immunemque recognitum fuisse Parocho constiterit. Si hac de re admoniti Curiae Ministri plus æquo morentur, corpus illud efferri, et Ecclesiastico ritu condi jubeat Parochus. In quacumque autem Ecclesia conditum illud fuerit exhumari amplius non debet, nisi veniam Nos, aut Vicarius noster Generalis scripto firmatam dederimus, et si de Ecclesiastici viri cadavere agatur, venia hujusmodi a sacra Immunitatis Congregatione est impetranda (2).

IX. Non sine aliqua pompa Christianorum cadavera sunt efferenda. Haeredes igitur defuncti, sive illi, ad quos vivens pertinebat, ex ejusdem voluntate supremis tabulis declarata, praescribant quot, et qui corpus sint comitaturi; vel si non sit illa cognita, sponte deligant (3). Hic tamen delectus habeatur servata loci cujuslibet consuetudine, nulloque modo iis Ecclesiis officiat, quibus, quoties mortuos tumulant, jus est Sacerdotes suos ad funus comitandum convocare.

X. Spectandus in funeribus dies, et hora. Namque agmen funereum minime noctu deducendum (4). Immo nisi gravi ex causa a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali probata, neque ante ortum solis, neque post occasum. Item neque dum in Templis divina celebrantur officia, vel Sacra Eucharistia publice prostat, itemque, quoad hujus rei fieri potest, cadavera diebus festis, praesertim solemnioribus, non efferantur.

XI. Iis, qui ad funera fuerint invitati, adsignet Parochus ho-

(1) S. *R. C.* 22. *Junii* 1673. *et* 13. *Julii ejusdem anni*.

(2) *Vid. Monacell. T. I. Tit. VI. Form.* 7. *per totum*. *Plura in hanc rem Baruffald. in Rit. Rom. Tit. de Exeq N.* 128. *et sequentibus*.

(3) *S. C. E. et R. pluries*.

(4) *S. C. C*, 15. *Mart.* 1704.

ram, qua conveniant. Conveniant autem in Ecclesiam, unde jus, aut consuetudo fert, ut Processio ineatur. Itaque cum invitatum fuerit Capitulum Basilicae Cathedralis, vel alicujus per Dioecesim Ecclesiae Matris, conveniant omnes ad Basilicam Cathedralem, vel ad Ecclesiam Matrem. Si desint Capitula, conveniant omnes ad Ecclesiam Parochialem defuncti, unde ad hujus aedem est procedendum, et hoc quidem ordine; praeeant Sodalitia, haec proxime sequatur Clerus Regularis, inde Saecularis. Sodalitiorum Fratres vestibus utantur coetuum suorum propriis, Regulares iis, quibus solent in actionibus Chori, Ecclesiastici Saeculares talari veste ac superpelliceo, cui tamen, in Civitate praesertim, non superimponatur pallium, nisi vera urgeat necessitas. Si qui haec minime servaverint, aut tempestive non adfuerint, largitione in hujusmodi comitatu facienda digni nequaquam habeantur.

XII. Quod Fratrum loco a Praefectis Sodalitiorum, quae diximus, subrogentur saepe per Dioecesim pueri, vel adolescentuli, qui et confusionem inducunt, et ipso suo habitu non raro occasionem praebent gravissimae functionis ludibrio vertendae, id quidem ut unquam imposterum fiant, ferre non possumus. Edicimus ergo Sodalitates, si quae forte hoc fecerint, etiamsi pueri, aut adolescentuli, quos ad funus mittunt, saccis illarum propriis induti accedant, habendas esse veluti absentes, easque omni cerae, alioque, si quod sit, emolumento, quod praesentibus obveniret, omnino privari volumus, praetereaque Praefectos, seu Priores illarum, qui id attentaverint, vel permiserint, poenis arbitrio nostro moderandis subjiciemus.

XIII. Parochi quoque opportune moneant conjunctos defuncti, ut *non contristentur, sicut et caeteri qui spem non habent* (1). Sed potius quam immodico dolori laxent habenas, ubi lacrymarum tributum naturae debitum solverint, omnem curam adhibeant, ut quam plurima possunt pro conditione suffragia in defunctae animae solamen conferant.

XIV. Parochus item, vel is, ad quem de jure, vel legitima consuetudine pertinet, praecipiat, qua eundum sit via, quae quidem et commodior semper sit, et brevior (2). Curet autem, ne unquam desint, qui cadaver deferant. In tota autem functione vultum iis animi sensibus accommodatum componat, qui Patrem decent de Filii sui morte dolentem.

XV. Est proprio defuncti Parocho jus, ut ejusdem funeri inter-

(1) *1. Tess. IV. 2.*

(2) S. C. *E. et R. 11. Decembr. 1615. et 14. Januarii 1639. Vid. Lambert. Inst.* 80, *Num. 7.*

sit vel ipse per sese, vel per alium, cui id ipse committat (1). Est ergo Parochus semper invitandus, nec prius efferendum cadaver, quam ipse intersit, atque ipso jure transgressoribus indictae sunt poenae, quas, aliasque arbitrio nostro subibunt.

XVI. Defuncto quoque jus est, ne Corpus suum efferatur, quin adsit Sacerdos ritus Ecclesiasticos in illud persolvens. Nullum igitur Christiani cujusquam vel infantis cadaver domo efferatur, perque vias ducatur, quin Parochus, vel alius Sacerdos ecclesiastico ritu illud prosequatur (2).

XVII. Sunt qui moriuntur in agris, aut vineis ab Ecclesiis Parochialibus admodum dissitis. Horum cadavera a Venerabili Sodalitio Mortis ex ejus institutis ecclesiastico ritu in Civitatem asportantur. Quoad reliqua utriusque Dioecesis nostrae oppida, et loca ea serventur in posterum, quae hactenus fieri consueverunt,

XVIII. Quod ex Ecclesiae ritu, procedente agmine funereo, recitandum, seu canendum est, id ab omnibus comitantibus agminibus, ne exceptis quidem, si fieri potest, Sodalitatibus, distincte, graviter, et devote, ut par est, ad Ecclesiam usque recitetur, vel canatur. Cum ad hanc ventum fuerit, Ecclesiastici, qui cadaver sunt comitati, tum etiam Confratres in Templo consistant, ac Parocho praecinente, quae canenda sunt prosequantur.

XIX. Cum in ultima Synodo nihil constitutum fuerit, quid singulis ad funus accitis debeatur, quod taxam funebrem communiter dicimus, cumque omnis Civitatis nostrae Parochi poposcerint, ut id tandem aliquando Synodali Lege definiretur, funebrem hanc taxam, collatis prudentiorum consiliis, auditisque Parochis ipsis, constitutam auctoritate nostra probavimus, eaque in hujus Synodi Appendice reperietur (3), ut hac in re illiberalitas quaecumque, aut etiam varietas penitus arceatur. Omnino autem prohibemus, ne quis audeat ultra taxam hanc vel minimum postulare, caveantque Parochi omnes, ne quid plus ab exteris, quam ab incolis repetant. Quidquid taxa hac sancitum est, Synodicae Legis vim, ac robur habeat.

XX. Si praescripta stipendia differri contingat, caveant Parochus, aliique Ministri, ne hanc ob causam cadaver tumulare morentur, neve fidejussionem, aut pignora pro iis exigant, sed controversias omnes, omnesque querelarum causas ad Nos, vel ad Vicarium Nostrum Generalem deferant. Nostrum erit lentos, aut litigiosos debi-

(1) *Ead. Congreg.* 28. *Septembr.* 1646. *Vid. Lambert. Inst.* 36. *sub fine.*

(2) *Vid. Rit. Rom. Exeq. Ord.* §. Parochus vero.

(3) *App. N. XIV.*

tores, seposita judiciorum solemnitate, compellere, ut quidquid Ecclesiae Ministris debetur, protinus solvatur.

XXI. Provisum quoque a nobis est, ne ulla omnino Parochos inter oriatur quaestio, cum cadaver in Ecclesia a Parochiali diversa juxta defuncti, aut eorum, ad quos pertinet, voluntatem condendum est. In his itaque casibus, qui haud infrequentes esse solent, in Civitate praesertim, praeter ea, quae ex communi locorum omnium consuetudine servanda sunt, statuimus, ut cerei omnes, qui in translatione cadaveris circa ipsum ardent, post expletas preces in Ecclesia, in qua cadaver sepeliendum est, omnes ad mortui Parochum spectent, praeter partem illorum, qui circa feretrum ardent, quae pars eidem mortui Parocho ex jure debetur.

XXII. Praeterea volumus omnino, ut ea consuetudo auferatur, vi cujus Parocho, intra cujus Parochiae fines cadaver ferebatur, jus illius comitandi, et quaedam cerae portio competebat.

XXIII. Cum e vivis eripiantur inopes, quibus honeste humandis nihil post mortem superest, aut tam parum, ut propriis sumptibus humari nequeant, ii gratis omnino a Parocho sepeliantur, efficiatque ipse impensis suis, si funerum incerta, quae majora dicuntur percipiat (dummodo pium aliquod sodalitium id facere minime teneatur), ne sine luminibus efferantur, terraeque mandentur (1). Caeteros etiam Ecclesiae ritus saltem necessarios erga eos expleat, curetque praeterea, ut aliquis Sacerdos, vel Clericus Psalmos secum in comitatu recitet, atque exequiis intersit. Illud potissimum nunquam patiatur, quemquam in sua Parochia sepulturae tradi, quin illius anima oblato saltem Sacrificio expietur. Quare vel Missam Parochus ipse celebret, vel eleemosynas a piis personis colligat, ut celebrari possit, vel denique ex eleemosynis, quae per annum pro Defunctis colligi solent, ea reservetur pars, qua celebrari possit Missa pro unoquoque, qui vere pauper obiit, etiamsi exterus ille sit, sive advena, sive peregrinus, nisi huic rei alia fuerit ratione consultum. Sed de hoc ipso, ut integra justitiae, atque fidelitatis ratio servetur, moneri quotannis universum Populum volumus, atque jubemus.

XXIV. Sacer omnino debet esse locus, in quo conduntur eorum corpora, qui in Fidelium communione decedunt. Is locus ex antiqua Ecclesiae consuetudine est coemeterium, quae consuetudo ubi viget, est conservanda, aut, ubi fieri potest, restituenda (2). Nulla igitur Parochialis Ecclesia carere coemeterio suo debet. Ubi vero hoc

(1) *Rit. Rom. Loc. cit.* §. Pauperes. (2) *Rit. Rom. loc. cit.* §. Ubi viget.

deest aedificium, sit saltem agellus non longe a templo constitutus, ab Episcopo, vel a Sacerdote ex ejus licentia benedictus, excelsiorem in medio Crucem praeferens, nullis occupatus arboribus, quae si forte essent, continuo excidantur, immo ne humilioribus quidem virgultis, aut herbis, quas crebro inde oportet extirpare. Muro insuper, vel densissima saltem sepe undequaque vallandus, ne ullus in illum aditus relinquatur, nisi per januam sera instructam, cujus clavem Parochus vel aedituus servet. Ita praeterea locum hunc custodiri mandamus, ut, quoniam sacer est, nunquam pateat nundinis, saltationibus, ludis circulatorum, ac ne aliis quidem communioribus, ut pilae, troco, aut similibus, quibus quodammodo pollui videretur. Vetamus pariter, ne in eo lignorum, lapidum, palearum acervi congerantur, uno verbo, ne usui cuipiam minus sacro addicatur.

XXV. Quoties in Coemeterio aliquis est tumulandus, nisi ejusmodi sit, in quo sepulturae constructae sint, fovea illi ad tres alta pedes fodiatur, terraque injecta, ac bene pressa operiatur, ne cadaver bestiarum morsibus pateat, neve gravem, noxiumque emittat odorem; nunquam vero duo in eadem fovea corpora condantur.

XXVI. Sed plerique Christianorum post mortem quiescere malunt in Templis, neque hoc ex recentiore Ecclesiae disciplina denegandum est. Idcirco praeter Coemeterium, quaedam sint in omni parochiali Ecclesia sepulcra. Atque unum quidem ante Aram maximam Ecclesiasticis unice destinatum, immo ubi commodum fuerit, aliud pro Inferioris Ordinis Ecclesiæ Ministris (1); alterum quo inferantur parvuli Baptismate abluti; tertium omnium amplissimum reliquos excepturum, eritque multo laudabiliuus, si his addatur et quartum in quo solae deponantur foeminae.

XXVII. Nulla unquam sepulcra sub Altari, aut sub ejus gradibus effodiantur, a quibus abesse debent ad duos saltem passus. Quod si sub Altari, seu illius gradibus cadaver sepultum fuerit, non licet ibi sacrum facere, donec ossa illa alio translata non fuerint (2). Nulla item sepulcra excelsiore in loco construantur (3); sed omnia satis alte infra terrae superficiem descendant, et ad omne latus muris, ac superne opere fornicato muniantur, in quo os non angustum pateat; hoc tamen quemadmodum est accurate marmore claudendum, et calce, vel aptiore cemento, ne qua hiet rima, obli-

(1) *Rit. Rom. loc. cit.* §. Sepulcra. *N. 712. et plures Synodi.*

(2) *S. C. Ep. apud Cavant. P. I. Rubric. Miss. Tit. 20. lit. O. S. R. C. apud Merat. in Indice Decret. T. I.*

(3) *S. Pius V. Const.* Cum primum *V. §. 6.*

niendum; ita curandum, ne pavimentum idcirco exasperetur, neve quidpiam in ipso extet, quod incedentibus offendiculo esse possit.

XXVIII. In Ecclesiis, in quibus perpetuum sepulcrum permittere ad Nos spectat, nemo sibi, vel suorum alicui monumentum ad sepulturam constituat, nisi facultate a Nobis impetrata (1). Immo nemini quidem liceat vel semel pavimentum ad sepulturam perrumpere, nisi aut Nos ipsi, aut Vicarius Noster Generalis scripto dato id concesserimus. Item nostrum est, aut Vicarii Nostri Generalis concedere, ut inscriptiones, stegmata, Dignitatum insignia Cathedralis Basilicae Nostrae parietibus affigantur (2).

XXIX. Cuique pubertatem adepto, neque usu rationis destituto sepulturae electionem Sacri Canones liberam faciunt (3). Haec tamen electio constet necesse est vel ex ultima defuncti voluntate legitime significata, vel saltem ex duobus testibus, qui fide digni habeantur (4), neque ad id admittuntur personae ejus loci, sive Ecclesiae, ad quam sepultura electa dicitur. Immo hac in re solius Parochi testimonium admittitur *modo non testetur ad proprium commodum* (5), atque hoc idem de Confessario solet haberi. Praeterea electio haec nequit alterius voluntati committi. Ac demum qui eligitur locus, et sacer debet esse, et ex iis, quibus habendi Cadaveris perpetuo jus est. Habeant vero prae oculis Ecclesiastici tum Saeculares, tum Regulares, se in excommunicationem latae sententiae Summo Pontifici reservatam, aliasque in poenas incursuros, si quempiam impulerint, ut voveat, seu juret, seu promittat se mandaturum, ut in eorum Ecclesiis sepeliatur, vel nunquam se mutaturum locum, quem sibi constituit; et praeterea hujusmodi votum, seu juramentum irritum ab ipso jure declarari (6).

XXX. Qui nullam vivens sepulturam elegit, in Parochia sua tumulabitur, vel si sepulcrum proprium familiae habeat, in hoc deponetur (7). Uxor pariter apud illum jacebit, quem postremum habuit maritum (8). Quoad impuberes, qui eligendi jure carent, liceat patri, aut matri, si pater desit, pro ipsis nondum extinctis

(1) *S. C. C.* in Valvens. 10. *Maji* 1727. *et alibi*.

(2) *Synod. nostra Ferrar.*, *aliaeque plures*.

(3) *Cap.* Nos Instituta 1. *et* Fraternitatem 3. *de Sepulturis*.

(4) *Plures Synodi*.

(5) *S. C. C.* 13. *Febr* 1666.

(6) *Vid. Cap.* Animarum 1. *de Sepulturis in VI. et Clement.* Cupientes 3. *de poenis*.

(7) *Cap. I. de Sepulturis Cap.* Is qui 3. *Tit. eodem in VI.*

(8) *Eod. Cap.* Is qui.

sepulturam eligere, nisi forte huic parentum juri consuetudo adversetur (1).

XXXI. Infantes apud nutricem, famuli, aut famulae apud dominum obeuntes sepeliantur a Parocho, in cujus finibus sita est sive nutricis, sive domini domus, quin jus ullum sibi retineat ipsorum domicilii Parochus. Item si qua Familia domum habeat intra alicujus Parochiae fines, et extra hanc aedes domui adjacentes, ubi aliquis obeat, hujus Cadaver efferendum, ac tumulandum a Parocho, cui tota familia subest, eidemque cedunt omnia emolumenta. In his vero, quae non satis perspicue sunt per Canones definita, Parochi omnes inter se convenere, rataque habent, quae sunt in hac Synodo constituta.

XXXII. Si quis ibi decumbat, et moriatur, ubi nec domicilium, nec quasi domicilium habet, Parochus, in cujus Parochiae finibus id contingit, omnibus in eum et aegrotantem, et morientem boni Pastoris officiis fungatur. Is tamen sepulturae omnino tradendus est in Parochia, in qua vivens habitabat, nisi aliam sibi designaverit, vel ad aliam jus habeat. Si tamen ipsius Parochia ter mille et amplius passus distet a loco, ubi decessit, in ea ubi decessit tumulandus est (2). Si fuerit propinquior Parochus demortui proprius, tempore moneatur, ut ad asportandum cadaver vel accedat, vel mittat, et quae sui juris sunt possit ipse exercere. Quamquam si tempus patitur, dum ingravescit morbus, eumdem domicilii Parochum certiorem fieri par est, ut ejus familiares ad ea, quae sunt ipsi eo tempore necessaria procuranda excitet.

XXXIII. Jam vero non solum dum funus agitur, sed etiam cum exequiarum officia anniversaria persolvuntur, nemo adsit sive Sacerdos ille sit, sive Clericus, qui non sit veste talari cum superpelliceo indutus. Quotquot fuerunt acciti, vel has functiones obeundi jus habent, tempestive conveniant, nec prius discedant, quam expleta sint omnia. Quae si quis minus integre praestet, et nisi actu illis omnibus praescriptis intersit, eleemosynis, quae functionibus hisce respondent, prorsus privetur. Omnibus idcirco, et singulis, ad quos pertinet hujusmodi eleemosynas distribuere, districte prohibemus, ne eas officiorum, vel Missae causa cuique mittant, aut tribuant, nisi in ipsa officii Ecclesia Missam, et sacras alias functiones personaliter obierit eo habitu, eaque ratione, quam hac ipsa Synodali san-

(1) *Cap.* Licet. *IV. De Sepulturis in VI.*

(2) *Vid. Lambert. Inst. CV. Num.* 42.

ctione Sancti Caroli exemplum (1), et Sacrorum Canonum praescripta secuti decrevimus.

XXXIV. Omnibus denique, ad quos Synodalia haec decreta spectant, adprecamur a Deo: *Faciat vobiscum Dominus misericordiam suam, sicut fecistis cum mortuis* (2); et facturum ipsum summa spes est, si quaecumque praescripsimus, pie, religiosequae, ut par est, expleantur. Procul a sacris hisce functionibus quaestus cujuscumque non aviditas solum, sed etiam suspicio. Ecclesiastici ritus plane, et cum dignitate, exclusa proinde celeritate, serventur. Praecipue vero cantus sit clarus, justisque intervallis divisus, verbo sit talis, qui pietatem excitet, non qui concitet offensionem, vel risum moveat. Quod etiamsi a singulis curari debet, majori tamen studio a Parochis, quorum in Ecclesiis hujusmodi celebrantur officia, qui potissimum animadvertere debent, si negligentes in hoc fuerint, inanes deinde fore suos apud Populum conatus, cum illum ad proximorum, atque adeo propinquorum suorum animas piacularibus, iisdemque acerbissimis flammis addictas levandas, ac liberandas cohortabuntur. Quod charitatis officium non modo saepe est populo inculcandum, sed etiam quotidie edito Campanae ad primam noctis horam signo commemorandum. Id autem omnino fieri in qualibet Parochia ab ipsis exigimus (3).

(1) *S. Carolus Conc. Prov IV. de Funeribus et Exequiis* §. Qui in funus.

(2) *Ruth. I. 8.*

(3) *Vid. sup. Par. 2. Cap. 7. §. 7.*

PARS QUARTA

DE PERSONIS ECCLESIAE, ET DE FORO EPISCOPALI.

Gravissimum onus laboris, atque officii, quo premimur, alienas animas regendi, easque *in sinu sponsionis nostrae ad aeternitatis templum portandi* (1) perferre nos haud posse, intelligit quisque, nisi adlecti ad Ministerium Verbi, et ad Sacrorum procurationem Administri praesto essent, qui illud aliqua ex parte allevarent. Ast et illud nobis, magnum equidem teste Chrysostomo (2), impositum est onus, jura nimirum de rebus, ac personis sacris tueri, vindicare, ac persequi, et causas, quae ex Canonum praescripto, et ex prisca Patrum consuetudine, imo ex ea, quae Ecclesiae inest, potestate judiciaria (3) agi apud nos debent, deliberare, ac de iis sententiam ferre: quo fit, ut Fori etiam Ministros praeficiamus, quorum opera eam possimus officii partem sustinere. Patet vero homines, quos ad hasce nostras in re sacra gerenda curas, ac sollicitudines adjutores designamus, ea esse commendandos pietate, religione, prudentia, ut caeteris exemplo sint, aemulantesque in dies charismata meliora, venerationem, fidem, et gratiam, ne dum ex munerum ratione, sed ex sancta etiam, severaque morum, quibus effulgeant, disciplina vel apud eos, qui ex adverso sunt, nanciscantur. De iis itaque singillatim hac Synodi parte decernere visum est, ut qua quisque ratione vitam, mores, actusque componere pro tradito sibi officio debeat, agnoscat, idque omni studio, et cura impensa praestare connitatur.

(1) *S. Gregor. Reg. Pastor. Par.* 2. *Cap.* 2.

(2) *S. Jo. Chrysost. de Sacerdot. Lib.* 3. *sub fin.*

(3) *Hanc Eccl. potestatem post Aetianos, Valdenses, aliosque id genus homines impios, Jo. Bodinus* Lib. 3. de Rep. *la Borde:* Principes sur deux puissances: *aliique insectati sunt. Morinus* de Poenit L. 1. C. 10. *Van. espen.* Jus Eccl. L. 3. T. 1. *forum contentiosum Ecclesiae a poenitentiali non distinguunt. Eam egregie propugnarunt prae ceteris Bianchi*, Della Potestà della Chiesa L. 1. *cap.* 5. *Mamachius* Ep. 2. ad Febr. §. 19. et seq.

CAPUT I.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

Sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in Coelis inter illas Potestates esset collocatus: inquiebat Chrysostomus (1): *neutiquam enim possunt Clericorum vitia latere, sed etiam exigua cito conspicua sunt: et quemadmodum ipsorum praeclara gesta multis prosunt ad simile studium evocantia, sic et eorum vitia alios ad virtutum exercitia segniores efficiunt, et ad bonorum operum laborem torpere faciunt. Quamobrem animae ejus pulchritudinem splendere oportet, ut spectatorum animos oblectare simul, et illustrare possit*. Haec de iis omnibus, qui in sortem Domini recepti ad Sacrorum tractationem sunt honorati, praefari cum Antistite praeclarissimo voluimus, ut tradituri in praesens, quae ad ipsorum vitam, ac disciplinam pertinent, negocii, quod urgemus, gravitatem, vim, ac momenta portendamus. Id ob oculos habeant universi, id animo meditentur, *non facti magnitudine, sed peccantis dignitate peccatum ceteros metiri* (2), ac si quae proinde leviora videantur, et minuta quadam diligentia perquisita, nimisque fortassis enucleata, majora tamen ex rei necessitate postulari meminerint, cum de Personis in Dei exercitum, militiamque cooptatis sermo sit, quas sanctas esse oportet, sicut ea sancta sunt, quibus peragendis addicuntur.

I. De vestibus primo placuit decernere, quibus tantopere Clericalis Ordinis modestia, ac dignitas commendatur. Jure profecto Canonum cautum esset, ut Clericorum vestis nonnisi longa sit, et ad talos demissa, eaque nigri coloris, simplex, et inornata, globulisque dumtaxat anterius distincta, palliumque ejusdem coloris, et longitudinis, ac si quandoque breviorem vestem adhiberi oporteat, ipsa etiam ante pectus sit clausa, et infra genua dilabens, forma, colore, ornatu nihil admodum a talari dissimilis (3). Ast cum ad

(1) *S. Jo. Chrysost. de Sacerd. Lib. 3. Cap. 4. et 14.*

(2) *S. Jo. Chrysost. loc. cit. cap. 14.*

(3) *Clericorum vestes initio a Laicis non fuisse dissimiles praesertim ante saeculum sextum, quo Barbari vestes breviores induxerunt, opinio testatior est*: *S. Greg. M.* Dialog. Lib. 4. Cap. 40. *De iis vero in praesenti Ecclesiae disciplina, et de Episcoporum in iis designandis auctoritate, legatur Ben. XIV.* de Syn. Lib. 11. Cap. 8. §. 3. 4. In Institut. Eccl. *71. Item S. Carolus Borrom.* Conc. Prov. 1. Part. 2. Tit. de vest. Cler. *Canones de iisdem potiores, et decreta Sac. Congreg. referuntur in*

vitae commoda, ususque expeditiora jampridem indumenti genera apud Viros etiam a pietate spectatos invaluerint, eaque communiter tolerentur, hunc et nos Canonum rigorem temperare non abnuimus. Sed talaris vestis usum a Sacerdotibus, qui ad litandum accedunt, omnino exquirimus, eosque prohibemus ad Sacra facienda Ecclesias ingredi non ea veste indutos, Aedituumosque jubemus ad nos, aut Vicarios Nostros Generales de inobedientibus referre, ut debitas ab iis poenas repetamus, qui suspensos se manere sciant ab omni Ordinum munere, si absque talari veste operari auserint ad Aram (1).

II. Caeterum in ea etiam breviori veste, quam ex praesentis disciplinae indulgentia horis praesertim pomeridianis, et quando ad Sacra, et ad Officia divina non sit conventus, tolerari identidem denunciamus, caveant Clerici, *ut talis sit cultus, qui occasione vanitatis careat, et nihil novitatis, nihil superfluitatis redoleat, nihilque reprehensionis, aut detractionis habeat* (2). Hinc vestitu nimio indulgere, vestes pretiosas, et auro, argentove ornatas circumgestare (3), inambulare in Foro, aliisque locis celebrioribus more Laicorum petasatos, cum lacerna, cum caligis, eamque urbanam munditiam, elegantiamque perstudiose quaeritare, quae saeculi pompam praeseferat, ingeniumque ostendat lapsum ad mollitiem, ac muliebrem arguat levitatem, eos profecto dedecet, quorum illa esse oporteret vox una: *Expoliavi me tunica, quomodo induar illa?* (4) Illud praeterea severioribus poenis edicimus, ne quis e Clero, tam in Civitate, quam in utraque Dioecesi, etiam nocturnis horis in publico versetur absque linea vitta collo circumducta coloris subalbi, quam *Collare* nuncupant.

III. Huc spectant, quae de tonsura jure Canonum statuta sunt. Clerici itaque universi *caesariem neque admodum leviter detondeant, neque nutriant* (5) Nam Clericus, *qui ad sortem Domini vocatus comam nutrit, et capillos radere, vel tondere erubescit, profecto se non*

Append. ad Syn- Fulgin. R. P. D. Baptistellii ad Cap. 13. §. *6*.

(1) Ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 6. Reform. Vid. sup. 6. 2. Cap. 5. §. 5.

(2) Conc. Aquisgranen. an. 816.

(3) *Cap.* Clerici officia. *De vita et honest. Clericorum, quo vetantur Clerici deauratos ornatus, aliasve superfluitates gerere.*

(4) Cantic. 6. 3.

(5) Can. Prohibere 21. *Can.* Clerici 22. *Can.* Non licet 32. *dist.* 23. *et alibi de vita et honest. Cleric. Legatur de Tonsura Clericali Thomassin. de Eccl. disc. Par. 1. Lib. 2. Cap. 37. . . Hallierus de sacr. elect. Part. 3. Sect. 8. Cap. 9.* §. *6.*

de Dei, sed de mundi sorte esse testatur (1). Hinc, tamquam suae dignitatis insigne coronam in medio vertice rotundo ambitu justa pro Ordinum gradu magnitudine abrasam gerant, quam saltem quintodecimo quoque die renovent (2). Arceri eos siquidem jubemus ab Altari, quorum tonsura non conspiciatur. Procedere autem calamistrata coma, composito ad luxum capillo, madentibusque cincinnorum fimbriis, atque unguentis capite, et ore perfricato, *sponsos magis existimandos, quam Clericos*(3) indigna res foret, atque intoleranda omnino. Comam fictitiam adhibere, sive integram, sive dimidiatam, fas est nemini, nisi ex facultate per Nos facta (4); Summi autem Pontificis privilegium adsit, opus est, ut eam Sacerdos gestet, quando rem divinam procurat (5). Placet vero lectissimis Antonii Gratiani Antistitis Amerinorum verbis nostris Clericis prorsus interdicere *a quorumdam adolescentum, aut plusquam adolescentes desipientium Virorum turpi sane more, atque indecoro, qui plus aequo jam invaluit, capillatam frontem, ac sinciput, circumtonsa reliqua capitis parte, gestandi* (6).

IV. Porro lex isthaec de Clericorum habitu, et tonsura cunctos plane Clericos pertingit, imo et eos quoque, qui in Clerum olim cooptati nuptias postea contraxere, si privilegiis tum Canonis, tum Fori in causis tam civilibus, quam criminalibus frui velint (7). Eos vero, qui Ecclesiae beneficiis habent, unde alantur, poenam privationis beneficiorum incurrere, si Clericalia haec insignia abjiciant, quasi eos Clericos sese profiteri subpudeat, Benedicti XIII. Constitutione admonemur, qua cautum est, *non posse illos beneficiorum fructus facere suos, quos proinde percipere non valent, sed perceptos ante omnem Judicis sententiam sub poena lethalis culpae in subsidium pauperum, vel in commodum fabricae Ecclesiarum, in quibus beneficia sunt constituta, erogare debent, a quo onere nemo, nisi unus Romanus Pontifex absolvere eos potest*: Ac ne impunitatis spes illecebra sit peccandi, locorum Ordinarii ab eodem Pontifice jubentur, ut in

(1) *De contemptu mundi.*

(2) *Conc. Rom. Tit. 16. Cap. 3. et Edict. relat. in ejus append. N. 18. §. 1. De magnitudine coronae clericalis juxta Ordinis gradum legatur in Act. Eccl. Mediolan. Par. 3. decret. Visit. Apost. et in Append. Syn. Fulginaten. Baptistelli Cap. 13. §. 4. ubi schemata ipsius eduntur.*

(3) *S. Hieron. Ep. ad Eustochium.*

(4) *Conc. Rom. loc. cit. . . Benedictus XIV. de Syn. Lib. 11. cap. 9. §. 5. item Inst. 34. §. 14.*

(5) *Vid. sup. Par. 2. cap. 5. §. 4.*

(6) *Syn. Amer. Cap. 660.*

(7) *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 6. de Reform.... Conc. Rom. Tit. 6. cap. 2.... Ben. XIV. de Syn. Lib. 12. cap. 2. §. 1.*

hujuscemodi Clericos sententiam ferant, qua delatis sibi beneficiis priventur (1).

V. Verum non habitu solum Clericalis Ordo commendetur, opus est, sed optimis cum primis moribus, et sanctissima disciplina, qua ab aliorum vivendi licentia apprime distinguantur. Neque severiores nos compellet quisquam, si Ecclesiasticis edicamus, non crimen solum, sed etiam criminis evitare suspicionem, et a foeminarum proinde abstinere consuetudine, usuque, neque cum ipsis adloquia instituere, nisi necessitas, aut charitas urgeat (2). Non se Salomone sapientiores esse meminerint, non Samsone fortiores, non sanctiores Davide, nullamque virorum cum foeminis consuetudinem periculo carere, ex qua mollitur paulatim animus, ac demum a constantiae, et continentiae consiliis vel inopinato desciscit. Hinc nobilissimam castitatis virtutem tanto studio satagant custodire, ut nihil omnino neque in dictis, neque in factis indecorum, lascivum, aut petulans appareat, atque imo quoad fieri possit, coelestem videantur vitam agere in terris, ab omni corporis contagione sejuncti.

VI. Caveant igitur Clerici, ne domum cum foeminis communem habeant, nisi eae sint sanguinis sibi necessitate conjunctae (3). Item nec ad rem familiarem curandam in famulatu eas habeant, nisi ex facultate per nos facta, qui et aetatis, et famae, et morum mulieris rationem ducemus (4). Ab iis vero, quae licet sibi sint propinquae, suspectae tamen existimationis dicantur, secedant omnino (5), imo nec iisdem, vel aliis personis, quae infamia notentur, locare audeant domos domestici sui patrimonii, vel beneficii, aut Ecclesiae, cui praesunt (6). Parochi vero absque nostro concessu in Curionales aedes Fratres conjugatos, Sorores, vel Neptes, quae adhuc nubendo sint, non admittant (7). Nefas autem foret, manum sacris Chrismatibus delibutam, divinisque mysteriis contrectandis devotam foeminis inter deambulandum sustinendis, circumducendisve adhibe-

(1) *Const.* Catholicae Ecclesiae *relat. in append. Conc. Rom. N. 5.*

(2) *Cap.* Clericus. 20. *Can.* volumus. 24. *dist. 81.*

(3) *S. C. Episc. 7. Jun. 1619.*

(4) *Cap.* a nobis. 9. *de Cohabit. Cleric. et Mulier.* . . *Can.* Volumus. *Can.* Oportet. *Can.* Foeminas *dist. 81.*. *S. Ambros. Lib. 1. de offic. Ministror. Cap. 20.* . . *Conc. Rom. Tit. 16. cap. 3. Bened. XIV. de Syn. Lib. 11. cap. 4. §. 4.* . . *et Inst. 72. et 83.*

(5) *Cap.* Inhibendum. *de Cohabit. Cleric.* . . *Legatur Hom. S. Jo. Chrysost. in eos, qui virgines subintroducunt ec.*

(6) *Conc. Carthag. III. cap. 5.* . . *S. Carol., in monit. ad Cler.*

(7) *Syn. Ferrarien. Card. Ruffo.*

re, item cum iis propalam incedere, vagari, et publica hominum otiosorum domicilia frequentare. Facultatem insuper a nobis exquirant Clerici, qui velint mulieres quaslibet cantum, litteras, aliasque artes edocere (1). Eadem de causa prohibentur Clerici pro infantibus in Baptismatis, aut Confirmationis sacramento sponsores adstare (2). Haec dumtaxat admoneri Clericos nostrarum Dioecesium voluimus, nec de re putidissima, quam nec nominari inter Christifideles volebat Apostolus (3), plura decernenda duximus, ne spectatissimo ipsorum Ordini eam quodammodo injuriam irrogare videremur, ut ex iis quempiam cupiditate adeo obcecatum censeamus, ut personae oblitus, ac muneris sui, blanditiis voluptatum deliniri se sinat, atque corrumpi, easque animo inflammato concupiscens, nuncium virtuti infeliciter remittat. Hunc porro mortalium miserrimum, si quem forte eo licentiae abreptum perdoleremus, nedum poenis per Canones decretis animadvertemus, sed illud tum primis omni studio, ac sollicitudine curabimus, ut gradum agnoscat dignitatis, e qua in luti volutabrum (4) praecipitem sese dedit, ac verae pietatis sensu permotus, factusque poenitentiae spectaculum Angelis, et hominibus, sancte convertatur, et vivat.

VII. Sed pudicitiae aeque, ac sanctitatis omnis inimica est crapula, et ebrietas (5). Clerici igitur nostri *vinum sibi temperent, et se vino* (6): caveantque ne forte corda sua graventur in crapula (7). Sacerdotem autem ebriosum, quem nullum, Deo bene juvante, esse confidimus, nullo ecclesiastico munere fungi diutius patiemur: Clericum ab altiore ordine suscipiendo propellemus (8). Aditu vero in tabernas, in cauponas, aliaque in loca, quorum in nidore, ac fumo vel paulisper stare vix unquam flagitii occasione caret, Clericos penitus interdicimus, praeterquam cum iter faciunt, ac tum quoque cum mulieribus discumbere eos vetamus (9). Non inde tamen a lautioribus conviviis eos perenniter amotos volumus, dummodo modestiam, ac sobrietatem per omnia retineant. Bene vero Nuptiales epulas iisdem interdicimus, quibus perraro Ordinis Clericalis

(1) *S. Carolus Conc. Prov. II. Tit.* 2. *decr.* 32.

(2) *Vid. sup. Par.* 2. *cap.* 2. §. 8.

(3) *Ad Ephes.* 5 3.

(4) *II. Ep S. Petri* 2. 22.

(5) *Cap.* ante omnia *dist.* 35.

(6) *Cap.* a crapula. *de vita et honestate Clericorum*.

(7) *Lucae* 21. 34.

(8) *Cap.* a Crapula. *de vita et honest. Cler.*

(9) *Cap.* Non oportet. *Can.* Clerici *dist.* 44. . . . *cap.* Clerici officia. *de vita et honest. Cler. Legatur Can.* 13. *Apostol.*

gravitatem, ac temperantiam servari palam est (1). Turpes compotationes, moremque putidissimum propinandi invicem pocula fugiant Clerici. Eam porro frugalitatem summopere exquirimus, quando vel festo aliquo die, vel ad justa funebria exequenda conveniunt Clerici, ne justam de Sacricolis obloquendi occasionem praebeant iis, qui foris sunt.

VIII. De ludo haec decreta sint. Poenis per Canones praefinitis, aliisque per nos irrogandis prohibentur Clerici, nedum vacare etiam per alios talis, tesseris, aleis, omnique lusionum generi, in quibus temeritas, et casus, non ratio, et consilium valet, sed et ludentes inspectare, et pro ipsis spondere, et potestatem aliis facere vetitis ludis ludendi suis in aedibus (2). Quid autem ab gravitate, et magnitudine personae, quam Ecclesiastici homines sustinent, alienum magis, gravioribusque poenis coercendum, quam eorum quempiam jocantium coetibus in tabernis, in apothecis, in foro sese miscere, vestem Clericalem quandoque ad ludendum exuere, eamque pecuniae vim exponere, quae pro personarum, fortunarumque ratione levis non sit, vel denique tempus ex Sacrorum procuratione, ex sanctioribus studiis, ex debitis occupationibus ereptum dare licenter ad ludum? Ludant Clerici, si libet, valetudinis curandae, vel animi recreandi causa: ast ludus sit, qualem S. Carolus monebat, qui nimirum loco, tempore, vestium decore, amotoque pecuniae amittendae periculo honestetur (3).

IX. Choreas, tripudia, saltationes, ubi praesertim adsint mulieres, duci a Clericis (4) eosque ad illas instrumentum quodvis pulsare (5), item personatos incedere (6), vel ex publicis viis cantus, aut sonos horis praesertim nocturnis edere, aliaque id genus factitare, quae a modestia, gravitate, honestate abhorreant, procacioris licentiae facinus foret, suspensione, aliisque poenis severe

(1) *Plures Synodi.*

(2) *Can.* Episcopus *dist. 35. . cap.* Clerici officia *de vita et honest. Cleric... Conc. Rom. Tit. 16. cap. 3... Ben. XIV. de Syn. Lib. 11. cap. 10. §. 2. et Instit. 37.*

(3) *Conc. Prov. I. P. 2. De armis et ludis. §.* si autem . . . *De ludis, quos permitti fas est, legatur S. Thom. 2. 2. Q. 168. art. 2. et 3.*

(4) *Can.* His igitur *3. dist. 23. ... cap.* Non oportet *37. dist. 5. de Consecr... Conc. Trid. Sess. 22. cap. 1. de Ref.*

(5) *S. Franciscus Salesius suspensionis poenam infligit Sacerdotibus, qui saltationes inirent, in statutis Synodalib. par. 3. tit. 4. Vid. Braschius Promptuar. Synodal. cap. 99 §. 5.*

(6) *Can.* Nullus Presbyterorum *35. dist. 5. de Consecr... cap.* Clerici officia *15. de vit. et honest. Cleric... Legatur Bened. XIV. de Syn. lib. 11. cap. 10. §. 11. 12., et Instit. 37. et 76.*

vindicandum (1). Pudeat autem Clericum, mentem, oculos, auresque rerum divinarum tractatione, cultuque devotas scenicis spectaculis, et inhonestis Histrionum fabulis, jocisque Mimorum distinere, quae singula tum ex lascivienti foeminarum, hominumque exhausti ut plurimum pudoris concursu, tum ex ipso comoediarum, actionumque genere vere *labem morum*, *probrorum fomenta*, *alimenta vitiorum* compellamus cum Cypriano (2). Pudeat Carnevalium diebus ad frequentiores vias, et ad publica illa loca prodire, ibique diutius subsistere, quibus effrenatam, projectamque multitudinem videmus insanientium more discurrere, inconditique gaudii laetitiis publica quadam amentia bacchari, omniaque clamoribus, et sybilis, actibusque indecoris permiscere, ludicrisque, et scurrilibus larvatorum personis cuncta, quae ad risum, et chacchinos moveant, liberius pertentare (3). Nos certe, si quem hisce se immiscere prophanorum hominum studiis, et voluptatibus deprehendemus, impune haud feremus, eumque ab ordinibus, et beneficiis diutissime repellemus.

X. Est et aliud oblectamenti genus venatio. Ea quidem, si clamosa sit, si concursu gentium celebris (4), si certo quodam armorum, canium, venatorumque apparatu instruatur, si Feris, Apris, Lupis, Capreis, Ursisque capiendis paretur, si demum personam in vitae discrimen injiciat, sese prohiberi omnino sciant Clerici, poenisque ex Canonum jure plectendos fore inobedientes, sancimus (5). Illam tamen venationem toleramus, quae solatii honesti causa raro, non crebro, clericali insigni non dimisso, nec in locis frequentioribus, nec cum sociorum turba, neque diebus festis, esurialibusque feriis(6), neque ex legum contemptu, neque cum ceterorum offensione, et

(1) *S. C. C. Sulmonen.* 22. *Aug.* 1655., *et Ep. ejusd. S. C. ad Vic. Capitular. Aquilan.* 31. *Octobr.* 1706..... *S. Carol. Conc. Prov.* 1. *part.* 2... *Legatur Bossuetus de Comoed.*

(2) *S. Cypr. Ep. ad Donatum de Theatr.... Thomassin. de Discipl. p.* 3. *lib.* 3. *cap.* 45. 46.

(3) *Syn. Ferrarien. Card. Crescentii pag.* 96. §. A publicis. *S. Cyprian. de spectaculis... Clemens Alexandrin. Paedagog. lib.* 3. *cap.* 2.... *Christian. Lupus ad Can.* 62. *Conc. Trullan.*

(4) *Cap.* Episcopus 1. *Can.* Omnibus 2. *de Cleric. venatore ... Conc. Lateran. IV. Can.* 15. ... *Conc. Epaonense in Dioecesi Bellicensi ann.* 517. *Can.* 4. ...*Concil. Cabillonen. ann.* 603. *Can.* 9. *Legat. Gonzalez in cap.* 1. *de Cler. venat.* §. 3. *Thomassin. de Eccl. discipl. par.* 3. *cap.* 46.

(5) *Can.* Quorumdam *dist.* 33. *Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.*

(6) *Nicolaus* 1. *in Respons. ad Bulgar.* §. 44. *apud Harduin. tom.* 5.... *Can.* 13. *dist.* 86.

incommodo suscipiatur (1). Stomachatur quippe bonus quilibet, imo et ipsa imperita multitudo notat oculis, dictisque perditos quosdam e Clero, quos omni dignitatis, decorisque cura abjecta, nullo Ordinis praelato indicio, armis more Apparitorum instructos, per saltus, per agros, per nemora cernunt integras dies vagos cursitare, coeno, sordeque turpes sub noctem reverti domum, sarcina venatica onustos, tum demum laxiores, fessosque de via divinas persolvere laudes, seu verius glomerare oscitantes, somniculosos, pertaesos, nisi fortasse vel inter venandum animo ad alia dilabenti psalmos recitare, seu involvere consueverint. Hos porro, quos in officio continere satagemus, monemus cum Hieronymo: *Penitus non invenimus in Scripturis sanctis Sanctum aliquem venatorem* (2).

XI. *Clerici nec ensem, nec pugionem, nec aliud armorum genus gestent*, plurium Conciliorum Canonibus sancitum est (3): imo *Clericos portantes arma* excommunicatione mulctandos esse, jure Pontificio edocemur (4). Hinc et nos edicimus, ne Clerici arma cujusvis generis ferant (5); parvulos cultellos excipimus, qui ad stylum acuendum, et ad crebriores vitae usus adhibentur. Leges a Principe providentissime latas de armis non tenendis, nec portandis, religiose, sancteque servari volumus a Clericis nostrarum Diaecesium, a quibus statutas poenas repetemus, si in eas peccare ipsos deprehendamus. Induant potius Clerici ex Apostoli monito (6) *armaturam fidel: sit justitia lorica ipsorum: sumant galeam salutis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei*: Atque haec arma sint (7), quibus tectos se esse

(1) *Legatur Lessius de justit. et jur. lib 2. cap. 5. §. 40.... Pirhing. ad tit. de Cler. venat. §. 3. Bened. XIV. de Syn. Lib. 11. cap. 10. §. 6. seq.*

(2) *S. Hieron. in Jsaiam relat. in Can.* Esau *11. dist. 86.*

(3) *Conc. Aquen. 1551. Aquilejen. 1596.*

(4) *Cap.* Clerici arma *de vit. et honest. Cleric.*

(5) *Const. Pii IV.* Cum vices *1562. Const. Alex. VIII.* Etsi cuncta. *1690. Const. Clem. XII.* In supremo *1734.* §. Et quia. *Bened. XIV. Const.* Securitate *1752. Vid. Bened. XIV.* de Syn. *lib. 10. cap. 2. §. 3. Girald. in Jus Eccl. par. 1. Sect. 311.*

(6) *Ad Ephes. 6.... Clerici prohibentur torneamenta, ferarumque certamina, aliaque discrimen vitae inducentia inspectare Can.* ' ehcis, *de torneamentis ... S. Pii V. Const* De Salute. *1567.* §. Clericis. *Vid. Girald. Inst. Eccl. par. 1. sect 830.*

(7) *Cap.* Decrevit... *Cap.* Consequens ... *Cap.* Negotiatorem .. *Cap.* Fornicari. *Dist. 88... Cap. fin. de Vit. et honest Cleric. ... Cap.* Multa §. Ne Clerici, vel Monachi ... *Conc. Trid. Sess. 22. Cap. 1. de Ref.... De negoiatione, qua Clerici non interdicuntur, legatur Teophilus Reynaudus de Relig. negociat. et Gonzalez in Cap. 6.* Ne Clerici, vel Monachi §. *6.*

glorientur: hisce provocare improbos poterunt, his se ulcisci lacessiti, victoriam certe dicturi in Christi Nomine, in quo est salus.

XII. Nedum quaestus indecoros appetere, et pecuniae cupiditate, atque avaritiae sordibus inquinari, sed et quamlibet negotiationem gerere, eamque per alios etiam procurare prohibentur Clerici per Canones (1), ex quibus luculentissimas Constitutiones Benedictus XIV. et Clemens XIII. iterum edidere, ne diutius Ecclesiasticae dignitatis labes ex hac negociandi libidine percrebesceret (2). Iis porro ad omnem negotiandi occasionem a Clericis amovendam cautum cum primis est, ut si quae negotiatio ex haereditate, sive ex alia quapiam causa ad eos sit delata, eam dimittant, nisi legitima facultate a Sacra Congregatione Concilii donentur eam per Laicos prosequendi. Hinc procurare propinquorum patrimonia vetantur, quae negociatione sint implicata, nisi forte hujusce curationis ab iisdem gerendae necessitatem, commodumque Apostolica Sedes sua auctoritate probarit. Quod si ex Pontificis benignitate alicui Clerico quidpiam sit datum, quod certam quamdam negociationem induceret, non illud ceteris quoque liberum, ac fas esse censeatur (3). Imo in ipsa suorum bonorum administratione, tum in agrorum cultura, tum in fructuum venditione, aliisque in negotiis caveant Clerici, ne plus aequo duci se sinant quaestu, et lucro, neque exinde curarum, et sollicitudinum saecularium varietate distenti offensioni sint ceteris, suoque Ordini probrum, et ignominiam concilient. Atque hoc loci id memorati Pontifices speciatim decrevere, ut ***activum***, quod dicunt, ***cambium*** iis negotiationibus accenseatur, quibus Clerici interdicuntur. Id demum denunciamus, Sacram Congregationem Concilii de sententia exquirendam esse, ubi de re hujus generis dubitatio moveatur (4).

XIII. Huc spectant, quæ de curis, aut tutelis non suscipiendis (5) tum de non addicenda, commodandaque opera sua Saecularibus hominibus, statuta ex jure sunt. Plura in Clericos, qui mu-

(1) *Bened. XIV. Const.* Apostolicae Servitutis ... *Clem. XIII.* Litt. *Encyclicae*. Com primum *17. Sept. 1759...*, *Extant in App. par. 4. Num 2.*

(2) *De Negociatione enucleate cautum est in Decretis S. C. C. quae referuntur in App. Par. 4. Num. 3.*

(3) *Vid. Ben. XIV. de Syn. lib. 10. cap. 6. §. 3.*

(4) *Capit.* Ciprianus. *Caus. 21. Quaest.* 3. *Capit. final. distinct. 88.* ..... *S. C. Ep. in Verulana 15. Februar. 1647.*

(5) *Clem. XIII. Litt. encycl. cit.* §. Et parem ...... *S. Carolus in Conc. Prov. 1. part. 2. Tit. de Negotiat. saecular.* §. Neque parum.

neris immemores, quo eos dignatus est Deus, humilibus, abjectisque, et sacerdotali decore indignis officiis ancillari Laicis, et quandoque foeminis haud erubescunt, decrevit sanctissime Clemens XIII. atque ex ejus monitu Clericos vetamus quolibet nomine etiam gratuitum famulatum Laicis exhibere: imo nostrum assensum efflagitent ii quoque, qui in Laicorum aedes vel ad sacra facienda, vel ad adolescentium institutionem secedant.

XIV. Nemo insuper, qui ecclesiastico sit auctus beneficio, vel sacris initiatus, audeat causas ad saeculare Tribunal actitare, officiumque Procuratoris, vel Advocati ibidem sustinere, et Tabellionem, ac Notarium agere, nisi permissum scripto a nobis id sibi fuerit (1). Item adduci absque concessu nostro Clericus nequit in seculare judicium ad testimonium dicendum, examenque subeundum: ipsius autem jusjurandum, nonnisi a nobis, vel a Vicario nostro Generali, aut ab Ecclesiastico Viro per nos adlecto excipi posse, admonemus (2). Quod si de capitis poena, aut de membri abscissione metuendum foret, nedum opportuna facultas exquirenda est, sed et statae cautiones ad irregularitatis noxam amoliendam sunt apprime servandae (3). Abhorreret autem quam maxime abs Clericorum officio, sententiam capitalem ferre, vel scribere, vel dictare, nisi id postulet suscepti muneris ratio, vel attributa per Apostolicam Sedem auctoritas (4). Eadem ex causa medicinam facere vetantur Clerici (5), et si veniam a Pontifice sint assequuti, privilegium ad nos perferant, ut de ipsius conditionibus, earumque constanti, sanctaque observantia cognoscamus.

XV. Verum non haec dumtaxat, aliaque omnia sibi fugienda existiment Clerici, quae se a *coelesti*, cujus participes sunt, *vocatione* (6) vel minimum abducant, neque eos deceant, quos *Angelos Domini exercituum* nuncupat Malachias (7). *In charitate* insuper *non ficta* exhibere sese, *sicut Dei Ministros* (8), mandatum sibi meminerint ab Apo-

(1) *Can.* Quamquam. *Qu.* 2. *Can.* Clericis, Ne Clerici, vel Monachi... *Decret de Reform. Trib. sub Clem. XI.* 9. *Febr.* 1708.

(2) *Cap.* Testimonium 4. *Qu.* 1. *Vid. Nicol. voc.* Clericus. §. 35. ... *Plura apud Monacell. Tom.* 1. *Tit.* 6. *For.* 3.

(3) *Vid. Girald. in Jus. Eccl. Par.* 1. *sect.* 826. 827.

(4) *Cap.* Clerici 1. *de postulando*.

(5) *Cap.* Ad aures. *De aetate praeficiend. Vid. Monacell. Tom.* 1. *in Append. ad Formular. ubi extat Encyclic. S. C. Ep. de iis, quae Ecclesiasticum dedecent* §. 10. ... *Bened XIV. de Syn. lib.* 13. *cap.* 10. §. 5. 11. *et seq.*

(6) *Ad Hebr.* 3. 1.

(7) *Malach.* 2. 7.

(8) 2. *Corinth.* 6. 6.

stolo fuisse, sanctosque se esse oportere, *quia sanctus est Deus, qui separavit eos a ceteris populis, ut essent sui* (1). Frustra vero id consecuturos se esse autumarent, nisi studio orationis, religione, pietate, vitae innocentia, morumque candore contendant praefulgere. Certum itaque tempus, ut primum evigilant, dare studeant precationi, et contemplationi bonorum coelestium, locumque aliquem sibi ad commentandum adsciscant, cujus consideratione actiones omnes, veluti tacitae precationis sale, condiant, seque ipsos crebro subinde excutere consuescant, ne quid labis ex quotidiano mortalium rerum usu infeliciter contrahant; ignis quippe divini amoris exardescet in meditatione (2), neque alia certe ratione, teste Divo Bernardo, *rectum de divinis, humanisque rebus judicium ferre, affectus moderari, actus sapienter dirigere, totam denique vitam laudabiliter, sancteque componere addiscent* (3). *Orationi* primum, ac deinde *Ministerio verbi* instantes se esse debere protestabantur Apostoli (4); atque in aliorum curationem ita esse incumbendum, scribit S. Franciscus Xaverius, ut interea nostrae perfectioni, ac saluti quam diligentissime consulamus (5). Proderit vero summopere pium aliquem librum in dies singulos perlegere, ex quo uberius quisque possit divinarum disciplinarum praeceptis, institutisque abundare: Libros S. Francisci Salesii, S. Caroli Borromaei, et Thomae a Kempis, ac Ludovici a Ponte prae caeteris commendatos volumus. Extant praeclara Beati Alphonsi Ligorii commentariola, quibus luculentissime edocemur, qualem quisque se in horaria precatione, psalmisque, et in sacrificio Missae debeat praestare (6). Nos equidem ex S. Caroli monito Clericos ordinibus initiandos de hac etiam lectione referre adigemus (7).

XVI. Presbyteri singulis diebus ea, qua oportet, religione, atque sanctitate, procuratoque crebro per Poenitentiae sacramentum animo, divinum Sacrificium celebrent, neque id muneris, nisi ex gravi, justaque causa praepediti, intermittant(8). Horreant(9), quod abomi-

(1) *Levit.* 20. 24.

(2) *Psalm.* 38. 4.

(3) *De Considerat. lib.* 1. *cap.* 6.

(4) *Act. Apost.* 6. 4.

(5) *Epist. Paraenetica ad Gasparem Berzaeum, inter select. Epist. ex India lib.* 1.

(6) *Opus, cui titulus* „ La Messa strapazzata „ *aliud* „ L'Offizio strapazzato.

(7) *Conc. Prov.* 1. *Part.* 2. *Tit.* Libri a Clericis legendi.

(8) *Bened. XIV. de Sacrif. Missae lib.* 3. *cap.* 2. §. 10.

(9) *Vid. Conc. Trid. sess* 22. *in Decret. de observand. et vitand....Sup. Par.* 2. *cap.* 5. §. 20. 21.

nabilis simoniae facinus foret, eleemosynae desiderio potius, quam Eucharistici epuli amore ad Aram properare: caveant, ne fidem suam in rebus sacris temere obligent, vel (quod vitandum est maxime) specie pietatis quaestum captare videantur (1). Quod autem S. Augustinus Fideles singulos hortabatur (2), ut nimirum cunctis Dominicis, festisque diebus Sacramentis Poenitentiae, et Eucharistiae sese expiarent, hoc a Subdiaconis, et Diaconis, quibus jam sacra attrectare conceditur, omnino exquirimus. Clericos ceteros saltem decimoquinto quoque die rite, pieque id praestare discupimus. Cunctos vero ad pietatem erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum impensissime hortamur: adeant idcirco singuli quotidie Ecclesias ad illud venerandum: nullumque in virtutis semita praesidium agnoscentes posse firmius inveniri, quam Dei Matris, ejusdemque Virginis patrocinium, in ejus maxime clientelam, fidemque confugiant, eamque ad ipsius aras propitiare intenta, qua possunt maxime, supplicatione connitantur.

XVII. Ast ad componendos mores, atque ad animi perturbationes sedandas, ac praesertim ad retinendam constantiam salutarem nihil magis conferre, quam spiritualia, quae dicuntur, Exercitia, innumeris idcirco per Romanos Pontifices ditata indulgentiis, illustri experientia edocemur (3). Ea proinde cunctis e Clero etiam atque etiam commendamus: Parochos prae caeteris, et eos, qui excipiendis Confessionibus praeficiuntur, speciatim hortamur, ut biennio quoque saltem iisdem satagant sese expolire. Sciant vero, qui Chorali munere potiuntur, se ex Pontificum providentia quotannis exsolutos esse lege residendi per decem dies, quibus fructuosissimam Exercitiorum solitudinem sequuntur, dummodo nec tempore Adventus, et Quadragesimae iisdem vacent, nec tot uno tempore in eam secedant, ut Ecclesiae servitio minus decore satisfiat. Id sane ingentis lucri ex sanctissimo hoc Exercitiorum opere percensebunt, ut nimirum omnia sua dicta, facta, cogitata coram Deo quam diligentissime reputantes, annosque aeternos assidua consideratione habentes in mente, contra id vitium maxime pugnam capessant, quo se praecipue urgeri senserint, ac laborare, nec ante desistant, quam, Deo duce, debellatum illud animadvertant. Hinc amore rerum humanarum abjecto, intenta custodia sensuum, crebra cujuslibet omis-

(1) *Ex Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 14. *de Reform.... Bened. XIV. de Sacrif. Missae par* 4. *sect.* 2. §. 6.

(2) *Cap.* Quotidie, *Dist.* 2. *de Consecr.*

(3) *Extat in Append. par.* 4. *N.* 4. *Epist. encycl. S. C. C. de Spiritualibus Exercitiis edita Jussu Clementis XI.*

sionis confessione, jugi recordatione beneficiorum Dei, tum certe feliciori conatu solida jacient fundamenta humilitatis christianae, quae ceterarum est parens, custosque virtutum, summaque cura, quod maxime Ecclesiasticorum hominum est, observabunt, quidquid ad Christi gratiam vel tuendam, vel augendam quoquo modo intelligant pertinere.

XVIII. Ceterum cum omnes oporteat otium, ac desidiam, quasi pestem, vitare, id cum primis urgeant Clerici, ut studiis incumbant sacrarum, humanarumque disciplinarum. Veliternensium Antistites nihil certe antiquius habuerunt, nosque ipsi, quanta potuimus, maxima sollicitudine curavimus, ut Seminarium ad ipsorum institutionem pateret apparatissimum, quo iidem in spem Ecclesiae apprime informarentur. In eo religionis, ac bonarum artium domicilio ut Clerici universi Dioecesium nostrarum in optimam sese traderent disciplinam, vellemus, neque de suscepta studiorum ratione testimonia excipiemus, quae non sint ab Decurialibus Seminarii Doctoribus data, nisi quis forte ex nostro concessu alterum audierit Praeceptorem. Non perturbate, non praepropere, non cursim, non per saltum perdiscere quispiam speret: imo qui per imprudentiam id pertentarent, eos parere omnino legibus per nos editis volumus (1). Verum sacris praesertim institutis imbui se curent Clerici, quibus Catholica dogmata, jura canonum, disciplina morum, ecclesiastica historia, res lyturgica, sacra demum eloquia ad sanam doctrinam traduntur. Caveant vero in librorum delectu, ne in tanta errorum grassantium colluvie temere abducantur post Filios perditionis, quos undique narrare persentimus fabulationes, sed non ut lex Dei, cujus omne mandatum veritas (2). Abstineant *ab ineptis, et anilibus fabulis* (3), *a stultis, et sine disciplina quaestionibus* (4), *a genealogiis, et contentionibus* (5). Concilium Tridentinum, Catechismum Romanum, nostram hanc Synodum in promptu habeant, ut inde petant, quae et sibi usui sint futura, et ceteris pro muneris officio tradi debeant (6).

XIX. Confessores autem Theologiam morum intento studio, adsiduaque cura pervolvant, ac quod sibi a divinis officiis, atque ab Ecclesiae cultu superest temporis, eidem addicant. Statos in eum

(1) *Regole pel Seminario, e Collegio di Velletri. Roma presso Francesco Bourliè 1817.*

(2) *Psal. 118. 85.*

(3) *I. Timoth. 4. 7.*

(4) *II. Timoth. 2. 23.*

(5) *Ad Titum 3. 9.*

(6) *De Lectione librorum vid. sup. Par. 1, cap. 4. per tot. praesertim §. 12.*

finem congressus, coetusque hominum Ecclesiasticorum decreverat in Veliterna Synodo Cardinalis Cybo, eosque in quolibet Dioecesium nostrarum loco haberi mandamus ad eam normam, quam nostro de iisdem edicto designavimus (1). Conveniant certis diebus ex Concilii Romani auctoritate *omnes de Clero Sacris initiati, Canonici, Parochi, et Confessarii, Regulares etiam, dummodo morales in eorum Conventibus lectiones non habeantur, alias ab audiendis Confessionibus suspendendi* (2). Singuli sententiam de quaestione proposita scripto mandent, educaturque ex urna, qui eam recitet: ceteri etiam de re disputent, si lubet, donec concionis Praeses, qui Velitris erit Canonicus Theologus, et per Dioecesim Vicarius Foraneus loci, suam sententiam pronunciet, quam oppugnare ibidem, vel in dubitationem vocare fas erit nemini. Adsit, qui praesentium, et absentium nomina describat, quae una cum scriptis singulorum sententiis ad nos perferri jubemus. Absint ab hisce Congressionibus contentiones animorum, jurgia, schismata: unanimes sapiant omnes secundum scientiam, quae ex Deo est in charitate. Nemo dicentes interpellet: nemo risu, et scurrili dicacitate obstrepat alteri: liceat quidem suam cuique tueri sententiam, dissentientique respondere, et contra disserere, dum id sine contumelia fiat, tranquille, et in spiritu lenitatis. Eos, quos desides in hisce coetibus obeundis noverimus, ea, qua par est, mulcta plectemus, Benedicti XIV. praescriptis insistentes (3). In Beneficiorum petitione ex hoc etiam capite commendari volumus, qui ad ea discupiant adsciscì.

XIX. Clerici de quaestionibus lyturgicis eadem omnino lege, ac methodo respondeant. Spectatissimos se praebeant tum a clericali modestia, et ingenua docilitate, tum etiam ab observantia, per quam aetate, et sapientia, et honore, et dignitate antecedentes revereantur, et colant. Non ante vero dimittatur coetus, quam ad utiliorem Confessorum institutionem quaedam habeatur commentitiae Confessionis species, ut quae per sacramenti illius Ministrum fideli viro certa quaedam peccata, ac talem animae statum explicanti essent suggerenda, ad Theologiae praecepta discutiantur. Sua demum per Praesidem patefacta sententia de rebus exinde in consultationem deductis, silentium sit, nec alia in medium afferre fas erit.

XX. Cum vero *omnis Scriptura* ex Divi Pauli monito (4), *divinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne*

(1) *Append. par. 4. Num. 7.*
(2) *Con. Rom. Tit. 15. cap. 9.*
(3) *Ex ipsius Institut. 33. 102. 103.*
(4) *II. ad Timoth. 3.*

opus bonum instructus, et saepius proinde eamdem legendam inclamet Hieronymus, *imo numquam de nostris manibus sacram Lectionem esse deponendam, ut quod docemus, exinde discamus* (1), locum aliquem sacrarum Litterarum in singulis Congressibus designari volumus, quem diligenti, ac meditata commentatione in sequenti colloquio interpretetur, qui id sibi oneris imposuerit. Est tamen diligenter cavendum singulis, ne unquam in uberem hanc, divitemque sacrarum Scripturarum segetem sine praevio, et monstrante semitam duce ingredi se posse arbitrentur (2): sed *ad Sapientiorem accedant*, uti hortatur Chrysostomus (3), ad commendatissimos nimirum Interpretes, quos novimus, fidelem sermonem, qui secundum doctrinam est, fuisse amplexatos (4).

XXI. Postremo dimissa Concione, Parochi identidem subsistant, ut si quae habeant, de quibus nos, aut Vicarium Generalem, aut Vicarios Foraneos consulant ad utiliorem animorum curationem, vel de negotio quolibet in rei sacrae commodum, vel ad mala gliscentia amolienda felicius conciliando, collatis insimul consiliis, opportune prospiciatur. Quod quidem ut facilius assequamur, praeter binas Parochorum, et Confessorum Congregationes coram Vic.Gener. quotannis habendas (5) eos insimul convenire crebrius discuperemus, ut in consultationem accitis Canonico Theologo, et primoribus e Clero de Sacrorum tractatione, ac de gravioribus, quae subeant, negotiis adloqui insimul, et disserere, et quid consilii capiendum, decernere utiliter possint. *Lapis ad lapidem collisus scintillas exilire facit*: inquiebat S. Isidorus Pelusiota (6), *multo magis idem fit in animis, qui mutuo atteruntur, et igne spiritus concalescunt*.

XXII. Benediximus quidem Domino messis, qui eam Operariis hujusce Vineae inconfusibilibus (7) mentem injecit, ut in Coetum coalescerent ex fine sibi praestituto *Apostolorum* titulo insignem: quorum quidem ea praecipua sollicitudo est, ea instantia quotidiana, ut cuncta, quae a Clericorum ordinibus universis ad Fidelium utilitatem, et institutionem peragenda sunt, caste, religiose, et pro rerum sanctitate naviter procurentur. Saluberrimum hoc institutum nos certe opera, studiis, consiliis, et qua valemus, auctoritate commendare, tueri, augere, religioni nobis ducemus. Exinde enim confidimus, omnia, quae de Clericorum vita, et honestate proposui-

(1) *Ep. ad Nepotian.* §. *7.*
(2) *S. Hieron. Ep. ad Paulin.* §. *5.*
(3) *Tractat.* 17. *in Joann.* §. 1.
(4) *Ad Titum* 1. 9.
(5) *Sup. Part.* 2. *cap.* 6. §. *7.*
(6) *In Epist.*
(7) *II. Timoth.* 2. 15.

mus, apprime servatum iri ex pientissimis exemplis, luculentisque cohortationibus, quibus iidem et languentes incitare, et incensis ardentiores faces admovere non desinent. Contendant omnes ad hujusce disciplinae normam, et rerum sacrarum ordinationem, et se, vitam, moresque suos conformare: sint omnes docibiles Dei (1), gradusque, in quo sunt, sanctitatem ex Hieronymi cum primis (2), Chrysostomi (3), et Bernardi (4) scriptis meditantes attente, vereantur, tales sese quandoque exhibere, ut doleant boni, admirenturque ipsi Laici, non haec tantae dignitatis ornamenta ad bonam mentem, voluntatemque esse conversa.

CAPUT II.

DE CAPITULO CATHEDRALIS BASILICAE, ET DE CETERIS COLLEGIIS CANONICORUM.

Primum inter reliquos Sacrorum Ministros honoris locum tenent in Diaecesibus Canonici, quos Presbyteris suffectos scimus, Diaconisque illis, qui primaevis Ecclesiae saeculis divinarum rerum scientia, morumque integritate praeeminebant in Clero, et Episcpi Presbyterium, Coronam, Senatum constituebant (5). Hos porro Venerabiles Fratres, Pontificali throno adsidentes, quos nedum vitae laude, sed illustri etiam insignium, ac privilegiorum apparatu Ecclesiae nostrae Veliternae decus, et ornamentum cumulatissimum gratulantes compellamus, haud certe patiemur, ullum a nobis observantiae, benevolentiae, et studii officium desiderare, atque ut in eo, quo par est, honore habeantur ab omnibus, adnitemur solliciti. Verum et ipsi cum in altiorem locum sublatos se esse animadvertant, ut in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos conjiciant, e quibus sumant exemplumvivendi (6) curent, non muneris solum, sed religionis etiam, atque

(1) *Eccl. 1.*

(2) *Ep. ad Nepotianum.*

(3) *Lib. de Sacerdotio.*

(4) *In Libris de Consideratione.*

(5) *Vid. Bened.XIV. de Syn. lib.13. cap.1. §. 4. 7. 9. ... Thomassinus de discipl. Eccl. Par. 1. lib. 3. cap. 3. et 10. §. 6. ... Celebris est Alexandri III. decret. Ep. ad Patriarch. Hierosolymit. quae habetur cap.* Novit. *De his, quae fiant a Praelatis ... Canonici ab* Canone, *seu* Matricula *Ecclesiae, cujus sumptu alebantur, nomen hausere: opera Credog ngi Episcopi Metensis primo communem vitam, et ex certa quadam regula susceperunt. Holstenius Cod. Regular. Tom. 2. pag 96. Edit. Aug. Vindel. 1759.*

(6) *Conc. Trid. Sess. 14. De Reform. in proem.*

pietatis, scientiaeque praestantia prae ceteris effulgere. Frustra quippe dignitatem ab ipsis jactari, moneret Hieronymus, cujus opera non exhiberi ab iisdem conspicerentur (1). Studeant itaque ea religiose praestare, quae de ipsorum officiis decernere hoc capite visum est, ne populi, qui ad sacra frequentanda, sancteque colenda excitari eorum exemplo deberent, atque accendi, mirentur potius eorumdem vitam cum nomine, quo nobilitantur, non congruere, eosque a Canonum, legumque sanctiorum regula infeliciter aberrare.

I. Munus itaque pensitantes, ad quod sunt adsciti, offerendi publice Deo *hostiam laudis, idest fructum labiorum confitentium nomini ejus* (2), mente supplici ad illud accedant, bonisque, et sanctis cogitationibus praeparata, illudque ex praescripta disciplina recte, attente, ac pie persolvant, ne facientes opus Dei negligenter sint maledicti (3). Caveant idcirco, ne animum afferant distentum varietate curarum saecularium, aut ex nugis diffluentem, vel ludicris actibus, sermonibusque obtusum, et hebetem ad divina. Pudeat homines, quos lucere omnibus oportet, qui in domo sunt (4), in vita, in moribus, in sermone, in vestitu, in habitu ipso oris, atque vultus non grave aliquid, non moderatum, non religione pleuum, sed leve, dissolutum, molle, flagitiosum praeseferre, adeo ut pietatis, religionisque oleum eos aliquando deficiat, cujus causa suorum egregie factorum lampades extinguantur.

II. Horis igitur in certam temporum partitionem accuratissime servandam praefinitis jubemus, ut edito campanis signo, conveniant omnes, qui adesse divinis Officiis debent, vestitusque, et insignia sui Ordinis per silentium, ac modestiam assumant, aliam veluti induentes personam, ut ex ipsa indumentorum ratione nihil agere se posse, aut cogitare dignoscant, quod alienum ab eo et loco, et negotio sit. Habeantur, uti absentes, qui non iisdem ornati sacra gerere audeant munia (5). Ex decreto autem Sacrae Congregationis Rituum interdictum est, Rochettum dumtaxat gestare, cum quis sacrorum curationi vacat: adhibendum quippe insimul est superpelliceum (6). Ocreatos prodire in Chorum, chirothecis ibidem manus induere, vel eas in pelliceam manicam inserere, flores, flabella, aliaque abs rei, et personae, quam gerunt, gravitate ab-

(1) *In Ep. ad. Nepot.*
(2) *Ad Hebr. 13. 15.*
(3) *Jerem. 48. 10.*
(4) *Math. 5. 15.*
(5) *S. R. C. in Lunen. Sarzanen. 3. Mart. 1633.*
(6) *S.R.C. 12. Jul. 1628.*

horrentia adhibere, item turpes sordibus, lutulentos, vestibusque scissis, et obsoletis absque decenti corporis munditia ad Divina apparere indecorum foret, atque in Ordinis, Sacrorumque contemptionem redundaret. *Vestes pullas*, dicimus cum Hieronymo, *aeque devita, ut candidas: ornatus, ut sordes pari modo fugiendi sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet* (1). Esset vero ex Ordinis, functionumque splendore, ac majestate, binos, et binos specie quadam supplicationis diebus saltem festis in Chorum procedere (2).

III. In Choro autem almae Sionis memores, cujus se aemulos esse sciant, alterna modulatione Psalmos, Hymnosque concinant cum ceteris, quasi coelestes illi Seraphim, quos clamare alter ad alterum audivit Isaias (3). *Canonici* enim ex Benedicti XIV. Constitutione *Choro quidem interessentes, assistentesque, minime vero canentes, psallentesque, nullo pacto ex praebendis, ac distributionibus facerent fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxii essent* (4). Id vero cum primis curent, qui recitandis in Choro Horis canonicis addicuntur, ut nedum rei, quam agunt, animum intendant, sed ipsa etiam psallendi, recitandive ratione ceteros ad pietatem alliciant, nihilque ab officii majestate absonum committant. Caveant proinde ab indecora quadam festinatione, quae ipsius sacri muneris despectum portenderet, neque putido properandi studio ita ferantur, ut vorare cursim, atque involvere, et veluti glomerare verba videantur: verum explicate, distincte, et suetis cum verborum interpunctis recitatio fiat. Subsistant cuncti, ubi *Asteriscum*, quem dicunt, conspiciant, neque nisi expleto a ceteris versu, alterum ipsi decantent (5). Praefectum Chori in id sollicite excubare prae ceteris jubemus, eosque poena absentum omnino mulctare, quos ea in re peccare, vel dormire, oscitare, ridere, jocari, epistolas perlegere, colloquia serere, circulare, vagari, licentiusque versari in Choro, aut aliud quidpiam contra disciplinae rationem facere animadvertent (6).

(1) *Ep. 1. ad Nepotian.*

(2) *Coerem. Ep, et S. R. C. in Vicentin. 16. Jun. 1628., et S. C. C. in Salernitana* Edictorum *27. Sept. 1731.*

(3) *Isai. 6. 23.*

(4) *Bened. XIV. Litt. in form. Brevis* Praeclara decora. *§.8. extat in Bullar. Tom. 3. in suppl. Num. 4.*

(5) *Legantur Litterae Encycl. S. C. Ep. editae an.1703. ad Ep. Ital. jussu Clem. XI. §. 9.... Conc. Basileen. Sess. 12. Tit.* Quomodo Officium Div. *§.1. ... cap.* Dolentes. *De Celebr. Miss... Bellarm. Controv. lib. 1. De bonis operibus in particular. cap. 18.*

(6) *S. Carol. In Conc. Provinc. Med. II. part. 2. cap. 53.... Persicus De Horis can. cap. 4. dub. 3. vid. Bened. XIV. Instit. 107. §. 25. seq.*

IV. Sit Chorus acies quaedam ordinata ex miro actionum concentu, quibus et stare, et sedere, et surgere, et flectere genua, et caput aperire, illudque submittere, aliaque id genus praestare conspiciantur insimul universi. Quod quidem peragi decenter, apte, atque ordine suspiciemus, si cuncti earum actionum tempora noverint, et Praesidi Chori, ac Caeremoniarum Magistro dociles pareant, nihilque magis ad contemplationem, desideriumque rerum coelestium animos intuentium commovere considerent, quam religiosum, aptumque splendorem, et apparatum, qui sacris rebus adhibetur.

V. Canonicae Horae omnes in Choro Basilicae nostrae Cathedralis quotidie praestituto ritu recitentur, Sacrumque solemne ibidem fiat, adstante Capitulo: neque eas intermitti unquam fas sit, sed si justa causa occurrat, qua eaedem praepediantur, tempus potius, ac Ministrorum numerum contrahi, immutarique sinemus(1). Officium vero Beatae Mariae Virginis, ac Defunctorum, itemque Psalmi Poenitentiae, et Graduum recitentur diebus, quibus ex Chori disciplina statutum est (2). Capitula vero Collegiatarum, quae in Dioecesi sunt, leges teneant, quibus sua cuique onera sunt designata.

VI. Adsint autem Choro universi, qui eidem addicti sunt, ac nisi justa causa distineantur, culpa se pro negligentiae ratione carere non arbitrentur, si adire illum statis horis omiserint (3). Mulctari eos insuper oportebit juxta absentiae diuturnitatem, qua quidem in poena repetenda nullum locum habere decrevit Tridentina Synodus *collusiones, remissiones, vel cujusque modi pacta* (4), immo neque a Capitulo, neque ab Episcopis amissas jure distributiones condonari posse, cautum lege est (5).

VII. Quo circa singula Canonicorum Collegia adsciscant quotannis unum, seu potius binos ex suo Ordine, qui *Punctatoris*, quod olim *Obedientialis* nuncupabant, munus habeant, viros fide maxima, et integritate commendatos, qui Sacramenti religione injecta pol-

(1) *Can. ult. dist. 92.... Cap. 1. De Celebr. Miss.... Clem. 1. eod. tit. S. Thom. Ep. 19.*

(2) *S. Pius V. Const.* Ex proximo Lateranensi. *Legatur Suarez De Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 13. §. 13... Persicus de Hor. Can. cap. 3. dub. 7.*

(3) *Ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 2. Sess. 22. cap. 3.... Sess. 23. cap. 1.... S. C. C. in Isclana:* Reductionis Missar. et observ. Chori *5. Sept. 1693.*

(4) *Ex Con. Trid. Sess. 24. cap. 12. De Reform.*

(5) *Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. De Horis Can. cap. 10. §. 20. ... S.C.C. Tarracinen. 13. Jan. 1624. Vid. Ben. XIV. Inst. 107. §. 42. seq.*

liceantur, se ex Canonum jure, tum ex Collegii institutis, tum ex peculiarium Synodorum, atque ex Antistitum praescriptis, delato officio caste, rite, accurateque perfuncturos esse, nullo studio, nullaque affectione animi permotos (1). Seduli ergo eorum nomina in Librum referant, qui debitam divinis Officiis operam non dederint, vel contra Chori disciplinam deliquerint. Debent quippe cogitare primum, quanta se poena a Deo maneat, de cujus honore scilicet, et cultu eorum culpa multum detrahitur: deinde *teneri se pro pretermissae, omissaeque cujuslibet notae, aut punctationis ratione de suo tantumdem dare, quod ad Ecclesiae usum convertatur*: quam Sancti Caroli Borromaei sententiam in suis Conciliis Provincialibus perlatam Theologi veram agnoscunt, et tradunt (2). Quod si quis injuste se notatum censeat a Chori Praeside, vel a Canonico Punctatore, causam apud nos dicat; minime vero admovere manus libro, notasque ipse per se audeat inducere. Gravibus quippe coercebimus poenis, si quem id commisisse noverimus (3).

VIII. Haec autem a Punctatore servanda sunt. Integro unius diei servitio undecim puncta respondeant: duo scilicet pro Matutino, et Laudibus, duo pro Sacro solemni, duo pro Vesperis, unum pro singulis ex ceteris Horis. Si plura sint Sacra, bina pariter pro eorum quolibet sint puncta, uti et pro Completorio in Quadragesima cautum per Constitutiones est (4). Haec de feriatis diebus: de festis vero, aliisque per Collegii leges praefinitis diebus duplex censeatur punctorum numerus, ac si quae de iis describendis constituta conditio sit, ea diligenter servetur. Mulctandi autem erunt, qui ad Matutinum post Versiculum *Gloria* tertii Responsorii primi Nocturni, seu post tertium Psalmum in Officio Feriae, et Dominicae, et ad alias Horas post primum Psalmum venerint; item qui Missae non ante postremum *Kyrie Eleyson* adfuerint: item qui e Choro discedant ante perlectum postremum Evangelium, vel ante recitatam orationem alicujus Horae, distributionem Missae, et illius Horae amittant. Item et qui licet operaturi sint ad Altare, privatim ta-

(1) *Petrus Moretti in op. De Ritu dandi Presbyterium Part. 1. Sect. 5. §. 3. . . . S. Carol. in Conc. Provinc. Med. IV. part. 2. Refert. in App. par. 4. N. 1. §. 5. Juram. a Punctat. ferendum. Vid. Bened. XIV. De Syn. lib. 4. cap. 4.*

(2) *Vid. Ben. XIV. Inst. 107. qua late, luculentissimeque de Chori, et Capituli disciplina disseritur.*

(3) *Plures Synodi.*

(4) *Haec punctorum distributio fere ex integro desumpta est ex D. Caroli mandatis in Conc. Prov. 1. part. 2. Tit.* Quando ad divina Officia. §. Si quis venerit . . . . *Late Bened. XIV. Instit. cit.*

men Officium recitent, nec communi Officio, uti par esset, cum ceteris dent operam, absentibus accenseantur pro illa hora, qua psallere alternis vicibus omiserunt. Plura de his singillatim in Collegii Constitutiones relata sunt, quas rite ad rerum, ac temporum rationes accommodatas nostra auctoritate firmavimus (1).

IX. Verum ex Ecclesiae indulgentia certae, quaedam causae sunt, quibus impune quis potest abesse Choro, *infirmitas* nimirum, seu *justa, et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas* (2). Servanda tamen religiosissime erunt, quae ad hasce causas admittendas Sacrarum Congregationum Decretis, nostrorumque Praecessorum placitis sancita sunt. Hinc valetudinis excusatio iis probetur dumtaxat, qui ea se ita adversa usos ex Medici testimonio demonstrent, ut cessare a Choro sibi necesse fuerit: immo ex Benedicti XIV. testimonio *quotidianae distributiones ita demum Canonico aegroto deberentur, si alias Ecclesiae solitus erat inservire, cujus justificatio remittitur conscientiae Episcopi* (3).

X. Ex evidenti autem Ecclesiae utilitate excusati a Choro sunt, Archipresbyter, qui excipiendis Fidelium Confessionibus, vel aliis quibuslibet officii sui partibus obeundis vacet (4); Canonicus Poenitentiarius, qui criminibus Poenitentium expiandis distineatur (5); Canonicus Theologus, qui diebus, quibus de Sacris Litteris disserere debet, operam navet ad diligentiorem argumenti tractationem (6); Canonici, qui Antistiti episcopalia munera in Civitate operanti assistant (7); tum qui in piam domum ad spiritualium Exercitiorum solitudinem non ex poena sibi irrogata, sed ultro, ac sponte nostra cum venia secesserint (8); qui demum Collegii negotiis curandis praesto

(1) *Post latas a Praesule Alterio Visitatore Dioecesis Veliternae, qui postea per omnes honorum gradus ad Summum Pontificatum evectus est, Capituli Veliterni constitutiones, novus earum Codex nostro iussu anno superiori per Primores e Canonicis compositus, et editus est.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 12. De Ref.*

(3) *S.C.C. in Mantuana 6. Februarii ann. 1627. Legat. Bened. XIV. cit. Inst. 107. §. 45. et seq.*

(4) *Conc. Trid. Sess. 22. cap. 3. De Reform.... S. C. C. in una Mediolanen. 3. Febr. 1619.... Tortonen. 19. Sept. 1643.*

(5) *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 8. De Refor.... Barbosa comm. in loc. citat. Conc. Trid §. 28.*

(6) *S.C.C. in una Mediolanen. 1589. In Limana die 28. Jun. Vid. sup. Par. 1. cap. 8. §. 4.*

(7) *S. C. C. Licien. 17. Aug. 1641. Late Bened. XIV. Inst. cit. §. 7. et seq.*

(8) *Sup cap. 1. §. 14. Ex Litt. Encycl. S. C. C. quae extant in App. par. 4. Num 3.*

sint (1). Alias praeterea absentiae causas admitti, nisi cognitas antea a nobis, probatasque, vetamus omnino: Nostrarum quippe est partium, si quis ob Collegii negotia alio movetur, *examinare, an causa negotiorum vere subsit, et quascumque collusiones, et illicitas remissiones inter Canonicos prohibere* (2). Quare id speciatim notatum volumus, distributiones ab illo amitti, qui tempore divinorum Officiorum vel privatim sacrificet, nisi Chori Praefecto annuente fuerit ab Sacrarii Praeside ex Ecclesiae necessitate exquisitus (3), vel Confessionibus audiendis se dedat, nisi forte ex iis sit, quos in Fidelium bonum, commodumque ea de causa nominatim designaverimus (4).

XI. Nolumus vero eam irrogare injuriam iis, qui in Canonicorum Collegia sunt adsciti, ut eos arbitremur, veluti mercenarios quoslibet, poenae dumtaxat formidine, et ex lucri amittendi metu ad Sacra sedulos, navosque properare, nihilque de Dei gloria fovenda, ipsiusque laudibus pietatis causa concinendis, ac de Indulgentiis exinde conquirendis sollicitos, ea solum urgere, quae terreno quaestu commendentur. Turpe quidem hoc foret, et abs religionis studio maxime alienum, et Ecclesiae Ministro, qui Dominum unice suam sortem adlegit, plane indignum. Eos tamen haud diffitemur tali nota merito insimulatum iri, quos ab Officiis Beatae Mariae Virginis, et Defunctorum, Psalmorumque Poenitentiae, aut Graduum recitatione abstinere conspiciamus, quod nulla in eos, qui per id temporis absint a Choro, sit poena constituta.

XII. Vacare tamen a Choro certo per annum tempore liberum erit Canonicis, Beneficiariisque juxta probata Collegii instituta (5), quin ullam patiantur ex distributionibus jacturam, dummodo nec per Dominici Adventus, et Quadragesimae spatium, nec per *principaliores anni Festivitates* a Sacra Congregatione Concilii praescriptas absentia eorumdem non contingat (6). Curent vero, ne legitima hac vacatione utantur plures insimul, ac par sit, ne scilicet Sacrorum curatio, et Officiorum decus ex Ministrorum absentia detrimentum capiat. Qua de re licet quae pars debeat Choro interesse, decernendum per Nos foret, ea tamen est opinio, quam de nostro Canonicorum Collegio suscepimus sane praeclaram, ut probe scientes,

(1) *S. C. C. in Panormitana 1583. in Hispalen. 1598.... Bened. XIV. Instit. 107. §. 54.*

(2) *S.C.C. in Segobien. 1589.*

(3) *S. C. C. in Reatina 15. Martii 1692. Bened. XIV. loc. cit. §. 74. seq.*

(4) *S. C. C. in Lucana 10. Martii 1635.*

(5) *Const. Cap. Cathedr. Velit. editae ab R. P. D. Alterio Visit. Apostol. 1636.*

(6) S.C.C. *in Auximan. 12. Jul. 1631.*

quoniam et super id, quod dicimus, facient (1), ab lege edenda in praesens abstineamus, id deinceps praefiniituri, si quem abusum fortassis adversus testatissimam hanc disciplinam noverimus invalescere. Vetamus certe, quemquam e Clero, ac si ex aliquo Capitulo sit, ne per tempus quidem vacationum, e Dioecesi discedere, nisi potestas ipsis a Nobis facta fuerit (2).

XIII. Hic porro iterum singulos, qui Choro addicuntur, hortamur, atque per eum, quem tenent, locum sanctitatis, ac decoris obtestamur, ut universas de Chori disciplina leges, quas rite, accurateque conquisitas tradimus in Appendice (3), pie, sancteque custodiant, suscepti officii majestatem referentes pro dignitate. Adnitantur singuli, Gregoriani cantus modos perdiscere (4), ut admixta gravitati suavitate concentus audientium mentes ad religionem commoveantur, ac vere Dei laudes in voce exultationis concinantur, et in jubilatione. Hinc et coeremonias, et ritus, cunctaque ad sacrarum functionum apparatum, majestatemque Ecclesiasticis legibus praefinita noscere perstudiose, atque pro necessitate religiose exequi satagant, neque a sacrificando sollemni ritu, quando sui muneris id sit, abstineant (5). Adsistant semper Canonici Episcopo sacra, supplicationes, aliaque divina Officia ritu pontificali curanti (6).

XIV. Hic demum iterum impense commendamus, ut etiam in ceterorum aedificationem lectioni sacrae Scripturae per Canonicum Theologum habendae, nec non concionibus Quadragesimae, et Adventus tempore adsint frequentissimi (7). Item Canonicum Poenitentiarium de suo munere pie, humanissime, et summa charitatis significatione exequendo urgemus solliciti (8). Officium suum desiderari a nemine patiatur, sed etsi non accitus sit, tamen adstet in sua sede matutinis praesertim horis: sciat vero, se distributiones amittere, si qua hora in Chorum convenere Sodales, otio-

(1) *Ad Philemon.* 21.

(2) *S. C. C. die* 9. *Maji* 1625.

(3) *App. Par.* 4. *Num.* 5.

(4) *Ex fol. distribut. in S. C. C. in Murana die* 19. *Nov.* 1735.... *Synod. Velit. Card. Cybo Tit.* 27. §. 3.

(5) *Ex Conc. Trid. Sess.* 22. *cap.* 4. *De Ref.* ... *De Missa Conventuali, ejusque applicatione extat Constit. Bened. XIV.* Cum semper, *relata in Append. par.* 4. *Num.* 6.

(6) *S. R. C. in Brundisina* 15. *Jul.* 1617. *Legat. Bened. XIV. Inst.* 107. §. 57. *et. seq.*

(7) *Vid. sup. Part.* 1. *cap.* 7. §. 19. *cap.* 8. §. 6.

(8) *De facultate, qua pollet Can. Poenit. ex muneris ratione, audiendi Confession. legit. sup. part.* 2. *cap.* 6. §. 1. *ex Conc. Trid. Sess.* 23. *cap.* 15. *de Ref.*

sus ipse vacet in sua sede, aut faciendo Sacrum, vel privatim recitando Officium interea temporis det operam (1),

XV. Notatum hic volumus de iis, qui post adsiduum annorum quadraginta servitium ab Sacrà Congregatione Concilii rescripto *Jubilationis* donantur (2), eos cunctas beneficii distributiones, redditusque percipere, quin ulla residentiae lege tum pro Officio persolvendo, tum pro Conventuali Missa celebranda adstringantur. Sciant vero cogi eos posse ad Chorum, si viribus polleant, quoties ex ipsorùm absentia servitium Ecclesiae detrimentum pateretur (3). Iidem licet ab Urbe discedant, fruantur distributionibus ad justa aliqua funebria, aut ad alias functiones adsignatis, nisi forte legati auctor nominatim jusserit, eas dividi inter praesentes tantum (4): tunc enim iisdem carerent, uti et eas amittunt, quae sunt ex functionibus, quae extra ordinem fiant, et identidem casu eveniant, qualia forent funera, parentalia, solemnis precatio, aliaque id genus (5). Monemus denique, eos quoque, quibus adjutor datus sit, ab lege residendi non eximi, neque absque peculiari Sanctae Sedis privilegio eos posse a loco decedere, ubi Canonicatu, vel alio Beneficio chorali fruuntur.

XVI. Spectat et illud ad Canonicorum, ac Beneficiariorum partes, Ecclesiae, praebendarumve patrimonium sibi concreditum sartum tectum conservare, ipsiusque jura vindicare, eaque sollicitudine illud procurare, quae ab industrio Patrefamilias esset expectanda. Hinc eorum erit, aptam agris adhibere culturam, aedium tuitionem urgere, redditibus augendis advigilare, cunctaque in Capitulum referre, ut quae utiliora dignoscantur, communi suffragio decerni possint. Haec Quaestori, seu Curatori Collegii in annos singulos designando summopere commendamus, ne praeter ingentia,

(1) *S. C. C. in Fossanen. 28. Sept. 1637. ad 4. Vid. Nicol. V.* Poenitentia *§. 1 in fin. ... Crispin. de Visit. Past. part 2. §. 1. et 2. imo ex ejusdem Antistitis Crispini testimonio jus est Episcopo quosdam dies ad hoc designare. Garzias de Benef. par. 5. cap. 4. §. 124. ... Bened. XIV. Instit. 107. §. 55. Item Conc. Trid. Sess. 24. cap. 8. de Ref. ... Conc. Rom. Tit. 32. cap. 4.*

(2) *S. C. C. ad dub.* Jubilation. *12. Sept 1717. et 17. Dec. 1718. Aquipendien.* Jubilation. *27. Maji 1697. ad 1. Vid. Bened. XIV. de Syn. lib. 13. cap. 9. § 15.*

(3) *S. C. C. in Rom.* Jubilat. *6. Aug. 1712. ... Sabinen. 2. Oct. 1717. ... Constantien. 4. Maji 1737.*

(4) *S. C. C. Novarien 29. Novemb. 1681. ... Lunen. 30. Dec. 1684. ad 1. Patavin. 9. Jun. 1714.*

(5) *S. C. C. Aquipendien. 1. April. 1719.*

quae Ecclesia nostra ex temporum acerbitate passa est, detrimenta, majora adhuc sustineat ex eorum vitio, socordiaque, qui pro ipsius incolumitate excubare ab juramenti etiam religione adstringerentur (1).

XVII. Hoc autem loci id decernere, omnium consensione visum est, ut praebendarum redditus non ita in singulos distribuantur, ut iis dumtaxat sint attribuendi, qui constituta partitionis die iisdem potiuntur, adeo ut si quis forte pridie decesserit, nihil exinde in Beneficiarii, qui per annum in officio adlaboraverat, commodum vertatur. Bene vero in Collegiis quibusvis Canonicorum illud in posterum juris sit, ut fructuum partitio in dies, quibus quisque ab postrema partitione operam Ecclesiae navavit, accurate conficiatur, eamque idcirco portionem singuli assequantur, quae pro servitii per id temporis peracti diuturnitate aestimetur.

XVIII. Caeterum tum ad Collegii disciplinam custodiendam, tum ad bonorum curationem ordinandam conferet summopere, haberi Capitulum in quolibet Mense, vel crebrius, si illius cogendi extra ordinem occurrat causa, dummodo ad id festi dies, atque horae divinis Officiis praestitutae non adlegantur (2). Perstet immutabile, quod ex institutis, ac more majorum invaluit, jus habendi, cogendique Capituli, quod scripto denunciabitur pridie constitutae diei singulis, quibus locus in eo est (3). Nemo Canonicorum sine justa causa abnuat in illud accedere; sed quisque ad consultandum de communibus rebus accitus, habitum choralem gestans adveniat (4), ac religioni sibi habeat sententiam de relatis negotiis libere, modeste, graviterque explicare, ea unice revolvens animo, quae ad Dei gloriam, et in Ecclesiae suae commodum cessura esse cognoscat. Turpe esset, et homine ingenuo, liberaliterque educato indignum, loquentibus ceteris obstrepere, rixari, jurgio, maledicto, contumelia contendere: sed concordia, pax, charitas praefulgeant unice, quibus in tutius et animorum, et rerum bonum apprime consulitur. Si quid negotii in deliberationem deducatur, quod vel aliquem ex Canonicis, vel propinquos Canonici ad secundum usque gradum attingat (5), ipse, cujus intererit,

(1) *Videantur formulae jurament. in Append. par. 4. num. 1. §. 1. 6.*

(2) *S. C. C. in Meliten. 1602. In Andrianen. 1622. In Oriolen. 27. Mar. 1632. ad 11.... Id vero cautum est in Constitut. Basil. Cathedr. Velitern. quibus consonant plures Synodi. Legat. etiam Bened. XIV. Inst. 107. §. 73.*

(3) *Ex pluribus Synodis.*

(4) *Ne integrum quidem Capitulum hanc de habitu legem dispensare potest. Barbosa de Canon. cap. 36. §. 1.*

(5) *Syn. Velit. sub Card. Cybo Tit.*

egrediatur e Capitulo, ut liberius sententia a ceteris pronuncietur. Silentio celentur, quae in Capitulo pertractata sunt, ac praesertim quae ab singulis prolatae fuerunt sententiae. Ab eodem arcendos decernemus, qui temere hanc silentii pernecessariam legem violarint (1).

XIX. Deliberetur in Capitulo de negotiis quibuslibet gravioris momenti ex suffragiis per majorem Capituli partem occulte delatis (2), atque irritum prorsus, et inane sit, quidquid non ita decretum erit (3). Qui sacris Ordinibus non sunt initiati, jure suffragii carent ex Tridentini Concili decreto (4). Eadem ratione designentur in annum, qui Capituli munera sustineant (5): liberum autem sit eos prorogari, ubi legitima causa id postulet. Repudiare absque ratione per Capitulum probanda officium sibi collatum, liceat nemini: abnuentes mulctam scutorum decem in Sacrarii usum addicendam sustinere cogantur: nulla ad eam poenam moderandam Ordini Canonicorum auctoritas tributa est (6).

XX. Adsciscatur quotannis alter ex Ordine, qui sit eidem ab Actis, et Epistolis, litterasque proinde, testimonia, aliaque, uti opus sit, nomine Collegii edat, necnon singula ejusdem acta, et quae decreta, constitutaque sunt, referat in Codicem diligentissime asservandum (7). Signum Ordinis duplici clavi custodiatur, quarum alteram penes se habeat, qui a secretis est, alteram Collegii Camerarius. Litterae inscriptae Capitulo coram ipso resignentur, leganturque: idque et de responsis, quae danda erunt, constitutum est.

XXI. Cum autem summopere intersit ad rei et publicae, et privatae incolumitatem, Tabularia, seu Archiva, quae et *Scrinia* quandoque sunt nuncupata (8), rite ordinari, ac diligentissime custodi-

27. §. *13.... S.C.C. Paderbonen. 9. Aug. 1704. Barbos de Can. cap.* 35. §. *8. Vid. Syn. Fulginat. R. P. D. Baptist. cap.* 3. §. *28.*

(1) *S. C. Ep. 3. Maji 1751.*

(2) *S. Carolus Conc. IV. Mediol. par. 2. tit.* Quae pertinent ad Capit. § Cum de rebus ... *Syn. Card. Cybo tit. 27. §. 7. Can* Cum in cunctis *de his, quae fiunt a majori part. Omnium vero consensione decernenda sunt, quae Canonicos, uti singulos, pertingunt. Cap. fin. De majoritate, et obed. Cl. V.* Noluerint. *Fagnan. in cit. cap.* Cum in cunctis. *§. 8.*

(3) *Ex Conc. Trid. Sess 25. cap. 6. de Reform. Vid. R. P. D. Crispin. de Visit. Past. par. 2. §. 30.*

(4) *Sess. 22. cap. 4. de Reform.*

(5) *Syn. Cybo Tit. 27. § 9.*

(6) *Ex Constitut. Capit. Veliternen.*

(7) *S. C. C. in Verulana 25. Jan. 1744. Vid. Monacell. Tom. 1. Tit. 5. Form. 2. §. 34.*

(8) *S. Bonifac. 1. P. Ep. 4. §. 2.... S. Coelestinus 1. P. Ep. 4. §. 5.*

ri, non de nostra Basilica Cathedrali dumtaxat, sed de Ecclesiis quibuslibet cautum districte volumus, ut juxta Concilii Romani praescriptum Tabularia disposita, constitutaque sint, *scripturis omnibus ad easdem pertinentibus ibidem compulsatis, recensitis, et summatis cum suo Indice seu Cathalogo ..... ne Scripturae per manus oberrantes deperdantur, vel iniqua usurpantium cupidine rapiantur, et occultentur. Si cui vero Ecclesiae, vel pio loco proprii non suppetant instituendi vires Archivi, a singulis in Episcopali Archivo constituatur Armarium, in quo Libri, et Scripturae omnes suo ordine reponantur* (1). Nos quidem de Tabulariorum tuitione perquam solliciti decernimus, uti et in Nostris Ferrariensi, ac Praenestina Synodis sancivimus (2), excommunicatione latae sententiae irretiri, tum qui sine nostro, vel Vicarii Generalis assensu monumenta, quamvis in privatum commodum, e Capitulari Tabulario extra Capitulares aedes tsanstulerit, tum qui scripta, tabulas, aliaque ex Ecclesiarum Tabulariis deprompta dolose occultare, avertere, supprimere, immutare, abradere, seu aliquo pacto corrumpere auserit. Item excommunicationis ictu perculsos se noverint, quotquot tabulas, monumentaque Ecclesiarum in teterrima rerum conversione deperdita penes se teneant. nisi ea infra triginta dies ab edita Synodo iis, quorum interest, reddiderint. Canonicus Tabularii Praefectus in annos singulos eligendus claves ipsius diligens custodiat, idque sedulo, assidueque urgeat, ne quid detrimenti capiant monumenta ibidem extantia, vel ex loci natura, vel ex alterius cujuspiam vitio: legem de non asportandis exinde Tabulis sancte exequatur, ac si quid ex Capituli consensione exscribendum sit, adstet ipse, neque alibi, quam in ipso Archivo, aut alio Capituli loco exemplum depromi patiatur. Canonici, ac Beneficiarii in Archivum deferant, si quas tabulas, scripta, monumentaque alia ad praebendarum, quibus potiuntur, jura, rationesque pertinentia penes se habeant, vel sint deinceps assecuturi. Haeredes demum Clerici, qui sacerdotio, praebendave fruebatur, deferant et ipsi in Archivum Ecclesiae illius, vel si illud desit, in Episcopale Archivum, quidquid scriptorum, monumentorumque nanciscantur, quod ad Ecclesiam, praebendamque pertineat, nullumque pretium exinde paciscantur, exigantque, etiamsi de sumptibus constet, quibus Defunctus ea collegit, comparavitque, nisi forte ex peculiaribus rei adjunctis decernendum aliter cen-

(1) *Conc. Rom tit. 12. cap. 6.* §. *17. Syn. Praen. part. 4. cap. 3.*
(2) *Syn. Ferrarien. par. 4. cap. 2.* §. *31.*

seamus. Inobedientes excommunicatione, aliisque poenis compellemus.

XXII. Caput de Canonicorum ordine absolvimus, eos iterum affectu impensissimo admonentes, ne cum sint angulares lapides, quibus Veliternensis Ecclesiae Sanctuarium consistit, dimotos sese loco, disjunctosve oculis intuentium exhibeant: sed ea potius doctrina praefulgeant, eo virtutis studio, ea in divinis rebus curandis animi, totiusque corporis gravitate, ut vel qui ex adverso sunt, gravem, severam, sanctamque disciplinam florere in ipsis, admirentur. Eo autem, quo par est, honore, atque observantiae significationibus eosdem excipi ab omnibus in universa Dioecesi mandamus, ubique iisdem digniori loco cedi, obviam factos honorifice salutari, iisque, cum ad Sacra operanda succedunt, ex dignitatis eorum respectu primas semper ab Aedis Curatoribus, Aedituisque deferri, nihilque, quod honoris in ipsos, et venerationis officia postularint, omnino praetermitti (1).

XXIII. Universos autem tum Canonicos, tum Beneficiarios quoslibet ex Ecclesiarum patrimonio redditibus auctos oramus, obtestamurque, ne ea se *ignominia* inuri patiantur, quam *Sacerdotis* esse inquiebat Hieronymus *propriis studere divitiis* (2). Perdolentes sane conspicimus, Clericos ex vitae integritate fortassis commendatos, sedulosque in sibi concreditis muneribus obeundis, haud raro ob pecuniae amorem, reique augendae cupiditatem ab officio desciscere. *Festinant* enim *de patrimonio Crucifixi se, vel suos ditare* (3), et necessarias quandoque in victum, cultumque impensas turpissimo parcendi, ac seponendi studio abrepti promere e loculis suis detrectant, et si quid Ecclesiae tribuendum sit, venas sibi incidi perquam flebiliter lamentantur. Alii vero ad luxum, ad voluptates, ad vitae commoda Ecclesiarum se stipendiis donatos reputantes, ea profundunt, obliguriuntque, nulla Christianae temperantiae, castaeque frugalitatis habita infeliciter ratione. Audiant autem Clerici a S.Carolo Borromaeo sibi denunciari, *ad eum finem eas sibi copias esse attributas, ut praeter ea, quae ad victum, et cultum sibi satis essent, suppeterent etiam, quibus divini cultus ornatus, et splendor conservaretur, et pauperum inopia, et indigentia sublevaretur. Ex eo itaque, quod sibi congrua sustentatione detracta supererit, si necessaria pauperibus alimenta denegarint, in-*

(1) *S. R. C. 29. Mart. in Recineten. Idem pluribus Synodis sancitum est.*

(2) *S. Hieron. Ep. ad Nepot. Legatur Constit. Ben. XIV.* Universalis Ecclesiae 4. *Kal. Septemb. 1741.*

(3) *S. Bernard. de Consid. lib. 4. cap. 6.*

telligant, se, quos non paverint, occidisse, atque ob violatam sanctissimae charitatis legem mortale peccatum commisisse, quo sibi iram in die irae thesaurizaverunt (1). Non hic de iis loquimur, qui conditionibus in Apostolicis de beneficii collatione litteris praescriptis, vel quas beneficiorum ipsorum institutio exigit, satisfacere per summam injuriam negligunt, quos certe sacrilegii crimine, et restitutionis lege teneri palam est (2). Neque nos latent, quae in hac re pertractanda praecavere edoceamur à Benedicto XIV. (3), ne quaestionem definire videamur, de qua nec Tridentini Patres decernere censuerunt, *an* scilicet *Praelati sint vere Domini redditunm Ecclesiasticorum* (4). Ast id universis in mentem revocamus, *ex reditibus Ecclesiae augere consanguineos, familiaresve suos, interdici Clericos, cum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sunt, iis, ut pauperibus, distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa*. Imo quam maxime possumus, eos cum Tridentinis Patribus monemus, *ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant* (5) Haec perpendant sedulo nostrarum Dioecesium Clerici, qui beneficiis potiuntur, memores, sese immaculatos fore, si sui non fuerint dominati (6), neque animum sinant pecuniae specie dolosis mali Doemonis laqueis irretiri. Diligant decorem Domus Dei, studeantque alienis necessitatibus pro facultatum copia subvenire. Frustrare subsidio egenos pro Christo obsecrantes, fas esse, vix ducant, neque ex fortunarum exiguitate lege se charitatis exsolutos credant. *Quomodo poteris, ita esto misericors*, inclamamus cum Tobia (7); *si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*. Et Deo, et hominibus dilectos se exinde futuros esse, gratulentur; vestibus modeste, parcius mensae, Ecclesiae, ac pauperibus abundantius tribuentes, illud Hieronymi assidua meditatione commententur: *Totum Deo dedit, qui Deo se ipsum obtulit, et facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum* (8).

(1) *In Conc. Med. I.*
(2) *S. Carolus loc. cit.*
(3) *De Syn. lib. 7. cap. 2. §. 13. seq.*
(4) *Ex Bened. XIV. loc. cit.... Cons. Cardin. Pallavicin. Hist. Conc. Trid. lib. 24. cap. 3.*
(5) *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 1. de Reform.*
(6) *Psal. 18 14.*
(7) *Tob. 4. 9.*
(8) *S. Hieron. Ep. 2. ad Paulin.*

CAPUT III.

DE VICARIIS FORANEIS.

Episcopos ab ipso Deo *speculatores datos esse domui suae* (1), ut ab sua sede cuncta prospiciant, quae aeternam Gregis salutem operentur, ipsosque *omnibus omnia factos esse debere, ut omnes faciant salvos* (2) monent nos Sacrae Litterae. Cum vero in singulis suae Dioeceseos locis nequeant ipsi eodem tempore consistere, ne clanculum iis absentibus, nihilque tale opinantibus *inimicus homo zizania in dominico agro superseminet*, adjutores sibi, et administros in pagis, atque oppidis Dioeceseos adsciscere vel a priscis temporibus consuevere viros pietate, ac sapientia spectatos, *Chorepiscopos* exinde nuncupatos, quasi *ruris Episcopos*, quippe qui eorumdem locorum regimini procul ab civitate praeficiebantur (3). Ast cum in delatae sibi potestatis finibus continere se detrectassent, atque Antistitum jura labefactare, et invadere auserint, delere eorumdem gradum decreverunt Romani Pontifices (4), atque ita *Vicariis Foraneis* locus factus est, qui mandata ab Episcopo potestate fruuntur, quae loco angustiori praefinitur, atque arctioribus auctoritatis juribus percensetur (5). De his igitur, quos, uti nostrarum sollicitudinum participes, mandatorumque nostrorum assertores, et sacrae disciplinae vindices, haberi magnopere in honore volumus, nonnulla decreta sunt, ut quae praestanda ab ipsis sint, enucleate perdiscant.

I. Placet autem Vicarios Foraneos, quos ea doctrina, pietate, ac prudentia praeditos exoptamus, ut *pro Deo, et propter Deum Evangelium non erubescant*, de suo munere edocere ex Concilii Romani

(1) *Ezech. 3. 17. et 33. 2.*

(2) *II. ad Corinth. 9. 22.*

(3) *Episcopos fuisse Chorepiscopos tuentur prae ceteris Henricus Hammondus diss. 3. contra Blondell. cap. 8. ... et Binghamus Orig. Eccles. Tom. 1. lib. 2. cap. 14. §. 4. Rectius id negant Thomassin. de discipl. par. 1. lib. 2. cap. 1. Natal. Alex. Hist. Eccles. saec. 4. Append. ad dissert. 44. Morin. de Sacr. Ord. par.* 3. *exercit. 4.*

(4) *Factum hoc est Leone III. Pont Capitular. Caroli Magni lib. 6. cap. 121. apud Baluz. Capitul. Reg. Franc. Tom. 1.*

(5) *Thomassin. de Discipl par. 2. lib. 3. cap. 76. De Differentia inter Episcopi* principalem Officialem, *ejusque* Officialem Foraneum *leg. t Clement. 2. de Rescriptis. Videtur Ben. XIV. de Syn. lib. 3. cap. 3.*

auctoritate (1). Est itaque ex ipsorum officio, *de Clericorum, et Laicorum vita, ac moribus, et quomodo Parochi, aliique animarum Rectores in pastorali officio se gerant, diligenter inquirere, et in laternis scrutari, atque ad Episcopos fideliter deferre, num Clerus, et Populus, ut decet, vivant, num proprius in Ecclesiis cultus adhibeatur, num supellex, sacra praecipue, debito nitore conservetur, et Visitationum, ac Synodorum decreta suae sint exequutioni mandata*. Hinc perquirant a Parochis de puerorum, rudiumque in Christiana Doctrina institutione, tum de ratione in adjutandis aegris, ne quem contingat Sacramentis non procuratum decedere, tum de disciplina in Sacramentorum doctrina, tractationeque, tum de accurata Librorum Parochialium scriptione, quos invisere quotannis eos jubemus, quando per nos, aut Vicarios nostros Generales non fuerint conspecti, probatique. Urgeant insuper religiosissimam officiorum, legatorumque executionem juxta testantium voluntatem, atque diligentem Sodalitatum procurationem, ne quid incommodi, et abhorrens ab ipsarum institutis invalescat, ac demum ut quae hac Synodo, seu in Visitationibus sancita sunt, rite praestentur (2). Moneant in charitate, quos officio suo minus recte fungi compererint, ac nos certiores faciant, si vel contumacem quempiam nanciscantur, vel graviora adhibenda remedia dignoverint.

II. Congressus, quos de morum Theologia, ac de Rituum sacrorum disciplina bis in mense haberi decrevimus, moderentur ipsi, absentes notent, solutiones quaestionum ad nos deinceps mittendas excipiant, cuncta ex praescripta ratione peragenda curent (3). Ecclesiasticam immunitatem aliquo pacto infringi, et Ecclesiae juribus, atque Episcopali patrimonio detrimentum inferri, reverentiam personis, locis, ac diebus Deo consecratis adhibendam imminui, labefactari, proscindi, ne patiantur: rem illico ad nos deferant, ne et apud Deum, et apud nos desidiae, proditaeque turpiter Ecclesiae damnentur (4).

III. Pestem librorum exitialium propulsare, diuturniorem hominum vagorum, suspectamque commorationem prohibere, factiosorum conventicula compescere, domus, in quibus lustra, libidines, luxuries versentur, obstruere, foedasque corporis nundinatione foe-

(1) *Tit. 7. cap. 2.*

(2) *Testium Synodalium muneri satisfacere plerumque Vicarios Foraneos docet Bened. XIV. de Syn. lib. 4. cap. 3. §. 8. et Van-Espen. Jur. Eccl. par. 1. tit. 18. cap. 3. § 14.*

(3) *Vid. sup. hac part. Cap. 1. §. 19. 20., Item in App. par. 4. num. 7.*

(4) *Syn. Velit. Card. Cybo. Tit. 33. §. 6.*

minas coercere, Hebraeorum frequentiam intercipere, professionem fidei, antequam ludos aperiant, a Magistris exquirere, de legatis denunciandis Notarios admonere, aliaque id genus in utilem rei sacrae gubernationem operari, etsi Parochis singulis cum primis commendemus, suae etiam vigilantiae, solertiae, curaeque committi sciant Vicarii Foranei, ut communibus cum Parochis consiliis, studiisque, reque ad Vicarium Generalem delata, opportune consulatur (1).

IV. Decernant quidem temporario responso, si quid negotii occurrat extemplo definiendum: ast illico nos, vel Vicarios Generales doceant, consulantque de universa rei ratione, nihilque antiquius habeant, quam adsiduum, sedulumque Epistolarum commercium cum Generali Curia, eamque adeant, quoties in Civitatem sese conferant. Parochis decedentibus claves Tabularii accipiant, monumentaque, ac libros, scriptaque omnia ad Paroeciae rationes spectantia loco aliquo claudant, illudque suo sigillo obsignent, moneantque graviter Haeredes de gravi culpa, de excommunicatione, ac de crimine repetundarum, si rem quampiam Ecclesiae auferant, occultent, retineantque: facultatem autem facimus Parocho, qui Aegrotum Sacramentis postremis adjuvit, ut ipse haec peragat, si ex factorum adjunctis satius duxerit id oneris suscipere.

V. Angustis limitibus auctoritatem, qua Vicarii Foranei pollent, contineri, et ab ipsorum sententiis liberum cuique esse ad ipsum Episcopum appellare, explorati juris est (2). Causas Civiles, quibus de summa quaestio sit, quae scuta quinque non excedant (3) ad juris normam summa integritate, reque studiosissime, auditisque, ubi opus sit, doctioribus Viris, perpensa, dirimant: abstineant a gravioribus causis, neque statutos sibi fines ullo pacto praetergrediantur, ne si temere ex potestatis defectu sententiam tulisse dignoscantur, damnari ipsi in sumptus impensos debeant. Criminales querelas, quae ad Forum nostrum spectant, recipere non praetermittant. Inquisitionis tamen tabulas, nonnisi quae *informativae* nuncupantur, conficiendi jus ipsis est coram Notario, vel si is absit, coram duobus viris probitate commendatis: remittant eas autem ad Curiam

(1) *Relationem in menses singulos ab Vicariis Foraneis ad Episcopos de sibi tradita Dioecesis parte perscribendam, Synodi plures decrevere: idem et Bened. XIV. Inst. 102, §. 13.*

(2) *Late Sbrozzius de Vicario Episcopi quaest. 3.*

(3) *S. C. Ep. in Trojanen. 27. Martii 1690. S. C. C. in Hortana 20. Jun. 1698.*

Generalem celeriter, ut quid exinde consilii capiendum sit, providentissime decernatur.

VI. Haec quidem omnia a Vicariis nostris Foraneis exquirimus, praestolamurque. Sed uberiores fructus, prout rem sacram Ferrariae, ac Praenestae gerentes diuturno usu experti sumus, confidimus perlatum iri ex ipsorum ad Nos conventu, quem annis singulis curari decrevimus (1), ut communi de Sacrorum, morumque disciplina tractatione, quidquid adversus Canonum, vel Synodalium legum, vel Episcopalium decretorum praescripta, aliaque praeclara instituta percrebescere nacti simus, auferri de medio Israel, aptaque proponi remedia connitamur: quod propitiato precibus Deo fauste, feliciterque contingere, haud diffitemur.

CAPUT IV.

DE PAROCHIS

In procurando Christi Grege, *quem ita ipse amavit, ut ad ejus salutem in pretium sese tradiderit* (2), operam prae ceteris, manum, auxiliumque praestant Episcopo Parochi, quos in sollicitudinis partem adscitos, suos in arte omnium maxima obeunda adjutores percenset (3). *Facti* equidem *sumus in timore, et tremore multo* (4), ubi perpendimus, quid nobis negotii datum sit, cuique muneri praeficiamur, quando animorum curationem suscipimus. Ast despondere animo ipse nos vetat Pater luminum, qui cum sit auctor honoris, esse et in administratione adjutor haud dedignatur, potensque cum sit suscitare de lapidibus filios Abrahae (5) nostram infirmitatem bonus juvabit, volensque, ac propitius in legatione, qua fungimur pro Ipso, aderit nobis. *Quid vero hoc lucro*

(1) *Extant instructiones de hisce Coetibus editae in Append. part.* 4. *numer. 8.*

(2) *S. Jo. Chrysostom de Sacerd. lib. 2. cap. 4.*

(3) *Parochos a Christo ipso fuisse institutos, ut una cum Episcopis, subjecta tamen ipsis potestate, Ecclesiam regerent, demonstrare nititur Tamburinius in libro* „ Vera Idea della S. Sede. *Falsam eam opinionem demonstrat prae ceteris Bolgenius* „ Esame della vera idea della S. Sede: *nec non Auctor Operis* „ De l'autorité des deux puissances tom. 2. par. 3. cap. 1. §. *3.... Legatur Lupus* „ De Parochis ante annum Christi millesimum. *Priorem sententiam viam sternere Presbyterianismo, et Ecclesiae unionem dissolvere, palam est. Vid. etiam Thomassin. de Discipl. part. 1. lib. 2. cap. 21. 22.*

(4) *I. ad Corinth. 3. uti est in Graeco textu.*

(5) *Luc.* 3. *8.*

majus fuerit, dicimus cum Chrysostomo (1), *quam si haec agamus, quae dilectionis erga Christum argumenta esse dixit ipse Christus, qui Apostolorum Coriphaeum sic alloquitur: Petre, amas me? atque id illo confitente adjungit: Si amas me, pasce oves meas? Interrogat Discipulum Magister, num diligatur ab eo, non ut ediscat .... sed ut nos doceret, quantum cordi sibi esset hujusmodi Gregis praefectura. Id cum palam sit, illud item manifestum erit, magnam fore mercedem laboranti in iis, quae magno apud Christum in pretio sunt*. Hanc itaque mercedem sibi ob oculos proponant adsidue spectatissimi *Fratres*, et *Cooperatores* nostri (2), Parochi nostrarum Dioecesium universi, ejusque meditatione, laborum, discriminum, curarumque sollicitudines, quibus ex muneris officio defunguntur, levare, suavissimaque jucunditate conspergere adnitantur. Sint vero ipsi *forma Gregis ex animo, praebeantque sese exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate* (3). Haec nos, quo possumus, maximo studio ab iis exposcimus, quos licet tota hac Synodo ad puriorem, sanctioremque rei sacrae, morumque disciplinam expolire contendamus, hoc tamen capite enucleatius admonere de officio censuimus.

I. Quos ad studium honorum ambitio ducit, et auctoritatis, ac potentiae cupiditas, quam *saevam, immanemque feram* nuncupat Chrysostomus (4) hos certe experti scimus non bonum, sed mercenarium Pastorem agere, qui *terrenis commodis inhiat, honore praelationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, et impensa sibi ab hominibus reverentia laetatur* (5). Caveant igitur, qui Paroeciale munus, aut aliud quodlibet beneficium petunt, ne studiosius, ambitiosiusque, quam prudentem, ac moderatum deceat, et emendicatis undique commendationibus in illud contendant: justam enim propellendi eos causam exinde nancisceremur, quasi per ostium in ovile ingredi eos pigeret (6). Nos quidem, quas Tridentini Patres cautiones, curam, diligentiam praesertim de concursu habendo sanxere (7), religiosissime adhibendas esse decernimus, ut probis, eruditis, atque in sa-

(1) *S. Jo. Chrysost. de Sacerd. lib. 2. cap. 1.*

(2) *Ad Philippen. 2. 25.*

(3) *I. Petr. 5. 3.... ad. Tit. 2. 7.*

(4) *S. Jo. Chrysost. de Sacerd. lib. 3. cap. 2.*

(5) *S. Greg. Magn. Hom. 14. in Evang.*

(6) *Joann. 10. 1.*

(7) *Can.* Si forte, *Dist. 63.... Cap.* Quoniam. *De Jure Patronat .... Cap.* Constitut. *De Appellat ... Conc. Trid. Sess. 24. cap. 18. de Reform. Legatur Bened. XIV. Inst. 7.*

eris muneribus versatis, et ad ipsius Paroecialis Ecclesiae rationes accomodatis onus difficillimum tradatur.

II. Deceret summopere eos, qui renunciati sunt Parochi, certis quibusdam diebus in spiritualia Exercitia secedere, ubi sine interpellatione ulla, omnium aliarum rerum deposita sollicitudine, totos se Deo permittant, animoque pientissime expurgato munus perpendant, quod sunt suscepturi, lumenque, et praesidium a Deo multa prece deposcant, ut res et sibi, et Gregi feliciter eveniat. *Divino sibi praecepto mandatum esse, considerent, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari, et impleri possunt, qui Gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt* (1).

III. Hac autem meditatione diligenti, rerumque coelestium contemplatione comparato fortiter, obfirmatoque animo, Litteris de delato officio exceptis, omnibusque rite peractis, quae pro ipsius possessione adeunda praescripta sunt, regimen Paroeciae auspicentur. Non ad commoda, non ad luxum, non ad otium, non ad inertem, et laboris expertem, solutamque opere vitam accitos se cogitent: sed impendi se discupientes pro Grege, ac superimpendi (2) ita vivant singuli, uti si omnia pro omnibus officia deberent soli.

IV. Hinc summa ipsis, ubi primum in Paroeciam advenerint, diligentia adhibenda est, ut oves cognoscant suas, easque os ad os alloquantur: voluntates hoc pacto, ac naturas earumdem festine odorari connitantur, et suo, quod ajunt, hamo, vel esca quemque piscari. Statum pariter studiose inquirant advenarum, qui aliunde in suam Parochiam immigraverint, et praesertim de propinquitate, ac de Matrimonio scrutentur opportuna testimonia, si foemina cum iis sit: Parochos, e quorum Paroeciis discessere, consulant celeriter, ubi de impudicitia, aliove incommodo suspicio occurrat (3).

V. Sit ipsis exemplo in utilem gravissimi muneris gubernationem Agricola bonus, qui non tantum rectas, et fructuosas arbores, sed etiam depravatas, neque ita fertiles colit, easque vel adminiculis erigit, vel circumcidendo castigat, vel sub aliena latentibus umbra coelum aperit, vel telluris vitio laborantibus mutat locum. Sic et ipsi explorent, investigentque, an malum sit aliquod in

(1) *Conc. Trid. Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

(2) *II ad Corinth.* 12. 15.

(3) *Vid. sup. par.* 2. *cap.* 10. §. 19.

Israel, an blasphemi, an exitiales libri (1), an ulla in Religionis sanctitatem molitio impietatis, an foeneratores, an perditiores homines, an lascivum quidpiam, ac petulans, an impudicae imagines: tum de puerorum institutione, ac praesertim de cohabitatione sponsorum quaerant, tum ne quid in liberorum concubitu succedat inhonesti, aliaque demum id genus omnino perdiscant, ut quae rectae disciplinae officere possunt, auferant solerter, et quos in flagitia dilapsos, et ex semitis mandatorum Dei abscesisse nanciscantur, partim castigando, fraterneque monendo, partim terrendo, ac periculum, judiciumque denunciando, sanare, atque ab scelere adhibitis pro varietate naturae, ingeniorumque ratione remediis revocare contendant. Quod si quem, omnia experti, tamen a coeno malorum extrahere nequeant, vel si de gravioribus criminibus compererint, non ideo contrahant animum, sollicitudinesque: sed nos consulant, nostrosque Vicarios Generales, ut pro rerum necessitate decernatur.

VI. Urgeant porro Parochi, quo possunt, studio intentissimo, ne foeminae in Ecclesia, atque inter sacra versentur habitu, cultuque corporis, qui et ab ipsarum decore alienus sit, et honestis, castisque animis offensionem paret, nec ipsarum pietatem, religionemque commendet. Ecclesias, quae domus Dei sunt, ejusque Tabernaculum cum hominibus (2) sanctissime, ac summo studio habendas, excolendasque esse meminerint, nihilque proinde committi ibidem sinant, quo Sacra, eorumque procuratio, ac Ministrorum dignitas, ipsiusque loci sanctitas despici, contemptuique haberi, ac violari, perturbarique videantur: Ultionem comminentur Domini, quae ultio Templi sui est (3), idque Populos maxima contentione admoneant. Angeli autem pacis cum sint, quibus mandatum est dicere in quamcumque domum intraverint: *Pax huic domui* (4); mutuam inculcent ubique dilectionem; odiis idcirco, simultatibus, inimicitiis tollendis, sedandisque operam impensissimam dedant, ac ne diuturnitate convalescant, in ipso eas ortu, initioque componere satagant, ac continere. Dissidia cum primis, dissensionesque, et acerbitates inter conjuges restinguant, ut benigne potius, conjuncte, sancteque insimul vivant.

VII. Cum vero periculosa summopere sit, et suspicionibus ple-

(1) *Vid. sup. par. 1. cap. 4. §. 8. seq. Cautum fuerat in Synodo Velit. Card. Gesualdi an. 1592. cap. 47. ut quisque librorum, quos habet, indicem Vicario Generali, vel saltem suo Parocho ostendat.*

(2) *Apocalyps. 21. 3.*

(3) *Ierem. 51. 11.*

(4) *Matt. 10. 12.*

na mulierum consuetudo, earumque cum viris licentiores, liberique conventus flagitiorum seminaria ut plurimum sint, unde turpes cogitationes, obscoena verba, morumque corruptelae, ac divini Numinis offensae innumerae redundant, haec omnia intercipere, ac praepedire omni contentione enitantur Parochi. Hinc foeminarum in agrorum, vinearumque culturam prodeuntium procacem licentiam compescere, curae iisdem sit, atque ab agrorum dominis exquirere, ut earumdem agmina a Viris, quo fieri possit, longius procedant, et mutuae utrorumque immoderatius fortassis lascivientium congressiones, bacchationesque dissolvantur, atque ubi evitari eaedem omnino nequeant, saltem vir adstet prudentia, ac religione commendatus, qui statis operariorum turmis praepositus, omnem exinde facinorum occasionem propellat. Haec autem diebus presertim, quibus agrariae occupationes praecipuae suscipiendae sunt, edocere populum, eumque admonere graviter studeant, ut apta remedia, debitaeque cautiones in tanto animorum discrimine adhibeantur.

VIII. Advigilent, quantum poterunt, ne pateant cauponae, tabernaeque ad lustra, ad libidines, ad luxuriem. Mulieres praegnantes admoneant, ne quid peragant, quod foetui, quem alvo continent, detrimento sit: idque vehementius urgeant, quando suspicioni locus est, ne ex flagitioso concubitu corrupta foemina eo impietatis erumpat, ut abortum studiose quaerere audeat (1). Praecipua vero diligentia Obstetrices erudiant de recta Baptismi administratione: id singulis annis ab iisdem percunctentur, caveantque, ne id muneris perfungantur, nisi quae examinatae a nobis, psobataeque fuerint (2). Haec, et alia id genus plura pervestigent Parochi, monitumque Apostoli perpendant serio, quo et arguere, et obsecrare, et increpare jubentur in omni patientia, et doctrina, cunctaque arbitrari, ut tercora, ut Christum lucrifaciant(3). Excubantes semper animo, ut ipsis snihil improvisum possit accidere, videant etiam atque etiam, ut ne quem sua asperitate, et feritate arceant ab salutis via, indutique erga omnes viscera misericordiae adstent *in virga* (4), ubi contumaciorem quempiam *ex domo exasperanti*, *fronteque attrita*, obturantemque aures suas nanciscantur (5).

(1) *Huc spectant, quae de non retinendis infantibus in lecto vetantur parentes. Part. 2. cap. 2. §. 9.*

(2) *Syn. Velit. Card. Cybo tit. 26. §. 10. Vid. sup. par. 2. cap. 2. §. 11.*

(3) *II. ad Timot. 4. 2. ad Philipp. 3. 8.*

(4) *I. ad Corinth. 4. 21.*

(5) *Ezech. 3. 7.... Psal. 57. 5.*

IX. Censum capitum suae Parochiae conficiant Quadragesimali tempore Parochi quotannis accuratissimum, eorumque nomina, cognomina, sexum, aetatem, statum, munus, conditionem notent in libro, quem de *Statu animarum* inscribent, in Curionali Archivo custodiendum: exemplum vero ejus ab se obsignatum mittent ad Curiam nostram ante Festum Pentecostes. Referent etiam singillatim de Paroeciae statu, atque de iis praesertim, quae nostram cognitionem, operam, medicinamque desiderent, vel corrigi, emendarique necesse sit (1).

X. Libros praeterea apte, ac diligenti opere compactos habeant, quibus et Baptizatos, et Confirmatos, et Matrimonia, et Defunctos, et canonicas demum monitiones distincte, perspicue, accurateque ex praescripta in Rituali Romano ratione describant. Eos in Parochiae Archivo asservent una cum Libro Animarum, et Dioecesana hac Synodo, Decretisque Visitationum, ac Pastoralibus Litteris, Edictis, Inventariis, aliisque omnibus tabulis, monumentisque, et sigillo Ecclesiae suae in actibus Paroeciae, et in litteris ad Curiam nostram adhibendo, quo titulus Paroeciae cum imagine Sancti, cui est sacra, insculptus sit. Haec omnia in Visitatione proferenda, nobisque probanda, examinandaque esse meminerint.

XI. Offerre insuper Sacrificium pro Populo jubentur Parochi ex Tridentino Concilio (2): cuncti scilicet, qui aliquo modo, temporario etiam titulo, *animarum curam actu exercent*, sive Parochi ii sint, sive Vicarii, aut Oeconomi, vel Saeculares, vel Regulares, debent singulis Dominicis, aliisque per annum Festis diebus de praecepto, et in iis Festis, quibus ex Pii VI. Pontificis indulgentia onus audiendi Missam, et abstinendi a servilibus operibus ademptum fuit, *non modo Sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro Populo sibi commisso applicare, neque illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere possunt*. Extat luculentissima Benedicti XIV. Constitutio de hoc Parochorum onere, quo nec infirmi liberos se esse censeant, cum ad eleemosynam pro ea celebratione alteri tribuendam adstringantur (3). Quod si tanta Ecclesiae tenuitas fuerit, ut necessaria victui non suppeditet, cautum

(1) *Extat in Append. instructio de Parochorum relatione annali. Par. 4. num. 8. § 2.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1. de Ref.*

(3) *Const.* Cum semper. *relat. in Append par. 4. num. 6. Consul Girald. ad Inst. Can. Remigii Maschat. Elench. 5. tom. 1. Extat de infirmis S. C. C. responsum ad Card. Crescentium Archiep. Ferrar. qui illam de iisdem consuluerat in sua relatione ad Limina.*

est quidem, posse Parochum ad alterum in hebdomada diem eam celebrationem differre, et festo die pro eo sacrum facere, qui sibi eleemosynam contulit, dummodo festo illo die ad populi commoditatem in Paroeciali Ecclesia sacrum fiat: ast nostro speciatim permissu opus est, quibus hujusmodi facultatis tribuendae jus unice delatum est (1). Notari autem praecipimus peculiari pagina in Libro Missarum eas, quae pro Populo factae sunt, diesque accurate exscribi, quibus eaedem sunt celebratae.

XII. Aegre autem feremus, diem vel unum elabi, quo in Parochiali Ecclesia nullum Sacrum agatur, ne tanto beneficio ii praesertim fraudentur, qui ex ea vicinitate sunt. Diebus vero festis id severe prohibitos se sciant Parochi, quos omnino operam, quam debent, Ecclesiae suae navare jubemus, nisi forte concessa a nobis singulatim facultate, monitoque de ea re Populo, alia in Ecclesia, quae in Parochia sit, debeant ex justa causa celebrare.

XIII. Cum vero in Dei manibus sint corda hominum, et ipse unice incrementum donet, sint Parochi, qualem Oniam vidit Machabaeus *virum bonum, et benignum, manus protendentem, orare pro omni populo* (2). Vere fratrum amatores, et populi Israel, positique interpretes, ac internuncii inter Deum, et homines, meminerint sui muneris esse, propitiare illum sibi, et Gregi precibus, jejuniis, ac corporis cruciatibus. Felicem exitum habitura esse haud ambigant, quae consulto prius Deo aggrediantur. Ast turgeat cumprimis lacte eorumdem pectus, ut iis praebeant, quibus opus est, et panem ab ipsis habeant, qui esuriunt justitiam. Divino quippe urgentur praecepto pascendi oves per ministerium verbi, easque de rebus ad salutem necessariis erudiendi pro earumdem captu, ac pueros de re Christiana edocendi, quae quidem si praetermitti ab ipsis ex ignavia persenserint Antistites, censuris etiam ex Tridentinorum Patrum decretis se noverint esse plectendos (3). In concionibus autem, quo magis commune bonum id est, eo majorem industriam, et assiduitatem, et operam collocent, neque illas ad vulgi oblectationem, plausumque,

(1) *Cit. Const. Bened. XIV. §. 4. ... Si Dignitas Curata cantet Missam Conventualem, tunc alteram Missam pro Populo alteri celebrandam demandet, collata eidem eleemosyna.*

(2) *II. Macchab. 15. 14.*

(3) *Ex Conc. Trid. Sess. 5. cap. 2. de Ref. Praestat concionem haberi post Evangelium juxta perennem consuetudinem, de qua Card. Bona Rer. liturgic. lib. 2. cap. 7. Vid. Const.* Apostolici Ministerii *Innocent. XIII. quam confirmavit Bened. XIII.* In supremo militantis, *ubi Parochi id muneris explere jubentur, quamquam exiguum habeant populi numerum, et quamquam per annuos Concionatores satis huic rei consultum videatur.*

sed ad morum emendationem, et unius Dei gloriam omnino referre adnitantur. Animorum quippe agitur salus: adhibenda vulneribus remedia: ignoratio divinarum rerum propellenda: non prurientes aures curiosis quaestionibus, et inani sermone scalpendae: virtutis studium, vitiorum odium, coelestium desiderium excitandum.

XIV. Hinc praestaret, eos identidem graviora crimina insectari, quorum est absolutio Pontifici Maximo, vel Episcopo reservata, censurasque denunciare, quibus eorumdem rei obstringerentur, quo hac etiam ratione audaciae peccantium occurratur, fraenumque procaciori licentiae injiciatur (1). Crebriorem etiam sacrae Confessionis, et Communionis usum commendent, tum frequentes conventus ad Vesperarum officia, ad precationes honori Virginis Mariae, ad pientissimam Passionis meditationem in *Via Crucis*, ad Eucharistiae demum adorationem, quam proponi saltem in Pixide quovis die festo ad benedicendum Populo omnino discupimus (2). Ceterum eam praesertim inculcent orationem, per quam aliquid coelestium meditamur, ingenti animorum lucro, prout Benedictus XIV. erudite sua Constitutione singulos ad id genus precationis cohortatur, tributo etiam Indulgentiarum bono exinde comparando (3). Quod ut facilius, et ex sententia contingat, vel Concionatoribus in Quadragesima, vel aliis Viris de bono animarum studiosissimis id muneris imponemus, ut per spiritualia Exercitia rite in annos singulos expolire Populos curent (4).

XV. Hic vero iterum Parochos obtestamur, ut revolventes animo, quantopere coeremoniarum splendor, sacrorumque operandorum cura ipsius religionis sanctitatem commendent, mentesque Fidelium ad pietatis sensus alliciant, et inflamment, adsiduam in id attentionem addicant, atque ut Ecclesia sua semper munda, semper nitens, semper laeta videatur, eo studio, sollicitudine, industria, affectuque connitantur, quo in Divinitatem ferri vehementissime debemus. Huc spectant, quae ex Sanctae Matris Ecclesiae instituto in Majori Hebdomada ritu sanctissimo peraguntur ad memorandam, reculendamque Passionem Domini, quibus ut nihil non pium, non sanctum, non cum summa disciplina, atque modestia conjunctum conficiatur, providentia Benedicti XIII. decretum est, quomodo in Ministrorum paucitate, et in sacrae supellectilis inopia operari per eos dies ad Aras

(1) *Vid. sup. par. 2. cap. 6. §. 3.*

(2) *Vid. sup. par. 2. cap. 4. § 8.*

(3) *Const. Bened. XIV.* Quemadmodum.

(4) *Vid. in Append. par. 4. num. 4. Epist. S. C. C. de usu Exercitiorum Spiritualium.*

solemniter possint Parochi, uti videre est in earumdem coeremoniarum descriptione, quam in Appendice jussimus referri (1).

XVI. Statos vero singulis Dominicis, aliisque Festis diebus sermones ex Tridentina lege habentes ad Populum, denuncient dies per hebdomadam solemnes, tum vigilias, ac jejunia, si qua incident, tum stationes, atque indulgentias, quae Ecclesiam loci pie adeuntibus, aliave Exercitia illa ineunte septimana peragentibus decretae sint, tum demum supplicationes, pompas, novemdiales, vel triduales precationes, aliaque id genus alicubi obeunda(2). Recitent, atque enucleate interpretentur Constitutiones Pontificias, et Episcopalia Edicta juxta praescriptum hujusce Synodi (3), ac cetera omnia, quae pro temporum causis significanda publice constituemus. Huc spectat Benedicti XIV. Constitutio diebus messoriis proponenda Populo, ut certae de spicis colligendis leges teneantur (4).

XVII. De Sacramentis a Parochis administrandis haec decreta sint. Obeant ipsi per se Parochi delatam sibi Sacrorum procurationem, suamque in ea gerenda industriam, sedulitatem, alacritatem, et charitatem impensissimam probent singulis. Non itinerum asperitas, non laboris diuturnitas, non temporum incommoda in causa sint, ut rem suam ullam Paroeciali officio praevertant, quasi sua quaererent, non quae Jesu Christi: sed eo properent, accurrant, advolent festivi, quo ipsos evocat charitas, quam nec multas aquas extinguere, nec flumina obruere, divina Sapientia inclamabat (5). Festis diebus praesertim, et quando Natalitia solemnia, et Paschalia gaudia, ac cetera per annum Sacratiora Mysteria celebranda imminent, sedeant diutius, ac magis assidue audiendis confessionibus, omnibusque operam ipsorum ad animae salutem cupientibus nunquam non praesto sint. Aegros, ubi primum certiores de iis facti sint, invisant, solenturque, et comi, benignoque alloquio confirment. Horreant et Dei, et hominum judicia, si sua incuria, ac segnitie ex iis quispiam nulla expiatus Confessione, nullisque Sacramentis procuratus decesserit (6). Preces, benedictiones, et quae pia Mater Ecclesia suggessit subsidia ad eos in tanta hostium teterrimorum oppugnatione juvandos, roborandosque, recitent, praestentque charitate, qua valeant, maxima, atque eo, quo par est, studio, ac venerationis sensu mirifice affecti (7).

(1) *Agp. par. 4. num. 10.*

(2) *Ex Conc. Trid. Sess. 15. de Reform. in decreto de delectu ciborum.*

(3) *Extat ad calcem hujus Synodi index rerum publicandarum inter Miss. solemn.*

(4) *Vid. Append. par. 4. num. 9.*

(5) *Cantic. 8. 7.*

(6) *Vid. sup. par. 2. cap. 8. §. 10.*

(7) *De benedictione morituris impertienda videatur Append. par. 2. numer. 29. 30.*

XVIII. Hinc vas Aquae benedictae octavo quoque die renovandae in Aedis aditu collocatum, ut ingredientes leviter eadem se aspergant, expurgari crebro, atque extergi, curae iisdem sit(1). Cineres, Candelas, Palmas Olivarum statis diebus, precationibusque rite piatas dispensent. Domos, earumque singula conclavia ex Ecclesiae instituto sacra aqua aspergant, eamque lustrationem religiose ab omnibus suscipi edicant. Item morem cibos quosdam, vineas, resque alias certa prece, ac coeremonia benedicendi, quo et augentur apud bonos studia pietatis, et infortunia juvante Deo averruncantur, ne omittant, ubi in id acciti sint (2). Demum Ritualem librum habeant continuo ad manus, et quae ibidem constituta sunt, adhibeant accuratissime; aniles vero superstitiones, quae maxime mulierum animos subeunt, abjiciant penitus, atque proscindant, piaeque potius Ecclesiae consuetudines ut non solum non negligantur apud suos, sed etiam sancte, ac religiose serventur, muneris ipsorum est omnino conniti.

XIX. Verum ratio praecipua pascendi utiliter Gregis, bonum, quod praeferatur, exemplum est: si nimirum Parochi *cum proprias oves emiserint, ante eas vadant* (3), praebentes iisdem luculentissimam suorum institutorum normam, et si quantum auctoritate excellunt, tantum praestare studeant morum suavitate, innocentia vitae, diligentia actionum. Tum quidem salubriter disciplinae legem indicent aliis, si eam ante alios a se ipsis exegerint. Pudeat id sibi exprobrari: *Qui alios doces, teipsum non doces* (4)? diemque *ostensionis* magnam, et amaram valde perhorrescant (5), ac Hieronymum sibi inclamantem audiant formidolosi: *Cur haec, quae dicis, ipse non facis? Quid dices, cum visitaverit te? Tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum: numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem* (6)?

XX. Ab immodico in suos affectu, atque ab nimia eorumdem

(1) *Usum aquae benedictae ab Apostolica traditione profectum, sempei que in Ecclesia observatum docent Baronius ad an. 132. §. 3., et Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 20. §. 5. Commenta Haereticorum adversus hunc usum solide inter ceteros refellit Robertus Sala in Not. ad cit. loc. Card. Bona.*

(2) *Plura de Benedictionibus decreta sunt hac Syn. par. 3. cap. 6., et in Append. extant Formulae earumdem par. 3. num. 11. Luculenter de iis egit Bened. XIV. Inst. 47. De juribus Parochorum in iisdem impertiend. vid. Decr. S. C. C. App. par. 4. num. 13.*

(3) *Joan. 10. 4.*

(4) *Ad Rom. 2. 21.*

(5) *Luc. 2. 80.*

(6) S. *Hier. in Ep. ad Nepot.*

familiaritate sibi temperent Parochi, neque in laicorum usum, ac necessitudinem se dedant, multoque minus convivia cum iis, comessationes, risus, ludosque celebrent. *Quid tibi cum Foemina, qui ad Altare cum Domino fabularis?* clamat Hieronymus (1). Laudatur quidem Parochorum hospitalitas: ast non ea sit ambitiosa, non luxui ostentando, non gratiae Optimatum, aliorumque aucupandae quaesita, sed qua tenuiores in primis, et egentes, et qui minimi vocitantur in Evangelio, comiter, et amanter invitentur pietatis causa, recreentur, reficianturque. Caveant vero, ne lautioribus mensis extructis, cibisque conquisitissimis paratis, omnibusque inlatis gulae lenociniis, abhorrere se ostendant a frugalitate, ac temperantia in Pastoribus pernecessaria, illudque turpissimum contingat, quod complorabat Hieronymus, *Judicem Provinciae* nimirum *melius apud Parochum prandere, quam in palatio* (2), *famelicosque conqueri suum esse, quod effunditur* (3). Quid vero de Parochorum vestitu urgeamus, quem *congruentem Ordini*, atque ad Sacrorum curationem aptum omnino exquirimus (4)? Absonum nimis a Parocho foret saecularibus vanitatibus ornari, iisque assimilari, quos *vestitos hyacintho, juvenesque cupidinis* praefingit Ezechiel (5). *Miserandam certe eam Sponsam* inclamaremus cum S.Bernardo, quam *talibus creditam* conspiceremus *paranymphis* (6).

XXI. Cum autem nullum sit officium tam sanctum, atque solemne, quod non avaritia comminuat, atque violet, procul ea sit, imo vel ejusdem suspicio a Parochis, quos parentes publicos, altores egenorum, amicos populi, orphanis adjutores esse oportet, viduam, si angusta re familiari sint, aemulantes, *quae duo minuta jecit, et eos, qui multa contulerant, superavit, cujus animi commiserationem paupertas non excidit, munificam voluntatem egestas non compressit, liberalitatem penuria non restinxit* (7). Huc spectant, quae Clericis vetita exposuimus de aliorum tutelis, ac curis, tum de alia qualibet id genus procuratione (8). Dicimus quippe cum Hieronymo: *Procuratores, et Dispensatores domorum alienarum, atque villarum, quomodo possunt esse Clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates* (9)?

(1) *S. Hier. in Ep ad Ocean.*
(2) *S. Hier. in Ep. ad Nepot.*
(3) *S.Bernard. in Ep.24. ad quemd. Episc.*
(4) *Ex Conc. Trid. sess. 14. de Ref. cap. 6.*
(5) *Ezech. 23.6. Vid. sup. hac part. cap. 1. §. 7.*
(6) *S. Bernard. de Considerat lib.3. cap. 11.*
(7) *S. Jo. Chrisost. apud S. Joan, Damasc. Sacr. Parallel. Tit. 8.*
(8) *Sup. cap. 1. §. 5.*
(9) *S. Hier. Ep. ad Nepot.*

XXII. Non inde tamen deserendam sibi esse arbitrentur patrimonii suae Ecclesiae administrationem, cum imo bona, juraque ejusdem sarta tectaque conservare jubeantur, eamque de iis curam gerere, quae ab industrio patrefamilias esset expectanda. Controversias, si quae de iisdem excitentur, conciliari, atque ad nos rem deferri, ubi id fieri nequeat, mandamus. Monitos autem se noverint, ut cum Sodalitiis, quae in Paroecia sunt, faciant, ut quam optime sibi conveniat, Sodalesque ipsos, quoad ejus fieri poterit, mansuetudine, ac benevolentia comprehendant. Leges tamen, quibus eorumdem privilegia, ac jura praefiniuntur, servari diligenter contendant (1). Hinc ad omnem offensionis causam amoliendam arcula sit ad excipiendas eleemosynas duabus seris clausa, quarum altera penes ipsum Parochum sit, altera penes Virum e Paroecia prae ceteris commendatissimum, quem oblationibus Populi praepositum dicimus. Corrogata demum pecunia, nonnisi ex nostra, vel Vicarii Generalis auctoritate, extrahi ab eadem poterit (2).

XXIII. Extat in Appendice Benedicti XIV. Constitutio de testamentis per Parochos excipiendis, quam quidem accurate, et ex legum praescripto servari praecipimus. Piaculum foret grande nimis, si rem quampiam ad suam ipsius utilitatem trahere, atque multa prece, suaque proposita egestate, sibi, aut Ecclesiae suae ut aliquid leget, aegrotantem demulcere, atque pellicere (3).

XXIV. De *Substitutis*, vel *Coadjutoribus*, qui curae, atque muneris socii Parochis adjunguntur, haec statuta teneantur. Alii ex ipsis libere a Parochis adsciscuntur: alii ex concursu eum honoris gradum per Apostolicas litteras obtinent. Eligant Parochi viros pietate, doctrina, ac prudentia commendatos, justamque ipsis pro laborum merito tribuant mercedem, uti *qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edant* (4), non tamen cuncta officii munera in eos rejiciant, sed quae possunt, ipsi per se omnia obire satagant. Coadjutores vero alterius generis, qui Velitris extant in Paroecialibus Ecclesiis Sanctissimi Salvatoris, ac Beatae Virginis de Trivio, vel in

(1) *Extat in App. decretum S. C. C. par. 4. num. 13. Legat. in App. par. 5. num. 5.*

(2) *Ex decretis de recta eleemosynarum administratione nullam in Ecclesiasticos, et in Parochos inuri ignominiam, pluribus demonstrat Bened. XIV. Inst. 72. §. 25. et seq. ubi plura apposite enucleata videre est.*

(3) *App. par. 4. num. 11. 12. Legatur Bened XIV. Inst. 105. usque ad §. 25. ubi late de Testam. coram Parocho edisserit. Vid. sup. par. 2. cap. 6. §. 13.*

(4) *I. ad Corinth. 9. 13.*

quavis alia Civitatis, ac Dioecesis Paroecia constitui poterunt, decretis pareant ab Sacra Congregatione Concilii pluries latis (1). Auxilium idcirco praebeant Parocho, ac diu noctuqne eidem juvent, fidemque, et obedientiam praestent nedum in animarum procuratione, sed et in ceteris paroecialibus muneribus exequendis, in quibus eorum operam Parochi aliquando exquisierint, *dummodo non sint actualiter impediti in exercitio curae animarum* (2). Resideant vero et ipsi apud suam Ecclesiam, nec ab eadem discedere audeant, nisi Parochi assensus accesserit, vel facultas a Vicario Generali facta sit, quam opportune Parocho significent. Iisdem quippe legibus continentur, ac ceteri quilibet, qui libere a Parochis eliguntur Coadjutores, a quibus ea dumtaxat causa differunt, quod nimirum priores expelluntur a Parocho pro lubitu, secundi vero, nonnisi ex canonico judicio, munere amoveri possunt, quod per litteras Apostolicas sunt assequuti.

XXV. Obstringi Parochos lege residendi penes sibi commissum Gregem, Tridentini Patres decrevere, qui et mortiferi peccati reos esse, qui ab cura Ecclesiae suae abierint, nec jure percipere fructus illius temporis, quo abfuerunt, ex Canonum praescripto declararunt, quibuslibet privilegiis, et consuetudinibus, quas *corruptelas* nuncuparunt, abrogatis (3). Christiana tamen charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel rei publicae utilitas justam absentiae causam praebent, quam tamen probari ab Episcopo, et in *scriptis*, *gratisque* concedi necessum est. Hinc nec ultra biduum ab sua statione, vigiliaque discedere fas est Parochis, nisi ex facultate per nos scripto delata, atque accito, probatoque nobis, qui interea muneris sui vices subeat. Imo nec diei unius, uniusve noctis absentiam patiemur, nisi adsit, qui gerat partes absentis. Vicariis Foraneis tribuendi eam veniam potestas sit, ubi moram non ferat, et sustentationem absentiae causa: res vero quamprimum significetur nobis, ut quid opus sit, prospiciamus (4). Ceterum neque provectam senectutem, neque coeli gravitatem ab residentia eximere, compertum est, nisi legitima extet dispensatio (5). Hinc suburbanas Paroecias post factum sum-

(1) *Extant in App. par. 4. num. 14.*

(2) *Ex Decr. cit.*

(3) *Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de Ref. De Residentia Paroch. legatur Bened. XIV. Instit 17.*

(4) *Ex Conc. Rom. Tit. 17. cap 6. S. C. C. 10. Maj. 1687. Bened. XIV. loc. cit. §. 74. Fagnan. in cap.* Relatum. *De Cler. non resid.*

(5) *S. C. C. 5. Octobr. 1671. .... 7. Jul. 1646. Extat Ep. S. C. C. ann. 1573. in lib. 1. Decret. pag. 51.... Item 6. April. 1647.*

mo mane Sacrum deserere, et in urbem properare, ac nonnisi sub noctem in eas reverti, ab lege residentiae est absonum (1), quin vel Coadjutoris, vel Capellani in Paroecia commoratio illos excuset, quippe qui non ideo ab onere pascendi Gregem, suaeque procurationis munera obeundi soluti omnino sunt, cum imo praecipua Paroeciae officia, qualia sunt puerorum institutio, conciones, aegrorum cura, Sacramentorum administratio, gerenda ab ipsismet sint (2). Illudque ex Sacrae Congregationis Concilii decreto cautum esse denunciamus, *teneri Parochum residere, etiamsi in Parochia tres tantum sint, vel quatuor incolae* (3).

XXVI. Patet vero ob hanc residendi legem vetari Parochos alibi, quam in Paroecialibus aedibus, habitare, licet etiam intra Paroeciae fines domestica aedes sita sit, nisi fortassis peculiare in id permissum accesserit (4). Quod si quis praeter binos menses sive continuam, sive interruptam ab Paroecia absentiam traduxerit, fructus pro eo tempore non jure percipiet, quos in Ecclesiae commodum, et in egentium alimenta convertendos esse, ab iisdem Tridentinis Patribus edocemur (5): ac si iterum, ac tertio de reditu admonitus, adhuc ab Ecclesia absens permaneat, ad Canonum normam privandi illius, abdicandique locus erit. Caveent vero universi, ne falsas ad indulgentiam aucupandam causas pertexant: omnesque meminerint, festis per annum solemnioribus, et in Adventu, et in Quadragesima vel minimam a Paroecia absentiam interdici (6), et offensioni Fidelibus fore, si quo tempore altera ex oviculis in vitae discrimine sit, Parochus eam deserat, atque eamdem in summa tribulatione adjutare neglexerit.

XXVII. Finitimus, ac vicinus Parochus aegrotantem periculose Collegam adeat sine cunctatione, nec ut accersatur, expectet, eumque juvet ad animae, et corporis curationem, ac praesto eidem sit amantissime, studiosissimeque. Moneat autem nos protinus de Col-

(1) *S. C. C. Fulginaten. 10. Maji 1687.*

(2) *Bened. XIV. Inst. 17. §. 20. S.C.C. in Nucerina Paganor. 26. Febr. 1707.... 19. Maji 1708.... Nullius Orbetelli 28. April. 1736.... Tolentin. 16. Maji 1739. ad 2.... Sabinen. 10. Mar. 1742. ad 5. Plura congessit R. P. D. Baptistellius in Syn. Fulginat. Append. ad cap. 7. §. 11.*

(3) *Apud Fagnan. cap.* Extirpanda §. Qui vero. *Num. 11. De Praebend.*

(4) *S. C. C. in Fulginaten. 19. Novemb. 1718.. et 13. Jun. 1720.... Tarranonen. 24. Mar. 1736.... Pontis Curvi 10. Dec. 1755.*

(5) *Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. de Ref. et Sess. 23. cap. 1. de Ref. Item Syn. Velit. Card. Cyba Tit. 26. §. 13.*

(6) *Bened. XIV. Inst. 17. §. 28.*

legae obitu, ac donec alteri ea Paroecia committatur, ejusdem regimen ipse suscipiat. Certior de vitae discrimine Parochi fiat Vicarius Foraneus, qui vel per se, vel per ipsum Parochum ea gerenda curabit, quae pro Ecclesiarum bono praestari jussimus (1). Monumentis cumprimis, tabulis, libris, aliisque id genus Paroeciae rationes pertingentibus celeriter prospiciatur, ne per injuriam auferantur, occultentur, corrumpantur.

XXVIII Hortamur vero Parochos, ne otio, desidiaque tabescant, quasi a nemine conduci, ut operentur in dominica vinea, potuerint. Sacris idcirco litteris, disciplinisque operam navent diligentissimam. De Alumnis Seminarii, qui per Autumnales ferias ad suos immigrarint, advigilent, ne quid a Clericali gradu abhorrens peragant, moliantur que, ac si quos peccare noverint, referant de iis ad Collegii moderatores; Ministrare eos jubeant Ecclesiae suae, atque ibidem Ordinis munera obire, et rudimentis Fidei tradendis adlaborare, litterisque dare operam, ut honestum de laudabili ipsorum disciplina testimonium redituris in Seminarium praebeant.

XXIX. Lites de Paroeciae finibus, suisque juribus intendere, evitent maxime: sed eas potius componere, et conciliare studeant, et quantum possunt dissidiorum stirpes recidant. *Non litigiosum* praecepit Paulus esse Pastorem animarum (2) ne ingenium exhibeat concitum ad rixam, forensibusque controversiis Populi benevolentiam, ac studia ab se avertat, iisque infelici consilio addicant et redditus, quos in coelestes thesauros manus pauperum debuissent deportare, et horas, diesque in Gregis commoditatem devovendas. Plura ab Apostolica Sede decreta de Paroecialibus juribus edi in Appendice mandavimus, ut cuique in manibus sint (3), illudque speciatim hoc loci animadvertimus, Aedes, quae in communi finitimarum Paraeciarum area positae sint, ad eum Curionem spectare, intra cujus Paroeciae fines praecipuus in eas aditus, aut major ejusdem pars pateat: demptas hoc pacto volumus, quae moveri quaestiones possunt, moremque indecorum sublatum aedes id genus communiter procurandi.

XXX. Haec de Parochis decreta sint: eorum porro singulos adloquimur cum Paulo: *Haec meditamini: in his estote, ut profectus vester manifestus sit omnibus. Attendite vobis, et doctrinae: instate in illis. Haec autem facientes, et vosmetipsos salvos facietis, et eos, qui vos audient* (4). Sit quotidiana instantia ipsorum pro Grege: sint

(1) *Sup. cap.* 3. §. 4. *hac part.*
(2) *I. ad Tim.* 3. 3.
(3) *App. Part* 4 *num.* 13.
(4) *I. ad Timoth.* 3. 15.

pes claudo, oculus coeco, orphanis pater (1). Ast illud iterum eos monemus, obtestamurque: teneant illud vigilanter, caveantque assidue, ut intimam sui custodiam, et certa precandi, commentandique spatia non mittant: inde quippe vegetiores in dies, robustioresque ad opem aliis ferendam prosilient. Ut vero ceteri libentius curationem, ubi opus sit, accipiant, mitem, et humilem corde Pastorum Principem imitentur; cunctisque officiose demerendis, atque omni charitate sibi conciliandis insistant. *Non in commotione* inveniri Deum meminerint, *sed in sibilo aurae tenuis* (2). Spiritu Dei agantur, *qui mitissimus, et mansuetissimus est, qui non turbine glomeratur non nubilo lucet, sed est tenerae serenitatis apertus, et simplex* (3). Hinc assuescant solliciti alloqui comiter singulos, deposita severiore persona: hilari ac sereno respondere vultu: faciles ad se cuilibet praebere accessus: contemnere omnino neminem: gloriam aeque fugere, atque alii captant: nihil in victu, cultuque sibi praecipuum sumere: periclitantibus, egenis, miserabilibus, ubi non possint manu, prece saltem, consiliis, adloquio, votisque succurrere: qua quidem summissione, officio, suavitate, clementia, ceterisque artibus, quas ipsis Coelestis Spiritus haud dubie suggeret, brevi omnium animos ita devincient, uti deinde eos, quo expediat, pertrahere vel una voce possint, nihilque ad cujusquam reprehensionem ab iis profectum, aut acerbum ulli videatur, aut nimium. Quod si contumaciores, aliquos, ac in facinore insordescentes turpiter, et abs recto perduelles, atque Pastoris, Parentisque vocem audire detrectantes nanciscantur, detonent ex zelo domus Dei, quo se comedi oportet: moneant, praedicent, denuncient, et justae demum, ac debitae poenae eos tradant, ut contristentur ad poenitentiam. Non ira tamen, et ex furore correptos se ostendant, sibique edici meditentur: *Irascimini, et nolite peccare*. Fiet hoc pacto, quod faustum et sibi, et Gregi, fortunatumque semper sit, ut depositum suae fidei traditum feliciter custodiant, Gregemque incolumem praestent, ut reposcenti Domino integrum reddant, immarcescibilem de recta villicatione coronam gloriae percepturi.

(1) *Job. 28. 18.*
(2) *III. Reg. 19. 11.*
(3) *Tertullian. lib. 2. contra Marc. cap. 23.*

CAPUT V.

DE SEMINARIO CLERICORUM.

Cum nihil sit, quod magis ad rei et sacrae, et publicae incolumitatem pertineat, quam recta Adolescentium institutio, sapienti sane consilio vel a priscis temporibus communes aedes, legimus, patuisse, quibus veluti in concluso horto religioni, ac bonis artibus alerentur, feliciterque succrescerent novellae illae plantationes, quae possent exinde magno et ornamento, et usui esse vineae Domini (1). Verum cum temporum injuria haec Clericorum domicilia negligi paulatim coeperint, ac nonnisi publicae Accademiae percenserentur, quibus scholarum potius pompa, et studia litterarum in pretio habebantur, nullaque cura, ac sollicitudine verus omnis liberalis doctrinae fructus quaerebatur, qui pia, debitaque morum conformatione continetur, tanto religionis discrimini occurrere divinitus censuerunt Tridentini Patres, lata saluberrima sane, et necessaria lege, qua Episcopi jussi sunt prope Ecclesiam principem, aliove idoneo loco Seminarium, vel Collegium constituere, quo Clerici in Ecclesiasticam rem disciplinis optimis erudirentur (2). Illustre hoc, et summopere faustum, ac salutare institutum gratulata est illico Veliternensis Ecclesia sibi procuratum providentissima Cardinalis Gesualdi liberalitate, qui Episcopale ibidem Seminarium miro et Alumnorum, et Doctorum, et reddituum apparatu condidit, auxitque. Qua quidem in re tuenda, fovendaque utiliter cum ceteri Cardinales Veliternorum Episcopi intentam suam desiderari sollicitudinem passi non sint, honoris tamen, et grati animi caussa nominatos hic singulari commendatione volumus postremos

(1) *Sunt, qui EpiscopaliumSeminariorum vestigia ab Synod Nicoena repetunt can. 55. secundum vers. Turrian. apud Labb. Tom. 2. Sunt qui eorum originem ab S. Augustino ducunt, qui in Episcopali domo monasterium se habuisse Clericorum ait Serm. 355. Thomassin. de Discipl. par. 1. lib. 3. cap. 2. Imo in cujusvis Parochi domo esse Seminarium decernebatur a Conc. Tolet. 11. ann. 531. can 1. et a Conc. Tolet. IV. ann. 633. can. 24. Late de Seminariis edisserit Joaunes de Joanne Hist. Seminar. Clerical.*

(2) *Vid. Mabillon. Acta Ss. Ord. Benedict. praef. ad saec. 3. §. 4. numer. 40.... Conc. Trid. sess. 23. cap. 18. de Refor. . . . Bened. XIII. const.* Creditae nobis . . . . *Bened. XIV. constit.* Ubi primum §. 2. *De Semin. a Pio IV. Romae et alibi constitutis vid. Raynald. ad ann. 1564. §. 53.*

Nostros in hac Episcopali Sede Praedecessores, nimirum Cardinalem Ducem Eboracensem, qui ad Alumnorum discessionem e Seminario praepediendam, quam ex infesta, ac minus salubri ad D. Clementis statione aestivis mensibus protuebantur, Aedes satis amplas sua impensa comparavit, loci, et coeli natura commendatas, quibus per id temporis iidem morarentur, et Cardinalem Antonellum, qui praeter insignia, ac praeclara in Cathedralem Basilicam merita (1) codicem legum sanctissimarum pro Seminario, in cujus amplificationem vehementer incubuerat, ordinavit, quem si ipse ex temporum acerbitate peraegre ereptus Gregi non potuit edere, nos tamen ingens, quod inde Seminario obventurum dignoscebamus, bonum adproperantes, additis nonnullis, quae ex rei utilitate potiora visa sunt, evulgandum curavimus (2). Hasce itaque Constitutiones ea, qua pollemus, auctoritate sancientes, et ex ipsarum praescripto regimen Seminarii Nostri temperari iterum praecipientes, nonnulla in praesens proponenda arbitramur, quibus facilius, promptiusque finem Seminariorum pientissimum teneamus.

I. Perpendant sedulo Seminarii Moderator, aliique instituendis ibidem Alumnis praepositi, adolescentium sibi curam impositam, qui et Sacrorum tractationi, et Populorum regimini addicentur: non idcirco hominum privatorum rem agi, sed Ecclesiae nostrae negotium maximum urgeri, cui bonos operarios, ac navos conformare, omnique studio excolere ipsis datum est. Cum itaque timorem Domini, qui initium sapientiae est, eos primum perdiscere oporteat, spiritualibus octo dierum Exercitiis annum scholasticum auspicentur, ut animo ab omni sorde expurgato, piisque cogitationibus confirmato studiis se dedant: quae ut fructu uberiori, diuturnoque cumulentur, adsignari in menses singulos diem solitudinis, ac recessus animis expoliendis mandamus. Hinc et crebra ipsorum per Sacramenta procuratio, quibus quintodecimo saltem quoque die expiari singulos volumus, et statae quotidie precationes, et matutina rerum divinarum meditatio, et alia id genus pietati

(1) Praeter argenteam supellectilem Ecclesiae Cath. donatam Card Antouellus legavit mille aureos pro Paroecia ad densam et asperam Sylvam Ariani constituenda, quam ad exitum preducere sedulo adnisi sumus, ne diu sacrorum ope careant, qui ibidem extant agrariae, et pecuariae rei addicti.

(2) Typis Francisci Bourliè ann. 1816 Commendatum publico testimonio volumus Vincentium Maciotum Canonicum Veliternum Seminarii Moderatorem, cujus opera, et studio Regulae ordinatae sunt, et Seminarium ipsum feliciter floret.

fovendae, excitandae, tuendaeque urgeantur ab Seminarii Praesidibus accuratissime. Adstent frequentes Clerici universi e Civitate spiritualibus hisce exercitiis, quae initio studiorum, et mensibus singulis peraguntur in Seminario (1).

II. Curent Seminarii Praesides, Alumnos ad Clericalem disciplinam traducere, et in ea educare, atque instituere: hinc in iis maxime litterarum, ac doctrinae exercitationibus versari illos adigant, illorumque Auctorum volumina pervolutare, ex quibus verae sapientiae praecepta hauriant, non ad ingenia dumtaxat erudienda, sed ad animos quoque excolendos, cultuque Christianae, et Ecclesiasticae disciplinae instituendos apprime comparata. Libros proinde respuant, abjiciantque omnes, qui doctrinam sanam non praebeant, vel argumenta contineant, quae magnopere molles adolescentium animos subruunt, et saepe bonas quasque mentes labefactant. Imo nec commendatissimos Latinitatis auctores, nisi perpurgati sint, commentandos tradant Alumnis, ne plus inde moribus se nocuisse, quam profuisse ingeniis ingemiscant. Atque hoc quidem ea, qua possumus, maxima contentione ab iisdem expetimus, cum tanti intersit nervose, acriter, vigilanterque in id excubare, quanti aestimandum est, salvos eos esse, teterrimamque ab Ecclesia pernicem amoliri. Curam praeterea ut adhibeant summam, obtestamur, ut ne quid quamvis acutum, et plausibile afferant peregrini, vel novi dogmatis, nedum ab orthodoxa fide abhorrentis, verum in singulis quaestionibus celeberrima quaeque, et probatissima Doctorum placita sequantur.

III. Sit Clericis non in postrema cura studium, et exercitatio sacrarum coeremoniarum, certorumque rituum, quibus Sacra tractantur, divinaque officia obeuntur. Cantum praeterea Gregorianum addiscant, quo vocem, numerosque moderari, et psallere, et canere in Sacrorum procuratione scienter, et ex praescriptis modis possint (2).

IV. Desides adolescentes, atque a studio alieni, vel qui instituti disciplinam dedignari conspiciantur, poenis compescantur pro merito. Rectoris in id vigilantiam, sedulitatem, prudentiam compellamus, quibus vis omnis, ac robur perstat sanctioris, feliciorisque Alumnorum institutionis. Regulas servari sancte, religioseque ab omnibus curet; eas idcirco singulis mensibus legi inter epulas, summumque interea ab omnibus silentium teneri, operamque legenti

(1) *Plura cap. 1. §. 18. hac parte* Synod.

(2) *Vid. Bened. XIII. Const. Creditae §. postremo.*

intentam dari studeat. Advigilet cum primis, ne quid in iis appareat non ingenuum, non moderatum, non pudens, non decorum, pudicumque. Invisat eos crebro, et nec opinantes; clausa eorumdem recludat, arculas quoque excutiat, et si quid deprehendat, quod a bene morato viro absonum sit, auferat illico. Patientia, et charitate, solertiaque delatum munus conficiendum meminerit. Vindex tamen legum optimarum, perfringi eas impune, immortalique Deo ministrari negligenter, neque animo, et corpore ad pietatem composito res divinas curari, haud permittat. Spectaculis publicis, quamvis alioqui licitis, vel etiam sacris, multitudinis frequentia celebratis adesse Alumnos, non ita facile patiatur: accedentes vero etiam atque etiam jubeat, sine ullo arrogantiae, seu levitatis indicio modestiam, submissionem, decorum tenere. Graves incessu prodire eosdem in vias, moneat, solutiusque ambulantes in publico castiget sedulo, ut quem habent insitum animis pudorem, ac verecundiam, eum externo corporis habitu praeseferant, caveantque, ne supervacanea locutione, curioso oculorum obtutu, aliove incondito gestu, motuve corporis offendant quemquam, vel in Ordinis, Collegiique sanctitatem, majestatemque delinquant. Nihil novi moris in Seminarium induci se inscio dissimulet, principiisque vigilanter, et acriter obsistat, quippe qui exempli vim noscere debet, et rerum incrementa fallentia. Seditiosos vero, et alienae laudis obtrectatores, et rerum novarum cupidos non diu ferat: procaces, licentioresque, ac perditos adolescentes, qui corrumpendis ceteris, et in vitia deteriora misere abducendis opem, consilia, manum praestent, expellat illico, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. In puniendo id sequatur cum primis, ut noxae respondeat animadversio, et in suo quisque vitio plectatur. Difficilem sane, operosamque provinciam se nactum sciat: ast si in tristitia, in laboribus, in molestiis, in offensionibus seminandum sibi esse perdoleat, in gaudio se messurum fore non diffiteatur, quando in Ecclesiae spem educi ex sua disciplina bonos Christi milites praeclare instructos, operariosque in Dominicum agrum immitti inconfusibiles perspiciet, qui ad hominum salutem, et ad Dei gloriam allaborent. Haec ceteros etiam Collegii Doctores, aliosque Praesides monemus, quorum una ea laus sit, una mens, una contentio, ut nimirum nihil apud Alumnos fiat, nisi moderate, nisi quiete, nisi pudice, nisi ex hominis gravissimi, et sanctissimi disciplina. Praefectos praesertim in id hortamur impensissime, quibus cum assidua sit cum Alumnis consuetudo, adsidua quoque est adhibenda vigilantia, ne quid mali contingat (1). Corporis, et

(1) *Satius esset Praefectos nonnisi Presbiteros adsciscì ex plurium Synod. lege.*

animi munditiem urgeant, eumque cum Alumnis adloquii, usus, familiaritatis modum praestent, ut neque facilitas de auctoritate, neque severitas quidquam de suavitate detrahere videatur.

V. Verum et ipsi Alumni amantissimis Praesidum curis, optatisque respondere satagant cumulatissime ea, qua par est, fide, observantia, obediendique sollicitudine. Jugum portantes ab adolescentia, amaram non refugiant doctrinarum radicem, e qua fructus jucunditatis, et honoris percepturos se deinceps esse gratulentur. Incumbant seduli studiis non solum litterarum, artiumque optimarum, sed etiam ecclesiasticae disciplinae, atque ita indolem probare suam conentur, ut pro ingenii, indusiriaeque ratione portendant, pure, caste, apte, periteque sacras se res fore procuraturos. Meminerint, suarum esse, majores natu vereri, exque his deligere optimos, et probatissimos, quorum consilio, et auctoritate nitantur. Rectorem vero prae ceteris, ut parentem, unice diligant, et valde revereantur. Temperantiam in mensa probent suam, communi, et parabili cibo contenti, nec voraces sese exhibeant, quasi venter ipsorum Deus sit (1). Piaculum foret homine ingenuo, liberaliterque educato indignum, susurrationes in Moderatores, rumoresque excitare, tum inter edendum querelas habere, si forte per Ministrorum inscitiam, incuriamve cibaria male cocta, conditaque, vinumve fugiens, aut acidum praebeatur. De pietate vero, sensuque religionis, qua divinis rebus operam navare ipsi debent, multa jam universa hac Synodo decreta sunt (2). Adstent ipsi diebus festis in Cathedrali Basilica stato et numero, et tempore, omnesque conveniant, quando Canonicis circumsepti aut Sacra ipsi solemni coeremonia facimus, aut Sacris per eos curatis intersumus. Sedulitas eorumdem, diligentia, pietas, modestia nota sit omnibus, et ex ipso corporis statu mirentur omnes, quo ipsi animo divina persolvant.

VI. Ceterum studiis intenti praescripta ipsorum compendia perquirant, discendique mirabiliter avidi, hoc unum sibi impositum negotium reputent, ut doctrinae subsidium, ac litterarum cognitionem adjuvandis animis, ac divinae gloriae procurandae ex sui ordinis officio comparent impensissime. Hinc praeter ceteras litterarum exercitationes constitutis diebus coram Seminarii Praesidibus peragendas, anno scholastico exeunte, experimenta de peractis studiis multa coeremonia, Primoribusque e Clero, ac Civitatis Optimatibus accitis, publicabunt (3).

(1) *Ad Philip.* 2. 19.

(2) *Vid. praesertim hac part. cap.* 1.

(3) *Legatur Ben. XIV. Inst.* 59. *ubi late de Seminariis.*

VII. Hic porro indulgentissimi Pontificis Pii Septimi, quo salvo salva Res est, benignitatem, liberalitatemque in nostrum Seminarium singularem pùblico grati animi testimonio commendatam volumus, qui praeter auctum ejusdem censum ex fundorum quorumdam perliberali assignatione, illud etiam privilegium amplissimum attribuit, ut qui de bene peracto studiorum curriculo in Seminario Veliterno certis quibusdam experimentis rite, luculenterque edoceat, lauream ibidem in Philosophiae, et Theologiae facultatibus assequatur: cujus quidem immortalis beneficii memoriam nulla unquam delebit oblivio (1). Sint itaque Ecclesiae nostrae Alumni in studiis capessendis, diligentes, accurati, seduli, ac nedum dignos se praestent, quos tali honore cumulemus, sed quos etiam in ordinum, beneficiorumque petitione omnibus benevolentiae significationibus prosequamur. Curet vero Seminarii Rector, ut crebro de iis ad nos referat, tum quo quisque ingenio, et quam aptus ad progressus in litteris faciendos sit, tum qua indole virtutis praeditus, qua innocentia morum, qua animi docilitate ad parendum. Si enim quempiam ea ingenii tarditate esse, compererit, tamque ad disciplinas quaslibet obtusum, et hebetem, ut nulla de ipsius progressibus spes moveri possit, missum eum, perdolentes licet, ex Seminario faciemus, ut arbor magis fructuosa occupet ipsius locum utiliter (2).

VIII. Qui in Seminarii disciplinam tradi se cupiunt, preces de eo ferant, testimoniis Parochi, et Praeceptoris, quem audivere, commendatas, ut constet *indolem, ac voluntatem ipsorum spem afferre, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros* (3). Pauperum autem filios, concursu indicto, ex Tridentina lege praecipue eligemus, ut minori, qua possit, tributa mercede in Seminario alantur: discuperemus quidem gratuito eosdem in illud recipere: ast tot tantasque passum est ipsius patrimonium jacturas, ut id decernere omnino prohibeamur. Polliceantur vero Parentes Alumnorum, addito Sponsore, qui solvendo sit, sese tantum persoluturos, quanta praeter pactas annales mercedes summa impensarum in victum, cultumque filiorum fuerit, si deinceps in legitima aetate positi abs Clericali instituto desciverint (4).

IX. *Filios ditiorum non excludemus, modo suo sumptu alantur,*

(1) *Extant in Append. Litt. Apost. in forma Brevis de singulari hoc privilegio. part. 4. num. 15.*

(2) *Synod. Velit. Card. Cybo tit. 28.* §. 7.

(3) *Conc. Trid. sess. 23. cap. 18. de Ref.*

(4) *Sin. Velit. Card. Cybo tit. 28.* §. 2.

et studium praeseferant Deo, et Ecclesiae inserviendi (1). Habitu, et cultu ab ceteris Alumnis differre eos, non patiemur: eadem tamen et ipsos florere virtutis, ac probae indolis, ingeniique laude volumus, ac Seminarium de stata pensione incolume, ac tutum, datis etiam Praedibus, omnino praestari (2).

X. Cum vero rebus Seminarii gerendis quatuor viri ex Concilii Tridentini decreto adsciscendi sint, qui Episcopo in ea procuratione praesto sint, eos, quos a Nobis, et a Capitulo, et a Clero rite jam adlectos percensemus, obtestamur, ne in delato munere suam unquam desiderari patiantur industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, consilium in providendo. Cautum est quidem, adhibendum nobis esse consilium eorumdem, quin sequi ipsorum placita adigamur, cum imo liberum nobis sit, ea peragere, quae potiora nobis videantur (3). Attamen meminerint, adstare ipsos debere, quando praesertim gestae administrationis ratio ab loci Curatoribus reddenda est. Eos autem jubemus in mensibus singulis convenire, ut de Seminarii negotiis consulant, et Oeconomum audiant de iisdem referentem, quem de impensis in Alumnorum victum, cultumque, tum de necessariis rebus comparandis, tum de bonorum administratione nihil decernere absque eorumdem consensu mandamus (4). Summas autem, quae ex reditibus Mensae Episcopalis, et Capituli, aliorumque omnium, quae in Dioecesi sunt, beneficiorum tribuendae Seminario quotannis certa lege sunt, exigi accurate praecipimus (5).

XI. Binos insuper Deputatos Seminarii regimini, institutioni, ac disciplinae praepositos advigilare providentissime discupimus, ne quid adversus ipsius leges, ac statuta invalescat. Nos certe collatis cum iisdem consiliis de Doctoribus adsciscendis, ac de Alumnis severius puniendis, atque expellendis deliberabimus. Ast religionem ipsorum, pietatem, ac fidem compellamus, ut nullo peculiari affectu, non gratia, non odio ducti, sed unice ex studio in Collegii bonum intentissimo suo munere perfungantur. Certiores nos faciant, si quid gravius occur-

(1) *Ex Conc. Trid. loc. cit.*

(2) *Const. Sem. Velit. pag. 3. 4. 141.*

(3) *S. C. C. in Fundana 26. Mar. 1689. ad 2. . . . Bened. XIV. de Syn. lib. 5. cap. 11. §. 7. 8. . . . Consulat. Giraldus de Jur. Eccl. part. 2. sect. 109. 110.*

(4) *Ex Conc. Trid. sess. 23. cap. fin. de Reform . . . . Conc. Prov. Mediol. V. in Act. Eccl. Med. par. 1.*

(5) *Lex, et modus solutionis taxae constituitur ab Episcopo, cui facultas quoque a Tridentino tributa est uniendi in censum Seminarii beneficia simplicia. Bened. XIV. de Syn. lib. 9. cap. 1. Item S. C. Ep. 8. Mar. 1588.*

rat; urgeant adsidue constitutam disciplinam, legumque editarum executionem; illudque reputent animo, hanc esse optime de Ecclesia sua merendi rationem, eorum institutioni, educationi, pietatique adlaborare, qui institutis, moribusque Ecclesiasticis imbuendi, informandique segregantur a Populo, et in Atriis Domini collocantur (1).

XII. Cum autem Benedicto XIV. admoneamur, recte in pluribus Dioecesibus seu lege, seu consuetudine ad Concilii Romani normam receptum esse, ut nemo sacris initietur ordinibus, nisi vel plures annos, vel saltem definitum temporis spatium in Seminario traduxerit (2); cautum hic volumus, ut qui in sacros ordines contendunt, etiamsi titulo patrimonii eos petant, anno ante Subdiaconatum ad convictum in Seminario secedant, ibique perstent, donec in Sacerdotium sint cooptati. Testimonium proinde Praesidis Collegii proferant sacris ordinibus initiandi, qui de ipsorum in Seminario commoratione, atque laudabili morum, studiorumque disciplina luculenter perdoceat.

XIII. Ceterum qui e Seminario vel sponte, vel ex decreto Praesidum recedunt, nisi Clericali Tonsura polleant, vestibus, quae Clericum decent, adhuc induti in publico esse prohibentur. Eos vero, qui belle confecto studiorum curriculo e Seminario assensu nostro egrediuntur, rerumque sacrarum curationi se dedunt, nullum certe desiderare a nobis benevolentiae, dilectionis, et affectus officium sinemus, ea praeclara spe recreati, stimulos adolescentibus ceteris exinde admoveri, ut libentius Seminarii disciplinam sustineant, alacrioresque propositam virtutis, ac doctrinae semitam persequantur, saluberrimam deinceps Ecclesiae suae operam in re sacra gerenda mirifice commodaturi. Illud quidem animo proposuimus, eos, quo possumus, impensius adjuvare, ac si egentiores iidem sint, adniti, ut et egestati, et spei eorumdem apprime prospiciatur, ipsique divino cultui utiliter addicantur.

(1) *S. C. C. in Salernitan. lib. 6. decret. pag. 22. Pignatell. tom. 9. Consult. 81. Bened. XIV. de Syn. lib. 5. cap. 11. §. 7.*

(2) *Conc. Rom. tit. 30. cap. 2. Bened. XIV. de Syn. lib. 11. cap. 2. §. 11. Joann. de Joanne Hist. Semin. Cleric. cap. 6. §. 15. Idem a S. Francisco Salesio decretum fuerat, et in Conc. Turonensi ann. 813. Can. 12. apud Labb.*

CAPUT VI.

DE REGULARIBUS.

Varietas, quae circumdat Ecclesiam, quam adstare a dextris Dei in vestitu deaurato praedicamus cum Davide (1), ex multiplici Ordinum Religiosorum forma constituitur, qui turmae sunt selectorum Militum probatissimae, quibus veluti castrorum acie ordinata, suam Christus communivit Ecclesiam (2). Improbat eos quidem fallax, atque perversa hujus saeculi sapientia, et sacra haec virtutum domicilia, tamquam inutilia denunciat, et societati exitialia ex Diaboli artificio, qui *cum omnes Christianos oderit, probos tamen Monachos, Christique Virgines tolerare nullo modo potest* (3). Hinc in eos tela impiorum undique intenta, illatumque horrificum, ac nefarium bellum, omnique odio teterrime imbutum, dolos idcirco, calumnias, fallacias, machinas omnes adhibitas, ad eos perdendos, profligandos, conterendos, in summo Rei sacrae discrimine ingemuimus (4). Ast Eo bene juvante, qui dispersos congregans adproperavit consolationes suas, sanatque feliciter ruinas Israel, eos iterum patuisse gratulamur Hortos conclusos, quorum emissiones Paradisus. Nos profecto benedicimus Domino messis, qui tales in agrum nostrae villicationi concreditum operarios immisit, eosque ex Leonis X. Pontificis monito (5), *benevolo semper prosequentes affectu, charitative tractabimus, benigne fovebimus, nostrorumque laborum participes*

(1) *Psal.* 44. 10.

(2) Asretae *ab ἀσκήσεως exercitatione vitae durius asperiusque traducendae nuncupati semper in Ecclesia fuerunt: Foeminas* Ascetrias *dicebant. Holstenius Praefat. ad Reg. Veter. Monach. cap. 5. Pagius in Baron. ad an.* 318. §. 24. *Serius instituti sunt Monachi, Decio nimirum Imperatore: Thomassin. de Discipl. par. 1. lib. 3. cap. 12. Coenobia deinceps constituta sunt cura primum Pachomii in Aegypto; hinc a S. Basilio regulae praefinitae Monachis in Oriente. denique saeculo VI. S. Benedictus Monachorum in Occidente Pater regulas sanctissimas sancivit. Henschen ad diem 24. Maji... Hieron. in vit. Hilarion. Late Mobillon. Annal. Benedictin. in praef. et lib. 1.*

(3) *Ita inquiebat S. Antonius Ab. apud S. Athanas. in ejus vita.*

(4) *Religionis hostes nihil antiquius habere consuevisse, quam ut Religiosos insectentur, luculenter ostendit Card. Bellarm. lib. 2. de Monach. in Praefat.... Apposite S. Thom. in proem. operis contra impugnant. Dei cultum. Videat. Mamochius in Auct.* Quid est Papa? *Ep. 3* §. 15. *Item in Op.* Del dritto libero della Chiesa *Tom.* 2. *par.* 2. *pag.* 142. 231.

(5) *Const. Leon. X.* Dum intra §. 24.

prompta benignitate recipiemus, eorumque jura omni cum charitate custodiemus, ac tuebimur. Ast meminerint disciplinae, in quam se tradiderunt, eorumque, a quibus leges sibi dictae sunt, sanctitatem, innocentiamque ob oculos habeant adsidue, et in illorum institutis continere sese adnitantur, ne professionis sanctissimae antiquato cultu, speciem tantum, atque habitum pietatis praeferant, nomenque, ac vestem vita, moribusque refellentes, integritatem spurcitiis, copiarum contemptum cupiditate, parendi studium contumacia, ac superbia, religionem denique, ac modestiam licentia, et procacitate corrumpant. Haec sane eos hortamur in Domino vehementer, obtestamurque: eaque est opinio, quam de ipsis suscepimus summopere praeclaram, ut aemulaturos eos fore in dies charismata meliora haud diffiteamur. Non iis tamen grave sit, atque acerbum, nonnulla hoc capite a nobis ex sacrorum Canonum praescripto proponi, quae si accurate, sancteque, ut confidimus, ab ipsis serventur, id certe fiet, ut ea, quam Gregi nostro curando, adjuvandoque operam navabunt, et ipsis laudem, et nobis consolationem, et populo demum utilitatem afferat cumulatissimam.

I. Etsi jure vel a prisca vetustate ex Romanorum Pontificum providentia constabilito, et per Concilia Ecclesiae universalia, ac denuo per Tridentinam Synodum probato sint Regulares viri ab ordinaria Episcoporum potestate exempti, unique Apostolicae Sedi subjecti (1), permulta adhuc sunt, in quibus ab Episcoporum judicio, et regimine pendere ipsi omnino debeant, nec non alia complura, in quibus Episcopi delegata sibi a Tridentina Synodo, et a Romanis Pontificibus jurisdictione in eosdem sunt instructi. Hinc quae de Religiosis ad Ordines initiandis decreta sunt, tum de litteris ab eorum Superiore afferendis, tum de scientiae experimento coram Episcopo obeundo, accurate servari mandamus (2). Teneant praeterea, quae de verbi divini praedicatione sancivimus (3), neque

(1) *Hujusce exemptionis exempla sunt apud S. Gregorium M. aliosque antiquissimos Summos Pontifices, illaque, ipsis plerumque rogantibus Principibus, attributa fuit: videtur Thomassin. de discipl. par. 1. lib. 3. cap. 30. Bianchi* Dell'esteriore Polizia della Chiesa *lib. 2. cap. 2. §. 5. Tom. 4. Mamach. contra Eybel. Ep. 3. § 14. Zaccaria in Antifebron. Vindic. diss. 9. cap. 4. Praecipuas exemptionis causas enumerat Petrus Blesensis Ep. 68. ad Alexandr. III. Van-Espen. par 3. tit. 12. cap. 2. Conc. Trid. sess 25. cap. 11. de Regular. Gregor. XV. Const.* Inscrutabili: *Bened. XIV Const* Quamvis.

(2) *Sup. part. 2. cap. 9. §. 17.*

(3) *Hac Syn. part. 1. cap. 7. vid. Append. num. 14. 15.*

ab statis de ea legibus secedant. Conciones neque in suis, neque in ceteris quibuslibet Ecclesiis, habere se posse meminerint, nisi a nobis benedictione, et facultate ejus rei accepta (1): item habente concionem Episcopo, concionari in sui Ordinis Ecclesiis liberum sibi non esse (2): non insuper injussu nostro manus Energumeno ulli admovere (3): non mulieribus post editum partum benedictionem purificationis impertiri (4): non Sabatho Sancto aedes saecularium aqua lustrare (5): non eadem Sabathi Sancti die campanis sonitum edere, priusquam a majori Ecclesia signum acceperint (6): non Reliquias novas, nova Miracula, novas Indulgentias sine permissu nostro promulgare (7): non demum si id juris iisdem est, benedicere populo solemniter, nisi antea scripto ipsis a nobis, vel a Vicario Generali venia facta sit: ea porro benedictio nec trina, nec Diacono, ac Subdiacono ministrantibus, neque adversus Benedicti XIV. et Clementis XIII. praescripta impertienda omnino est (8).

II. In Sacramento autem Eucharistiae sancte custodiendo, ac venerationi Populi proponendo, atque de Oratione quadraginta horarum, tum de aliis precationibus conditiones sancitas adhibeant (9), et interdictos se noverint sine concessu nostro publice, solemniterque ipsam exponere. Administrare vero ipsam in suis Ecclesiis possunt semper praeter diem Paschatis, quo nec iis, qui a Parocho eam sumpserunt, iterum illam praebere fas erit (10), nisi de Monasterii familia res sit, quam die etiam Paschae Communione procurare jus ipsis est (11).

III. De Poenitentia haec decreta sint. Explorata res est, quam

(1) *Ex Conc. Triden. sess. 5. cap. 11. de Reform. .... Syn. Card. Cybo Tit. 34. §. 12. ... Gregor. XV. Const.* Inscrutabili ... *Clem. X. Const.* Superna.

(2) *Bened. XIV. de Syn. lib. 9. capit. 17. §. 7.*

(3) *Ex litteris Encyclicis S. Inquisit. relatis in Append. Par. 1. num. 10.*

(4) *Ex decretis S. R. C. ad dub. 6. relat. in Append. part. 4. num. 13.*

(5) *Legatur Barbosa de Parochis part. 1. cap. 12. §. 12.*

(6) *Ex Constit. Leonis X.* Dum intra mentis .... *Item Bened. XIV. instit. 20.*

(7) *Ex Conc. Trident. sess. 25. de Invocat. Sanctorum ... Bened. XIV. de Syn. lib. 9. cap. 15. §. 5.*

(8) *Bened. XIV. Const.* Exemplis ... *Clemens XIII. Const.* Decet Romanos Pontifices 30. *Aug. 1763.*

(9) *Hac Syn. par. 2. cap. 4. §. 8. et seq. et in Append. par. 2. num. 3. 12.... Ben. XIV. in Ep. ad Episcop. Warm.* Accepimus §. 6 *de Syn. lib. 4. cap. 15. §. 4. et Instit. 30.*

(10) *Bened. XIV. in Ep. ad Primat. Polon.* Magno §. 21.

(11) *Vid. sup. part. 2. cap. 8. §. 7. quo de Coenobiorum familia res est.*

quae maxime, Regulares, nisi Parochi sint, vel facultatem a nobis, aut a Vicario nostro habuerint, non posse Saecularium quorumlibet etiam Sacerdotum confessiones audire, irritasque proinde esse absolutiones ab Regulari, qui probatus neutiquam fuerit, attributas (1): item nec a casibus Episcopo reservatis absolvere eos posse, etsi de casibus, et censuris Pontifici reservatis potestas iisdem sit (2): item nec Moniales quaslibet, licet ex Monasterio Regularibus subjecto, poenitentia procurare, nec si ad unum Monasterium sint probati, in altero confessiones excipere, vel facultate semel pro una vice sibi tributa praeter concessionis limites uti (3). Periculum vero accuratissimum facient Regulares coram nobis, ut satis illos scientia excultos dignoscamus, quibus tantum illud munus demandemus (4). Eosdem insuper litteris Praefecti Coenobii commendari volumus, quibus *testatum fiat, eos in probatissimis etiam pro Confessariis datis S. Caroli monitis instructos esse, et vitae disciplina, ac moribus probatos haberi, ac dignos, quibus tantum onus laudabiliter imponatur* (5). Confidimus autem, eosdem non gravate laturos fore, nos ab iis exposcere, ut legibus, quas Confessariis hac nostra Synodo descripsimus, obtemperent (6), lubentesque suam nobis operam in hujusce Sacramenti administratione esse commodaturos, christiana charitate compulsos, quae nunquam excidit, cunctaque arbitratur, ut lucra, quando sint ad animarum salutem, et ad Dei gloriam procurandam intenta.

IV. Ceterum Eucharistiam aegris, vel extremam Unctionem iis tantum possunt Regulares administrare, qui ex familia Coenobii sint (7). Nisi enim necessitas urgeat, *Religiosi, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unctionis extremae, et Eucharistiam ministrare praesumpserint, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali, sententiam excommunicationis incurrent ipso facto per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendam* (8). Haec et de hospitantibus in Monasterio decreta sunt, quos et procurari ab Parocho Sacramentis, et in Paroecialem Ecclesiam oportet efferri, nisi forte aliud testamento praeceperint (9).

(1) *Ex Conc. Trid. sess 23. cap. 15. de Reform. Item Pius V. Const.* Romani Pontifices ... *Urbanus VIII. Constit.* Cum sicut ... *Bened XIV. Const.* Apostolicum Ministerium §. 7. *Vid. prop. 13. inter proscript. ab Alexandro VII.*

(2) *Clemens X. Const.* Superna §. 7.

(3) *Ex Const cit.* Superna. *Vid. sup. part. 2. cap. 6.* §. 3.

(4) *S. Pius V. Const. 33.*

(5) *Ex Conc. Rom. Tit. 32. cap 2.*

(6) *Vid. Bened. XIV. Inst. 86* §. 8. *et seq. ... Hac Syn. part. 2. cap. 6.*

(7) *Vid sup. part. 2. cap. 8.* § 7.

(8) *In Clementin. 1 de Privileg.*

(9) *Cap.* In nostra. *De sepulturis ... S.C.C. in Monopolitan. 27. Sept. 1670. Ravennaten. 20. Jun. 1674.*

V. Advigilent Coenobiorum Praefecti, ne quid a recta disciplina absonum suae familiae Alumni sacrum operantes committant (1). Hinc qui primo ad Aram facturi sunt, in Sacrificii disciplina, ritibusque instituantur perite, instruanturque, neque ad rem divinam accedant, nisi cuncta eos satis commode obire, suamque in sacrificando rationem probasse constiterit (2). Licet quidem Sacerdotibus Regularibus in sui Ordinis Ecclesiis pro ipsius institutis sacrificare: ast nec ipsi Presbyteros ceteros peregrinos, et alienigenas admittant ad Sacra, qui ex allato de moribus, ac vita spectata testimonio Antistitis sui veniam ab nostra Curia celebrandi susceperint (3). Adire Ecclesias Monialium divinae rei faciendae causa, nisi scitu, ac permissu nostro, prohibentur Regulares, praeter solemniores dies, quibus id speciatim sinamus (4). Eleemosynam Sacrorum ex Dioecesis norma suscipiant (5). Si quae in Ecclesiis Regularium Sodalitates, Coetusve sint, quibus Altaris, seu Aediculae cura, ac tuitio sit commissa, ea visitare, et de legatis exquirere jus erit Episcopo (6), cui Regulares ipsos de testatorum voluntatibus rite exequendis urgere, ac perscrutari auctoritas est (7).

VI. Statas per annum supplicationes publicas, aliasque ab Episcopo indictas obeant Religiosi Viri, proprio quique cum sui Ordinis ornatu, iis exceptis, qui ex legitimo privilegio exsoluti eo onere sint. Poenas ab inobedientibus repetere possumus (8). In incessu pompae, et in funeribus ducendis si qua de loco, ac dignitate contentio inter Ordines sive Saeculares, sive Regulares exoriatur, nostrum erit eam dirimere, ac definire ex bono, et aequo: ab nostro autem decreto provocatio nulla sit (9).

VII. Nulla quidem in nostra Dioecesi Paroecia extat, quae a

(1) *Ex Conc. Trid. sess. 21. de observand. et vitand. in Celebr. Miss.... Fagnan. ad cap.* Grave *46. de Off. Ordin. Bened. XIV. de Syn. lib. 9. cap. 15. §. 5.*

(2) *Vid. sup. part. 2. cap. 5. §. 10.*

(3) *Vid. supr. part. 2. cap. 5. §. 19.... Bened. XIV. Const.* Apostolicam *§. 6.... Syn. Velit. Card. Cybo Tit. 34. §. 6.*

(4) *Legatur Monacellus Tom. 1. Tit. 9. ad Form. 23. §. 8.*

(5) *S. C. C. Romana 15. Jan. 1693. Bened. XIV. de Syn. lib. 5. cap. 9. §. 2. Vid. sup. part. 2. cap. 5. §. 20. et seq.*

(6) *Bened. XIV. de Syn. lib. 13 cap. ult. §. 6.... S. C. C. Forolivien 23. Mart. 1764.... Nucerina 23. Jun. 1759.... Ravennaten. 7. Apr. 1731.*

(7) *Clement. unica de Testamentis.*

(8) *Ex Conc Trid. sess. 23. cap. 13. de Regular.... Congreg. part. sub Urbano VIII. 27. Jul. 1628. apud Pignatel. Tom. 1. Consul. 122. Bened. XIV. de Syn. lib. 9. cap. 15. §. 2.*

(9) *Gregor. XIII. Const.* Exposuit *84.... S. Pius V. Const.* Divina *71.... Clemen. XIII. Const.* Inter cetera *13.*

Regularibus procurata sit: notatum tamen volumus, Parochos Regulares *in iis, quae ad animarum curam, et ad Sacramentorum administrationem pertinent, Episcoporum jurisdictioni, visitationi, et correctioni immediate subesse*: eos vero posse ab Episcopo ad nutum e Paroeciali munere dimoveri, quin Moderatorum consensum exquirere, aut causam judicii sui iisdem patefacere, aut probare adstringatur(1). Huc spectant, quae de Regularibus, quos ad Confessiones audiendas adsciscamus, decreta sunt, ut ad congressus de Theologicis, ac Liturgicis quaestionibus accedant, nisi iidem juxta Clementis VIII. decretum suis in Coenobiis habeantur.

VIII. Meminerint Religiosi interdictum sibi nominatim esse ex Pontificum, Sacrarumque Urbis Congregationum decretis (2) accedere ad Monialium Monasteria, nisi forte Confessarii earumdem forent. Praeter mortalis peccati noxam majorem excommunicationem, et privationem vocis activae, et passivae ipso facto incurrent, si forte vel perbrevi temporis spatio cum ipsis Monialibus, aut aliis, quae in Monasterio degant, auserint absque eo, quo par est, permissu colloqui, tametsi honestam, ac rationabilem causam iidem obtendant, vel praetextu se tueantur spiritualis instructionis illis dandae etiam post concionem ad eas habitam. Poenas ceteras ab iisdem, tamquam Apostolicae Sedis Delegatos, repetere Episcopos posse, cautum jure est. Alloquendi Moniales primo, aut secundo gradu consanguineas facultatem Regularibus de scripto facere ad Episcopum spectat: eam tamen nonnisi quater in annos singulos, nec Adventus, aut Quadragesimae temporibus, ac certis quibusdam conditionibus tribuemus (3).

IX. Vetantur Regulares ex Tridentini lege extra Monasterium degere, nisi ab Moderatoribus missi, aut vocati fuerint (4): quod si ab illo discesserint etiam per speciem visendi suos absque Moderatorum concessu, puniri ab Episcopo poterunt, uti disciplinae desersores (5). Eos porro degentes extra claustra corrigendi, puniendique nobis jus est (6). Imo etsi in Monasterio vivant, et ex-

(1) *Bened. XIV. Const.* Firmandis 1744. ... *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 11.*

(2) *Ex decret. relat. in Append. part. 4 num. 16. Vid. Bened. XIV. de Syn. lib. 9. cap. 15. §. 7.*

(3) *Decret. Edit. 20. Nov. 1623. sub Urb. VIII.*

(4) *Ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 4. de Regular.*

(5) *Syn. Velit. Card. Cybo Tit. 34. §. 6.*

(6) *Conc. Trid. sess. 6. cap. 3. de Refor.* ... *Bened. XIV. Const.* Pontificia.

tra illud ita notorie deliquerint, ut populo scandalo sint, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniantur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat (1). Clementis VIII. providentia apprime consultum est ad fraudes arcendas, quae fieri possunt adversus Episcopum loci, in quo Regularis deliquit, cum eum Praepositus mittit in Monasterium extra Dioecesim, ne ipsum punire cogatur (2).

X. Gravitas, modestia, abstinentia, solitudinis amor, et discessio a saeculo, cui nuncium remiserunt, populi reverentiam erga Regulares quoslibet conciliabunt: iis ergo praeluceant, neque desides se, et otiosos praebeant, jocis, lusionibus, ludicrisque sermonibus distenti in aedibus Saecularium. Leges teneant, quibus vetantur soli, nulloque comite circumcursare per civitatem, perque oppida (3). *Pisces nutriri aqua*, inquiebat Antonius: *Monachis vero ornamento esse solitudinem: et quemadmodum illi, simul atque terram attigerint, vitam amittunt, sic istos, cum ad urbem accedunt, monasticam gravitatem perdere* (4). Lata exinde lex, qua Foeminae Regularium septis, adytisque prohibentur, ne excommunicationem a Pontificibus statutam contrahant (5). Septorum autem finibus horti quoque, viridaria, nemus concludatur, si continentia, adjunctaque septis sint, ac si ad ea e Monasteriis ipsis, non per publicam viam, transitus sit.

XI. Solent Regulares, antequam vota suscipiant, suis sese bonis abdicare, eaque in alios conferre: constitutae idcirco sunt leges, quibus eae renunciationes peragendae sunt: emitti enim eaedem nequeunt, nisi cum venia Episcopi, aut Vicarii Generalis, duobus ante Professionem mensibus, et tantum post illam rite editam vim, atque exitum nanciscuntur, ita ut nullius momenti sint, nisi Professio absolvatur (6). Cum autem suceptum semel institutum deserere temere, ac suo arbitratu liceat nemini ex votorum sanctitate, quae Altissimo reddita fuere (7), non inde tamen qui vi, me-

(1) *Conc. Trid. sess. 25. cap. 14. de Regular.*

(2) *Clemens VIII. Const.* Suscepti muneris *118.*

(3) *Syn. Velit. Card. Cybo Tit. 39. §. 2.*

(4) *Legatur Sozomenus lib. 1. cap. 13.* Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur? *Scribit S. Hieron. Ep. ad Rustic. cap. 8. Agitur etiam ea de re in leg. 1. Cod. Theod. de Monachis.*

(5) *Bened. XIV. Const.* Regularis *1742.*

(6) *Conc. Trid. sess. 25. cap. 16. de Regul.*

(7) *Deserere institutum nemo potest, nisi aut arctius amplectatur, aut*

tuque, aut etiam antequam per aetatem liceret, disciplina initiatum, eamque profiteri coactum se censeat, aliasve in suam professionem causas obtendat, opportuno juris remedio se carere existimet: decreta siquidem a Benedicto XIV. providentissime fuere, quae hisce in causis tractandis necessaria sunt (1), eaque si quando opus sit, servari omnino volumus. Edicimus tamen, neminem auditum iri, qui regularem habitum dimisit, nisi primum eum denuo susceperit, ac redierit ad Monasterium, unde discesserat (2), ne pro desertore, et apostatae loco habeatur, poenisque debitis castigetur (3). *Quid est, Claustralem ad saeculum redire, nisi coeli habitatorem cadere in infernum?* miseros hosce, qui e Religiosis Institutis desciscunt, compellamus cum Petro Blesensi (4), illudque S. Anselmi perdolentes denunciamus: *Nihil salubrius potuerunt incipere; nihil periculosius possunt relinquere* (5).

XII. Novum Monasterium sine venia Episcopi, ac Sedis Apostolicae excitari non posse, Tridentini Patres decrevere, ac deinde Romani Pontifices Clemens VIII., et Gregorius XV. editis constitutionibus sanxerunt (6). Non eam tamen veniam concedemus, nisi advocatis, auditisque tum Praefectis, ac Curatoribus Monasteriorum, quae sunt in locis circumpositis per quatuor millia passuum, tum Parocho, intra cujus Paroeciae finibus nova Religiosorum Familia condenda est (7). Praeterea nullum est extruendum Coenobium, nisi in eo duodecim saltem Religiosi degere, atque ex reditibus, vel ex corrogata, aut collatitia stipe sustentari possint (8). Praescripta ab Innocentio X., et ab Alexandro VII. de minoribus Coenobiis, quibus sex saltem non aluntur Religiosi probatae vitae, quorum ad minus quatuor sint Sacerdotes maturae aetatis, heic commemorare opportunum est (9).

a Summo Pontifice veniam obtineat. Vid. Girald. Jur. Eccl. part. 2. sect. 50. De potestate Pontificis ad Regulares ab Ordine dimittendos legatur S. *Thomas 2. 2. qu. 88. ar. 11. Schmalzgrueb. Jur Pontif. lib. 3. par. 4. tit. 31. §. 7. 8. Pirhing. Jur. Eccl. lib. 3. tit. 31. sect. 3. §. 8.*

(1) *Bened. XIV. Const.* Si datam 42.

(2) *Ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. de Reg.*

(3) *S. C. C. decr. de Apost. et Eject. 21. Sept. 1624. Legatur Thesaurus de poen. verb. Apostata a Religiosa profess.*

(4) *Petrus Blesensis Ep. 13.*

(5) *S. Anselm. lib. 3. Ep. 13.*

(6) *Ex Conc. Trid. sess 25. cap.* 3. *de Regul. . . . Clemens VIII. Const.* Quoniam ad institutam. *Gregor. XV. Const.* Cum alias 70.

(7) *Const. cit. Bened. XIV. de Syn. lib.* 9. *cap. 1. §. 9.*

(8) *Const. Innocent. X.* Instaurandae 157.

(9) *Innocent. X. Const. cit. et in decr.* Ut in Parvis. *Consul. Girald.*

XIII. Spectant aliquo modo ad Religiosorum coetum Eremitae; qui solemnem olim coram Antistite professionem edebant, in praesens autem nec institutum ullum profitentur, neque obedientiae, alioque voto obstringuntur (1). Leges in Concilio Romano de iisdem latas servari per eos accuratissime, rationemque de iis singillatim coram nobis identidem reddi mandamus (2). Eos proinde ad curandas Aediculas per agros sitas, vel alium aliquem in locum admitti vetamus a Parochis, nisi probati a nobis fuerint. Ceterum crebra animae per Sacramenta expiatione, meditatione rerum coelestium, studio pietatis, integritate morum, rationem habitus, quem gestant, commendent, neque consuetudine foeminarum, turpi incontinentia, foedaque intemperantia ab instituto desciscant. *Sit iisdem*, dicimus cum Hieronymo (3), *Eremitorium Paradisus, sit jugis eorum cum Deo conversatio, ac quod sunt professione, actione potius, quam nomine demonstrent.*

XIV. Haec de Religiosis in medium proferre, visum est. Teneant ipsi alacres susceptum perfectionis iter, arduum quidem, sed divinae caritatis dulcedine conspersum, eo facilius aeternae gloriae bravium assequuturi, quo expeditiores current in stadio. Pudeat eos illa iterum sectari, quae sibi fugienda proposuere, et ad mundi illecebras redire, quibus renunciarunt. Pudeat aeterno lumini eam calumniam irrogare, ut qui saecularis, carnalisque vitae obscuram noctem agnoverunt, illam tamen rursus divino lumini praeferant: comparationem quippe videtur egisse, qui utramque cognovit, et judicato pronunciasse eam meliorem, cujus se rursus esse maluerit (4). *Quid insipientiae*, clamat Bernardus (5), *imo quid insaniae est, ut qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus? . . . Agite ergo, Dilectissimi, et in his, quae coepistis, solliciti estote perseverare, et abundare magis, ut augeantur in dies incrementa frugum justitiae vestrae.*

Jur. Eccl. par. 2. sect 156. ubi late de parvis Monasteriis ex Constitutione Innocentii XII. De Granciis legatur idem Cirald. Jur. Pont. part. 1. sect. 597. Fagnan. in discept. de Granciis post tit. de Cens. exaction

(1) *Ex S. Ambrosio de Sacerdot. dignit. cap. 3. Synod. Constantinopol. can. 42. S. Thom. 2. 2. qu. 186.*

(2) *Conc. Rom. in Append. num. 21.*

(3) *Ep. ad Rusticum.*

(4) *Tertullian. lib. de Poenit. cap. 5.*

(5) *Ep. ad Monach. S. Bertini quae est 341.*

CAPUT VII.

DE SACRIS VIRGINIBUS.

Virgines Deo devotas, quas candor lucis aeternae Christus Jesus sibi sponsavit in fide, et in justitia, in misericordia, et miserationibus (1), nostras intentissimas sollicitudines, curasque distinere opus est. Maceria depulsa, patuerunt in miserrima rerum conversione Vineae Engaddi, et quo descendebat Dilectus, ut comederet fructum pomorum suorum, et myrrham meteret cum aromatibus, prorupit aper de sylva, et singularis ferus. E foraminibus petrae, in quibus habitabant Columbae, per impietatis portentum disjectae, laborarunt in gemitu Filiae Sion squallidae. Ast audita est tandem vox earum, quae dulcis est Sponso: ipse stans post parietem factus est fortitudo pauperi, ipse spes a turbine, ipse umbraculum ab aestu (2). *Ecce, ecce Deus noster iste*, conclamavimus in jubilatione, *expectavimus, et salvavit nos . . . . Iste Dominus : sustinuimus eum, et laetati sumus in salutari ejus* (3). Remearunt Virgines inclytae amictae auro primo juxta fluenta plenissima, juxta fontes aquarum, quae fluunt impetu de Libano, coronam accepturae de manibus Sponsi e montibus Pardorum, e vertice Sanir, et Hermon. Alacres quidem currunt post vestigia ejus, novoque in dies igne conflagrant. Ast eas denuo stimulis excitare, ut sanctificatae adhuc puriores se, sanctioresque exhibeant Christo, vere *Bellatrices ejus* (4), studium charitatis, quo ipsas complectimur, nos adigit, ut uberiora semper conquiramus incrementa frugum justitiae earum. Hinc nonnulla, quae de ipsis tradenda nobis, decernendaque essent, satis late percensuimus Commentariolo, quod vulgari sermone scriptum, et ad ipsarum intelligentiam maxime accomodatum nuper edidimus, atque Monialibus universis Dioecesis nostrae dandum curavimus. Nos quidem, quae statuta, praeceptaque ibidem sunt, omnia per easdem servari, easque eorum praeceptorum jure teneri, ex hujusce Synodi auctoritate decernimus (5). Hic porro ne acta reagere videamur, ea, quae memorato Libello de religiosa Monialium vitae ratione, tum de Septorum custodia, aliisque earum muneri-

(1) *Oseae* 2. 17.
(2) *Isaias* 25. 4.
(3) *Isaias* 28. 9.
(4) S. *Hieron. Ep. ad Laetam*.
(5) *Ristretto di ciò, che si prescrive dai S. Canoni, e Pontificie Costituzioni alle Sacre Vergini della Città, e Diocesi di Velletri Roma pel Bourliè* 1818.

bus protulimus, consulto ommittimus, certa quaedam dumtaxat adnotantes, quae necessario monenda arbitramur (1).

I. Legem clausurae primo omnium commendamus, qua ex Bonifacii VIII. constitutione vetantur Moniales egredi e septis Monasterii, *nisi cogat exire vis major, quae superat legum potestatem, ut magnum incendium, vel morbus leprae, aut epidemiae* (2), aquarum exundatio, hostium impetus, Coenobii ruina, aliaque id genus, quae subitam fugam exquirunt, *cum ab omni lege necessitas extrema sit exempta* (3). Debet tamen praeter Superiorem, cui Monialis subest, Episcopus morbum, causamque, si per tempus liceat, luculenter cognoscere, veniamque scripto concedere (4). Ceteris etiam eadem ingredi septa vetitum est sine permissu nostro ex justis, et necessariis causis impertiendo, quale commune servitium foret, aut valetudinis curatio, aut salus animarum (5). Sedis autem Apostolicae auctoritas imploranda est, quando praeter memoratas causas clausurae leges relaxandae sint. Infantes vel paucorum mensium etiam per rotas immitti in Monasterium nefas est (6): dedecet quoque catellos a Monialibus ali in Monasterio.

II. Confessarius ad procurandas Sacramentis aegrotantes ingrediatur veste ad talos demissa, imo et cotta, ac stola sub ipsis foribus Monasterii indutus (7). Solus ipse sit, si saecularis: si vero Religiosus, comitem habeat moribus, et gravitate spectatum, qui ipsum in Sacramenti administratione intentum videat, et ab eodem cernatur (8) quin tamen nec ipse, nec Confessarius Religiosus praeter officii necessitatem Moniales alloquantur (9). Nefas est hac occasione alio vagari, etiam ad alias infirmas invisendas, quibus

(1) *De prisca Monialium institutione legatur Thomassin. de disciplin. part. 1. lib. 3. cap. 44. Murator. diss. 66. Tom. 3. part. 3. Ballerin. in Zenon. dissert. 3. cap. 1.*

(2) *Cap. 1. de Statu Regular. in 6. S. Pius V. Constit.* Circa pastoralis *13. et const.* Decori *139. Late de clausura disputat. Bened. XIV. de Syn. lib. 13. cap. 12. §. 26.*

(3) *Cap.* 3. §. Profecto *de verb. significat in 6.*

(4) *Ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 5. de Regular.*

(5) *Ad clausurae legem diligenter custodiendam pertinet const. Greg. XIII.* Ubi gratiae *44. const. Pauli V.* Facultatem *117. item const. ejusdem* Monialium *203. const. Clement. X.* Apostolatus *198. const. Benedicti XIV.* Salutare *40.*

(6) *Bened. XIV. Inst. 29. §. 24. S. C. C. Justinopolitan. 22. Sept. 1651. Vid. Nicol. V.* Clausura, *et V.* Canis.

(7) *Alexander VII. const.* Felici *§. 9.... S. C. Ep. 13. Sept. 1583.*

(8) *S. C. Episc. in Neapolitana 10. Jun. 1616.... Alex. VII. const. cit.*

(9) *S. C. Ep. in Nolana 21. Febr. 1617. Vid. Nicolius V.* Accessus *§. 2.*

Sacramenta non sint administranda (1). Pateat infirmae cubiculum, ut Confessarius cum ea conspici, non item audiri ab inspectantibus possit (2).

III. Praeter communem, et *Ordinarium*, quem dicunt, Confessarium, bis, aut ter in anno *Extraordinarium* ex Concilii Tridentini decreto designabimus, cui Moniales liberius intimos animi sensus patefaciant, cui proinde universae in Monasterio degentes se sistant, sive ad expianda crimina, si lubet, sive ad monita salutaria audienda (3). Per id temporis accedere Confessarium ad Monasterium, vel ex iis aliquam, quae ibidem extet, audire, interdictum est; secus poena privationis muneris perpetuae plecteretur (4). Confessori post expletum triennale munus, vel Extraordinariis liberum non sit earum, quae in Monasterio degunt, spirituale regimen, vel epistolarum ad eas commercium persequi (5). Auctoritate is quippe Confessionum audiendarum privaretur. Extant in Appendice monita saluberrima pro eo munere rite, ac recte gerendo, quae serio diligenterque pervolvi ab iis expetimus, qui in illud adsciscuntur (6). Penes Confessarium jus est ministrandi sacramenta iis, qui in Monasterio vivunt, iisdemque Aquam, Cineres, Palmas, Candelas rite piatas diribendi, tum defunctis Monialibus parentandi (7). Puellae, quae Monasteriis educandae traduntur, si in iis decedant, efferendae ad Paroeciam sunt, nisi vel sepulcro majorum potiantur, vel locum sibi mortalitatis elegerint (8). Censetur vero earumdem Parochus, qui paterni, materni, seu fraterni ipsarum domicilii Parochus est. Si advenae eae sint, Parochus Monasterii suis illas oviculis accenset (9). Hoc jure matrimonia regantur, si quando ab iisdem ex Sacrae Congregationis auctoritate ad crates Monasterii contrahenda sint (10).

IV. Coenobii cujusque procuratio certis, et idoneis hominibus

(1) *S. C. Ep. 13. Sept. 1583. Legatur Gavantus in Manual. V.* Monialium clausura 44.

(2) *Ex const. Alexand. VII.* Felici.

(3) *Ex Conc. Trid sess. 25. cap. 10. de Regular. Bened XIV. Const.* Pastoralis §. Porro. *Ipse vero censuit, Episcopos esse debere faciles in concedendo extraordinario Confessario certae alicui Moniali. De Syn. lib. 13. cap. 12. §. 17.*

(4) *Cit. const.* Pastoralis §. Quoniam *Edict. jussu Clem. XI. 12. Decembr. 1708.*

(5) *Clemens XI. Edicto cit.*

(6) *Append. part. 4. num. 19. 20.*

(7) *S. C. C. in Novarien. 23. Aug. 1727. ad 3.*

(8) *S. C. C. Feretrana 21. April. 1742 Pignatellus Tom. 7. consult. 67.*

(9) *Statuta Cleri Rom. cap. 3. de Jure eligendi sepult §. 9.*

(10) *Bened. XIV. Inst. 33. §. 16.*

consuevit demandari, ut nedum Moniales negotiis Aedis gerendis praepositae rationem coram ipsis reddant, sed ut ad jura Monasterii vindicanda, ad septa custodienda, ad sumptus moderandos, ad res creditas repetendas, ad agrorum denique tuitionem, aptamque culturam conficiendam ea sedulitate iidem pervigilent, quam vir navus, acer, et industrius adhiberet (1).

V. Index eorum, quibus ex justis, gravibusque causis ingrediendi in Monasteria potestas fieri solet, subscribi a nobis, vel a Vicario Generali omnino debet (2). Noverint vero sese excommunicatione adstringi, qui ad certum opus ingressionis facultate donati, ad aliud praestandum ingrediantur, vel plus quam constituta opera exquirit, alio curiosius vagentur, vel praetextu ligni, saxi, aut quid aliud oneris importandi, vel jumenti circumducendi introitum in illud sibi aucupentur (3), vel demum ex justo alias tributo permissu comoediis, aliisque lusionibus per nos probatis ibidem aspectandis immorentur (4). Notum porro est horis ante solis ortum, vel post ipsius occasum nemini praeter Medicum, vel Confessarium, Sacerdotemve alium infirmis ad extremum laborantibus adjutandis ingressum patere (5). Ingredientes id unum monemus, ut habitu, incessu, totaque corporis actione, oculorum praesertim modestia, et adloquii gravitate nihil scurrile, nihil indecorum, nihil ex imprudentia praeferant. Portam Monasterii, nonnisi ad necessitatem, vel honoris causa, si persona dignitate praefulgens succedat, reservari fas sit (6). Vetamus vero certam quamdam indecoram, et abs Monastico silentio, et studio solitudinis summopere alienam nundinationem rerum quarumlibet, ac praesertim dulcicolarum, ex qua incommoda ingentia promanare prudentiores quaelibet Moniales probe dignoscunt. Carceris poena animadvertemus, si quem personatum ad Monasteria accessisse constiterit. Prospectum, introspectumve in ea ex continentibus aedificiis haberi (7), tum cauponas, popinas, locaque turpia in Monasteriorum vicinitate patere, tum demum cantationes, lususque ibidem peragi,

(1) *Ex Const. Greg. XV.* Inscrutabili. *S.C.C. in Viterbien. 7. Jun. 1760.*

(2) *S. C. C. Burgi S. Domnini 21. April. 1731. Vid. Monacell. part. 2. tit. 15. form. 15. §. 3.*

(3) *S.C.Ep. Ferrarien. 6. Aug. 1601. Assisien. 4. Aug. 1607..... Pisauren. 14. Jun. 1630.*

(4) *S. C. Ep. Anconitana 1. Octob. 1627.*

(5) *Legatur Nicolius V.* Medicina §. 10.

(6) *Vid. Nicolius V.* Porta §. 7.

(7) *S. C. Ep. Interamnen. 15. Maji 1612., et in Baren. 18. Febr. 1617.*

quibus inspectari, vel audiri inhonesta ab Monialibus possint, ex Apostolicae Sedis decretis interdictum est (1): contumaces poenis gravioribus mulctabuntur. Adstent semper, nisi de animae procuratione res sit cum Confessariis, binae Moniales pietate, ac prudentia graves, quae externos quoslibet colloquentes cum Monialibus audiant, ne sermones instituantur ab severiori disciplina vel minimum absoni (2). Crates ad colloquendum sint geminae in unaquaque fenestra: eae porro distent per palmum inter se, atque ita clatris instruantur, ut manus per eas efferri non possint (3). Interdicimus facultate audiendi Confessiones, qui eas absque necessisatis causa excipiant ad Crates, quae clausae non sint valvis tela crassiori instructis, et clavi obfirmatis (4).

VI. Ceterum Monialium Confessarii, ipsarumque Antistitae, ut Ordinis regulae diligenter, sancteque serventur ab omnibus, pro cujusque munere advigilent. Studium pietatis foveant in primis Moniales, illud Bernardi pensitantes, quo edocemur, commodare nos rebus, non tradere. Inquirant autem in se ultro in singulas horas, conferantque diem cum die, hebdomadam cum hebdomada, ereptoque ex occupationibus ceteris otio, vacent statis temporibus contemplationi: imo adeo se habeant semper in potestate, ut in singulis creatis rebus, quoad ejus fieri possit, Creatoris potentiam, ac bonitatem agnoscant. Voluntariam vero paupertatem colant constantissime. Item obedientiae amore ferveant, quo possunt, maximo. Id autem esse Deo gratissimum holocaustum teneant, cum omnes animi vires, ac praesertim intelligentia, et mens, quae summum in homine obtinent locum, in obsequium Christi ex obedientia coguntur: quae vero invitae, et dissentientes, actu exteriore dumtaxat, jussa Praepositorum exequantur, eas inter vilissima mancipia, vel pecudes potius esse numerandas. Certe qui ad Superioris nutum voluntatis propensionem solummodo, non etiam judicii consensionem accomodarent, eos altero tantum pede intra Religionis septa versari, saepissime asserere consueverat S. Ignatius Loyolaeus (5). Hanc itaque

(1) S. C. *Ep. Bononien. 22. Apr. 1603. & in Edict. Urbis 12. Aug. 1640. Legat. Crispin. Ep. Amer. de Visit. Episcop. in Tit. de Monasteriis Monial. & Syn. Sublacen. Card. Barberini 1674. cap. 33. §. 11.*

(2) *Acta Eccl. Mediol. Conc. Prov. 1. Par. 3. pag. 39. 44. 46. Crispin. Visit. Pastor. par. 2 §. 42. num. 60. & 129. S. C. Con. Ep. in Comen. 16. Mar. 1593.*

(3) *S. C. Ep. Perusin. 4. Maji 1604. Nicolius v. Crates.*

(4) *Ex pluribus Synodis.*

(5) *Extat S. Ignatii epistola ad Socios Lusitanos de obedientia, qua nihil*

obedientiam, quae Divo Gregorio teste ceteras omnes animo virtutes inserit, insertasque custodit, suum veluti insigne, laudemque propriam urgeant, nihilque prius, aut potius habere se sinant alacritate, amoreque parendi, ut ad quamlibet Moderatricum vocem, aut significationem paratae vel dulciores divinarum rerum meditationes deserant extemplo, et inchoatum apicem in scribendo, acumve vix inductum relinquant, seque expeditas, ubi opus sit, illico sistant. De se ipsis, deque suis rebus, nisi necessitas cogat, vel Dei gloria postulet, nihil dicant unquam: ab Sororum vero, Saeculariumque praesertim dictis, factisque exquirendis, nisi ad suam curam spectent, omnino abstineant. Semel mundo mortuae horreant *tangere*, imo vel *attaminare*, *quae sunt istius saeculi* (1): si enim in pectore virginali saecularium negotiorum curas siverint aestuare, Sponsum metuant, qui consurgat iratus, et dicat: *Relinquatur vobis domus vestra deserta* (2). Succingat ergo sacrae Virginitatis crinem modestia, sobrietas, continentia, obedientia: et virtutum accinctae comitatu, purpureo Dominici cruoris redimitae velamine mortificationem Domini Iesu in sua carne studeant adsidue circumferre (3).

VII. Pontificias Constitutiones, et Congregationum Decreta de muneribus non missitandis (4), tum de impensis proprio aere in sibi delata officia non peragendis (5), tum de puellarum recta institutione, iisque ab Monialium familiaritate, singularique cura arcendis, ac stato in conclavi custodiendis (6), tum demum de dotium solutione, iisque in certos fundos impendendis servari accuratissime manda-

quidem in eo genere dignoscitur subtilius: cum discuperemus penes omnes Religiosos, atque Ecclesiasticos quoslibet, ac praesertim animarum moderatores adsidue versari: Tria potissimum in Monachorum obedientia expetebat S. Benedictus, ut nimirum iidem parerent sine mora, non tepide, & cum bono animo. *Regul. Cap. 5. apud Holsten. Cod. Regul. tom. 1.*

(1) *Ex S. Ambrosio de Inst. Virg. cap. 16. §. 103.*

(2) *Ex S. Hieron. Ep. ad Eustoch. quae est 22.*

(3) *S. Ambr. de Inst. Virg. cop. 17. §. 108.*

(4) *Constitut. Clement. VIII.* Religiosae ... *Const. Urbani VIII.* Nuper. *Bened. XIV. Constit.* Pastor bonus. *§. 26.*

(5) *Vid. Litt. Encycl. S. C. Ep. 26. Jan. 1742. relat. in Append. Par. 4. N. 17. & binas alias Ep. Encycl. 1708. & 1709. apud Ben. XIV. Instit. 29. §. 30. ac demum Ep. Encycl. ejusdem S. C. Ep. 20. Jun. 1759.*

(6) *S. C. Ep. in Novarien. 1595. in Dertonen. 1607. in S. Severini. 1625. in Campan. 1619. in Neapolitan. 11. Dec. 1648. & 30. Sept. 1695. Ben. XIV. Inst. Eccl. 29. §. 25.*

mus, nihilque adversus providentissimas de ea re sanctiones invalescere patiemur (1). Eos, quos Monasteriis praeficiemus, nostrumque Vicarium Generalem naviter in id accubare, cunctosque de abusibus, si quos in easdem invectos noverint, ad nos referre obsecramus, obtestamurque.

VIII. Quo die Puella jamdiu ex instituto probata Sponsis Jesu Christi se adgregat, edi quidem laetitiae indicia, haud aegre feremus, imo et pro diei faustitate ornari volumus Ecclesiam Monasterii, ut eo quoque apparatu religio, veneratioque erga sanctissimas, quae cum Christo parantur, nuptias in omnium animis augeatur. Vanas tamen pompas, et quae saeculi ornatus, celebritatesque inducant, convivia, ludos, invitationes, laetosque coetus, stipis quoque, ac donorum collationes, aliaque id genus, quae a piorum institutorum cultu aliena sint, penitus interdicimus (2). Vestes cumprimis, quibus induta procedet Puella in die desponsationis ejus, eae sint, quae et coeremoniae sanctitatem, et Virginem deceant, quae mox vestienda a Coelesti Sponso est discoloribus, armyllisque, et torque circa collum ornanda, et corona decoris honestanda in capite (3).

IX. *Numquam satis laudare possumus eas Moniales, quae nihil quippiam peculiare habent, sed omnia communia esse voluerunt*, dicimus cum Benedicto XIV. (4), easque ut sanctissimum hoc disciplinae institutum religione, qua possunt, maxima sartum tectum teneant, foveantque, hortamur etiam atque etiam: mirifice enim ad voluntariae paupertatis, quam S. Ignatius *Religionis murum* appellabat (5), amorem, studiumque protuendum perducit. In iis vero Monasteriis, in quibus ea disciplina minime servatur, sed annui Monialium census admittuntur, caveant eorum Praepositae, ut in commune aerarium iidem referantur, nec sine ipsarum permissu expendantur: quidquid autem supersit, pro communi utilitate, et commodo conferatur (6).

X. Verum, quae de septis, de januis, de ferreis clatris, de rotis, de vitando omni virorum congressu, de divinis Officiis, de

(1) *Leg. in App. Par. 4. Num. 18. Nicolius V.* Dos. *Card. Petra in Const. 12. Innoc. IV. §. 48.*

(2) *Chirogreph. Clementis XIII. 6. Sept. 1758. Alexander VII. Const.* Pro commisso *1657. Edict. Ven. Innocent. XI.* 1676.& *1684. Innocent. XII. 1692. Clement. XI. 2. Mart. 1702.*

(3) *Ex Ezechiel. 16. 1.*

(4) *Instit. Eccl. 29. §. 27.*

(5) *Maffei in vita B. Ignatii lib. 3. cap.* 8.

(6) *Legatur Passerini de statu hominum qu. 149. art. 3. § 325. Card de Luca de Regul. disc. 57. Card. Petra ad Const. Apost. tom. 4. pag. 172. n. 38.*

studio precandi, de otio, ac cessatione fugienda, de nuper in disciplinam traditis, de lectis separandis, de cultu corporis, de communi victu, rerumque usu, deque aliis ad cultum, victum, regimen, moresque Monialium pertinentibus adnotanda videbantur, copiose adnisi sumus, accurateque in memorato Libello, quem de Monialibus edidimus, enucleare: eum proinde tradi cuilibet puellae, quae perpetuae religioni, et castitati se consecrare proposuerit, necnon ad mensam post Ordinis Constitutiones perlegi mandamus. Nos quidem probe gnari, nihil Virginitatis laude gratius Deo, et inter homines praestantius apparere, nullam a nobis officiorum sedulitatem, nullas curarum sollicitudines, nulla impensi amoris studia desiderare sacras Virgines patiemur, quarum claustra veluti *Hortum conclusum* veneramur, colimusque cum S. Laurentio Justiniano (1), *veluti Paradisum deliciarum, virtutum Scholam, Tabernaculum foederis, reclinatorium Sponsi, sanctitatis Domum, pudicitiae firmamentum, Religionis magisterium, et obedientiae Sanctae speculum singulare*.

X. Caput de Sacris Virginibus absoluturi, haec de *Tertiariis*, ut vocant, seu *Oblatis* decreta proponimus. Perpendant, quae aggregari iisdem exoptant, foeminae, habitum se suscipere poenitentiae, et pietatis: ea proinde sibi curanda, agenda, excolendaque esse, quae tali instituto conveniant. Sint eaedem saltem annorum quadraginta, habitumque ad praescriptam iisdem normam omnino gestent (2). Haec de Oblatis viris similiter edicimus: monemus autem, utrosque subdi penitus regimini Parochi, ipsorumque Confessiones a Regularibus audiri non posse, nisi eos antea probaverimus, ejusque rei jus iisdem, potestatemque fecerimus (3), ac demum in Paroeciam efferendos esse, nisi de ipsorum voluntate constet, vel nisi ex lege ab Leone X. sancita *Viri collegialiter vivant, seu cum Claustralibus habitent, ac Mulieres virginalem, seu coelibem, aut castam vidualem, expresso voto, et sub proprii Ordinis habitu vitam ducant* (4).

(1) *De mundi conv. cap.* 13.

(2) *Bened. XIV. Const.* Emanavit *17. Sept. 1749.... S. C. Ep. 20. De c. 1616. in Hidruntina*.

(3) *Vid. Ben. XIV. 105. Inst.*, *circa finem* §. *59. & seq. ubi late, atque perudite de Tertiariis disputatur. Legat Passer in. de stat. hom. Tom. 2. qu. 187. art. 4. obs. 10.*

(4) *Const.* Dum intra. *Non de solemnibus, sed de mere simplicibus votis innuitur in hac constitutione*.

CAPUT VIII.

DE JUDICIBUS, EXAMINATORIBUS, AC TESTIBUS SYNODALIBUS.

Ex Concilii Tridentini auctoritate tum Judices, tum Examinatores, tum Testes Synodales designandi ab Episcopo coram frequenti Synodo sunt, eaque ad officia Viri adsciscendi pietate, doctrina, prudentia commendatissimi. Haec porro de muneribus eorumdem ad ecclesiastici juris normam decrevimus.

I. Judicum Synodalium munus Tridentini Patres praefinivere, eo spectare, ut *praeter Ordinarios Locorum iis etiam posthac causae Ecclesiasticae, ac spirituales, et ad Forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur* (1). Viros proinde nedum *dignitate praeditos, aut personatum obtinentes, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicos*, sed integritate morum, prudentia, ac doctrina insignes eligendos ex Bonifacii VIII. constitutione decreverunt (2). Jus appellationum ad Beati Petri Sedem, quod *pretiosiorem Pontificiae Thiarae gemmam* nominat Bernardus (3) hujusce canonicae sanctionis occasionem praebuit. Ut enim Romani Pontifices facilius, tutiusque *aemulari possent oppressos, nec relinquerent virgam peccatorum super sortem justorum* (4), viros id genus deligendos vel ab priscis temporibus curarunt, qui ex Apostolicae Sedis auctoritate de causis dignoscerent, quae ex locorum longinquitate satis commode definiri Romae non posse videbantur, quo *testium necessariae personae, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterant* (5), vel quae ad eos spectabant, qui a potentioribus adversariis *fatigati laboribus, expensisque* vindicare apud remotos Judices sua jura praepediebantur, *et liti cedere, vel importunitatem Actoris redimere compellebantur* (6).

(1) *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 10. *de Reform.*

(2) *Bonifac VIII. Const.* Statutum: *extat in cap.* Statutum *de Rescriptis in 6*

(3) *Ep. ad Innocent. III. quae est* 198.

(4) *S. Bernard. loc. cit. Legatur de jure appellationum Christ. Lupus de appellat. diss.* 1. *cap.* 18. *Bianchi* dell' esteriore polizia della Chiesa *tom.* 5. *par.* 2. *Zaccaria Antifebron Tom.* 3. *Lib.* 3. *cap.* 13. & *in Antifebr. Vindicat. diss.* 5. *cap.* 5. §. 5 *seq.*

(5) *Ex Ep.* 2. *Episcoporum African. ad Coelestinum I.* § 3. *apud Coustant.*

(6) *Cap.* nonnulli. *De rescriptis. Late luculenterque Ben. XIV. disserit de Syn. Lib.* 4. *cap.* 5.

II. Hisce itaque saluberrimis Tridentinorum Patrum institutis obsequuti Judices Synodales designavimus (1), quos etiam atque etiam hortamur, ut verissimos, et sapientissimos Judices, summaque religione sese praebeant, justitiaeque adsertores, ac vindices Canonum integre, et abstinenter in sui muneris officio versentur, nec pudeat viros consulere rerum peritos, ubi aliquid explicatu difficilius nanciscantur. Meminerint vero, nulla se jurisdictione pollere, antequam ab Apostolica Sede mandata iisdem fuerit (2). Utantur in conficiendis actis Curiae Episcopalis Notariis (3).

III. Possunt Religiosorum familiae sibi ex iis eligere suos, quos dicunt, *Conservatores*, qui constituta a Pontificibus potestate, certisque legibus, ac conditionibus in Regularium judiciis decernant: Pontificia itaque praescripta considerent, quando eo debeant officio perfungi. Denuncientur vero sex mensium spatio coram Curia nostra, qui Conservatores designantur (4). Nostrarum autem erit partium adlectos Judices Synodales illi, qui est Pontifici a libellis, significare, ut ad eos possint ex Pontificis jussu causae demandari (5). Item nostrarum erit, si quem ex designatis amissum lugeamus, alterum, collatis cum Collegio Canonicorum consiliis, eligere, *ut habeat Dioecesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas, et qualificatas personas, quibus hujusmodi causae committantur* (6).

IV. Grave sane, atque utile munus iis demandatur, qui probandis Clericis, iisque examinandis praeficiuntur, quorum curae Paroecialis Ecclesia traditur. Hinc jusjurandum de munere sancte, integreque exequendo ab iisdem exigitur, et certa quaedam precatio ad coeleste praesidium exorandum initio examinis praescribitur (7). Singularem erga eos, qui ad examen accedunt, praeferant ipsi comitatem, ac benignitatem: perquirant quidem solertissime de cujusque disciplina, atque de rerum Ecclesiasticarum scientia, usuque, ac studio diligenti, ut cognoscant, quanti quisque sit: ast animos examinandis

(1) *Extat in fine Synodi index eorum, qui ad haec munera acciti sunt.*

(2) *S. C. C. in Januen. 15. Martii 1601.*

(3) *S. C. C. in Alben. 15. Januarii 1656.*

(4) *Const. Gregorii XV.* Sanctissimus. §. 2. *Late Ben. XIV. de Syn. Lib. 4. cap. 6. S. C. C. Wladislavien. 16. Jan. 1649.* ... Ordinis Minorum Observantium. 10. *Decembr. 1661.*

(5) *Ben. XIV. Constit.* Quamvis paternae. *1741. & de Syn. L. 4. cap. 5. §. 5. 6.*

(6) *Ex Conc. Trid. sess. 25 cap. 10. de Reform. S. C. C. Januen.* Judicum Synodal. *15 Mart. 1601. relat. a Bened. XIV. de Syn. Lib. 4. cap. 5. §. 7. 8.*

(7) *App. Par. 2. N. 34.*

addant, nutantesque ad bene sperandum, audendumque confirment. Curent vero, ut omni privato studio, affectuque posthabito judicium de cujusque merito pronuncient, caveantque, ne quemquam eorum, qui examen subituri sunt, ulli Collegarum commendent, vel eum de quaestionibus edendis praemoneant, instruantque. Nefas porro esset, ac simoniae noxa reus foret, qui dona vel ultro oblata ab iisdem exciperet (1).

V. Licet vero in iis, qui ad Ordines contendunt, propter muneris dignitatem, sanctitatemque, quod accipiunt, neque vitae, neque doctrinae ornamenta desiderari ulla debeant, quae ad multiplicem officii sui usum necessaria videantur, patet tamen, peculiare studium, diligentiamque in primis impensissimam adhibendam esse in Parochis deligendis, qui populo instituendo, et ad Coelum deducendo praeficiuntur. Hinc non de ipsorum doctrina dumtaxat, sed de vitae innocentia, de studio religionis, de prudentiae laude, de facultate loquendi, de habitu, ac valetudine corporis, ac de Gregis in ipsum voluntate disquirendum est. Haec sedulo meditentur Examinatores, quos, ubi concursus ad Paroeciam habeatur, tres saltem esse oportet ab Episcopo speciatim accitos (2). Praestat quidem, quando de quaestionum propositarum solutionibus suffragium ferendum est, Examinatores una cum eo, qui praeest, de responsionibus antea convenire, ut subinde communi sententia decernant. Silentium demum, quo Examinatorum sententiae, aliaque in judicio pronunciando gesta, dictaque premenda, obruendaque sunt, servari penitus praecipimus (3).

VI. Tandem Synodalium Testium officium verbis Innocentii III. denunciamus eo spectare, *ut simpliciter, et de plano, absque ulla jurisdictione, quae in Civitate, ac Dioecesi occurrunt, fideliter investigent, et quae correctione, vel reformatione sunt digna, fideliter ad nos perferant* (4). Eos nos, uti in more positum est, elegimus viros commendatissimos, quos tamen silentio celamus, ut liberius, fiden-

(1) *Ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 7. de Reform. & sess. 24. cap. 15. de Ref.*

(2) *Const. S. Pii V.* In conferendis. *Fagnan. in cap.* Cum sit ars. *de aetate & qualit.* §. 55. *Lotterius de re Benefic. Lib. 2. qu. 31. num. 98. Ben. XIV. Const.* Cum illud & *de Syn. Lib. 4. cap. 8. ubi de eligendis ad Paroecias regulae opportunae traduntur.*

(3) *De concursibus Sede Episcopali vacante vid. resolut. S. C. C. Elven. 1. Dec. 1736. item 18. Nov. 1651.*

(4) *In Conc. Lateranen. IV. cap. 6. Legatur de ipsis Thomassin de discipl. par. 2. lib. 3. cap. 76. §. 8 & cap. 79. §. 9. Du - Cangius in Glossario Verbo* Testes Synod.

tiusque delato munere defungantur, ipsorumque nomina scheda exscripsimus, quam nostro signo obfirmatam in Curia nostra deposuimus, suscepto ab iis jurejurando de officio cum fide exequendo.

VII. Inquirant ipsi de assiduitate, qua Beneficiarii suam ecclesiae operam praestant, tum de Parochorum vigilantia, ac sedulitate, tum de vita, habitu, honestate Clericorum, tum de Ecclesiarum nitore, supellectili, veneratione, tum demum an res ecclesiasticae, universorumque mores, actaque ex legibus per Canones, et hac ipsa Synodo traditis regantur, quaeque rite decreta, statutaque sunt, apte serventur. Non autem invidiae metu ab officio deterreantur, neque gratiae, aut premii spe abduci se sinant, quin aliud, quam commune bonum, ex veritatis, ac religionis studio unice persequantur (1).

CAPUT IX.

DE FORO EPISCOPALI.

Pars illa, quam Episcopum tractare in judiciis convenit, infinitas offentiones parit: quae ipsa praeter quam quod negotiis permultis plena est, tot etiam difficultates affert, quot ne forenses quidem Judices sustinent: verba sunt Joannis Chrysostomi de Episcopalis in re judiciaria muneris gravitate disserentis (2). Haec vero tot, tantisque difficultatibus, molestiisque oppleta procuratio, quae multis nos officiis implicatos adsidue, et constrictos tenet, opera, studiis, solertia, consilio, ac sedulitate eorum allevanda profecto est, quos idcirco Episcopalis Curiae Ministros adsciscimus. Eos in praesens nostra pertingit oratio, ut quae de iisdem decreta proponimus, maxima contentione, ac diligentia persequantur. Non quidem de judiciorum, quae ipsi exercent, ordine, non de actionum editarum vi, non de quaestionum generibus, non demum de ratione deliberationis heic verba facimus, quae universa ad sacrorum Canonum normam, et ex legum, quibus vis est, praescripto sunt conficienda: nonnulla dumtaxat placuit sancire, quae in rei publicae utilitatem praestanda ab ipsis omnino esse dignovimus (3).

(1) *Late de ipsis Bened. XIV. de Syn. lib. 4. cap. 3. ... Vid Can. 7. caus. 35. qu. 6. ubi Testium synodalium constitutio innuitur; item & apud Reginonem lib. 2. de Eccl. discipl. cap. 2.*

(2) *De Sacerdot. lib. 3. cap. 15.*

(3) *Non de rebus spiritualibus tantum, sed de civilibus Clericorum controversiis judicasse vel a primis temporibus Ecclesiam in suo foro, patet ex*

I. Cum omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sint, caveant, quos judices sacrarum cognitionum adlegimus, ne ad judicandum ducantur impetu quodam, ac minus recta temeritate: bene vero delectu, et sapientia, atque ex accuratissima negotiorum consideratione sententiam pronuncient. *Non personam considerent pauperis; non honorent vultum potentis: sed justa judicent proximo suo* (1). Nihil odio, aut amore, nihil numero judicent, sed veritate, praescripto, pondere. De causis levioribus, explicatis, et quae minime dubiae conspiciuntur, vel summatim, ac sine forensi quaestione, vel saltem prima actione, quoad fieri possit, decernant. Jura hoc pacto ex aequo, et bono vindicent miserabilium praesertim personarum, et locorum piorum. Paterna charitate lites componere, et conciliare, cunctasque odiorum, ac dissidiorum stirpes recidere, ac judiciali asperitate carere, et mitiora consilia suscipere, ad judicem Ecclesiasticum speciatim pertinet, qui Patris, ac Pastoris amantissimi locum tenet, et animum a perdendo, et mactando alienum gerere debet, eo unice intentus, ut christiana ubique pax perstet, et charitas (2). Cum vero pronunciare de controversia debeant, caveant, ne comperendinari partes diutius possint, quod et impensas augere, et fallaciis campum praebere consuevit: occurrant itaque mordicus, ac vigilanter *litigantium artibus, qui judicia malitiose protrahunt* (3): legesque de re judiciaria sancitas, probatasque de ea consuetudines servent apprime, tueanturque, ne de gesto perperam munere vel ex malitia, vel ex ignavia incusari coram Deo, et hominibus debeant. Jusjurandum de veritate asserenda ab iis, qui rei citantur, exquirere vetant jura, eosque ad illud adigunt dumtaxat, quando, uti testes, examinandi de aliis sint (4).

vetustioribus de judiciaria Episcoporum actione canonibus praesertim Conc Nicaen. Can. 9. Constantinopolit. I. can. 6. Carthaginen. I. can. 10. Matisconen. I. can. 8. item ex Ep. 11. Innocent I. ad Victric. Rothomag. cap. 3. apud Coustant. Extat de ea re illustris Constantini Constitut. in Extravag. de Episcop. jud. Cod. Theod. Legatur Baron. ad an. 314. §. 38. Sirmondus in Append. Cod. Theod. tom. 7. Bianchi della Polizia della Chiesa *tom. 3. p. 704. Joan. le-Gendre de Episcop. jud. adversus Gothofred. vindicat. vid. Leg. 9. C. de Episc. audient.*

(1) *Levit* 19. 3.

(2) *Quam caute in poenis praesertim spiritualibus irrogandis incedere debeant sacrorum Praesides, docet* Chrysostomus de Sacerd *lib.* 3. *cap.* 16. *vid. Leg.* 12. Cod. *Theod. de Episc.* & *Cler. item L.* 47. *eodem tit.* & *Novell.* 76. *Justiniani.* Plura *apud* Cassiod. *var. lib.* 1. *Ep.* 9.

(3) *Ex* Conc. *Trid. sess.* 25. *cap.* 10. *de Reform.*

(4) Conc. *Rom. Tit.* 13. *cap.* 11. *Legatur Votum Delphini relat. ab Giraldi*

II. Quando in judicium deveniat vel Matrimonii, vel Religiosae Professionis vis, juxta editas a Benedicto XIV. constitutiones rem confici mandamus (1). Qui pro Matrimonio, vel pro religiosa professione Patronus ex officio erit adlectus, curet, ut non remissius, ac par sit, sed ea, qua oportet, contentione, ac solertia negotium actitet.

III. Quamvis Clericus sive Coelebs ille sit, sive connubio obstrictus nequeat clericale privilegium ad saeculare forum-declinandum praeferre, nisi qui ea praestiterit, quae a Bonifacio VIII. primum, ac dein a Concilio Tridentino constituta sunt (2), adhuc tamen jus est Episcopis in ipsum, si lubeat, animadvertere, eumdemque a saeculari potestate repetere, dummodo nunquam vel a jure, vel ab homine ex declaratione rite edita Clericalibus privilegiis, quae ad Ecclesiarum cultum, et ad ecclesiastici Ordinis dignitatem tribuuntur, privatus ipse, atque exutus legitime fuerit (3). Caveant vero Collegiorum, Sodalitatum, aediumque sacrarum Curatores, ne in judiciali contentione detrimenti aliquid adversus Fori Ecclesiastici jura invalescat, nihilque, nisi ad sacrorum canonum praescripta, de iisdem rogari patiantur (4). Vicarios Generales, quorum in primis haec est vis, ut praesint, praescribantque recta, vindices, adsertoresque praeficimus legum id genus sanctissimarum. Excommunicatos se noverint, qui causas ab Episcopali Foro avertere, vel judicii persecutionem ibidem praepedire, ope, consilio, actioneque adnitantur, neque absolutione se donandos fore confidant, nisi et Judici, quem ab causae cognitione removere curarunt, et iis, qui ab judicio conficiendo distenti sunt, satisfactum ab iis opportune fuerit (5).

IV. Cum vero certa quaedam mercedis pretia Judicibus, Advocatis, Notariis, et Ministris quibuscumque operam navantibus in Episcopali Foro sint cuique pro impensa opera, laboreque dependenda, Taxam, quae in Curia Cardinalis Vicarii Urbis adhibetur, pro Dioecesibus etiam nostris assignamus, poenasque ab iis repetemus,

in not. ad Thesaur. de paen. V. Juramentum. *Venia habeatur ab Antistite, ut Clericus juret cap. 1. de Jur. cal.*

(1) *Const.* Dei miseratione & *const.* Si datam hominibus.

(2) *Cap.* Clericis *de Clericis conjugatis. Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. de Reform.*

(3) *Ben. XIV. de Syn. lib. 12. cap. 2. §. 3.*

(4) Syn. *Card. Cybo in app. ad Tit. 38.*

(5) *Cap.* Quoniam ut intelleximus. *De Immun. Eccl. in 6. ... De causis mixti fori legatur Constitutio Clem. XIII.* Praestat Romanum Pontificem.

qui ab eadem secedant (1). Mulctas, et quidquid pecuniae in Fiscum cedit, deponi mandamus penes ipsarum Praesidem, ut subinde piis locis pro ipsorum tenuitate, ac copia distribuamus (2).

V. Ministros Curiae inferiores contineant in officio Vicarii Generales. Jurato polliceantur omnes fidem, diligentiam, ac sedulitatem in suo munere obeundo: statis subinde horis, ac diebus suo quisque in loco consideat: tabulas, quae nondum publici juris sint, ostendant nemini: silentii religione obstrictos se noverint, actaque suis peculiaribus libris, tabulisque numeratis, ac bene comparatis describant: munera, quae *excoecant prudentes, et subvertunt verba justorum* (3), respuant abstinentia invicta, nihilque praeter constitutam mercedem accipiant. Id urgeant in primis Vicarii nostri, memores robustiorem quamque virtutem muneribus, auroque labefactari.

VI. Heic rursus Tabulariorum custodiam diligentissimam adhiberi jubemus a Curiae nostrae Praesidibus: tabulas, libros, monumenta cetera ex eo depromi, et alio asportari absque permissu nostro, severe interdicuntur Cancellarii, ac ceteri quilibet (4): eos imo jubemus infra mensem in Archivum conferre, quae penes se habeant monumenta ad Ecclesias pertinentia. Iterum excommunicationis poenam in eos edicimus, qui monumenta ipsa, scriptaque cujusvis generis occultare, avertere, supprimere, delere, infringere auserint, neque eos, nisi vel adlato in Archivum monumento, vel emendato errore, absolvi posse decernimus (5). Sint vero Cancellarius praesertim, ac alius quilibet in nostro Foro Minister, castissimi, pii, atque omnis officii diligentissimi: silentio celent, quae pro munere acta a se, vel sibi delata sint. Partite, distincte, perspicue scribant ipsi, eaque cautione, iisque legibus, quae publice exscribentibus constitutae sunt. Caveant, ne ad augendum actorum volumen supervacanea in iis obtrudant, vel laxioribus, ac par sit, et majoribus litteris utantur: fraudes in ea re admissas poenis vindicabimus. Comitate, assiduitate, ac morum suavitate commendentur; viduis praesertim, ac miserabilibus personis consilio, ope, sollicitudine praesto sint: non amore, non gratia, non mercede

(1) *Refertur in App. par. 4. N. 22.*

(2) *Cavendum summopere est, ut omnis absit turpis quaestus, & avaritiae suspicio in mulctis irrogandis cap. 13. de off Ord. Glos. in cap. 3. de Poenis Legatur Covarruvias Var. resol. lib. 2. cap. 9. §. 9. & Conc. Trid sess. 23. cap. 1. & sess. 25. cap. 3. de Reform.*

(3) *Exodi 23. 8.*

(4) *Conc. Rom tit. 12. cap 6.*

(5) *Vid. sup. Par. 4. cap 2. §. 21.*

ab officio vel minimum desciscant. Sontibus opitulari, ubi justitia sinat, haud eos pigeat, nec illos asperius, quam Christiana patiatur charitas, tractent.

VII. Haec et Dioecesis utriusque Vicarios Generales in Domino admonemus. Curent ipsi, ne iis, qui in custodiam dantur, ab Curiae Ministris, vel carcerum janitoribus vis, aut indignum quidpiam inferatur. Hinc carceres ipsos identidem, et ex inopinato invisi ab iisdem, munditiemque praesertim eorumdem urgeri, cunctaque salubria parari captivis mandamus. Maxime autem curae iisdem sit, ne quid ipsis, quod ad animae salutem pertineat, desit: Sacerdotes proinde assignent, qui festis diebus sacrum in carcerum Aedicula faciat, illosque divini verbi annunciatione, ac Sacramentis pie, et sancte reficiat, soleturque (1).

VIII. Nos quidem ab Grege nostro ex loci, quem tenemus, ratione sejuncti, in eorum fide, prudentia, sedulitate, quos in sollicitudinis partem adscivimus, necessario conquiescimus. Ipsi vero, quam expectationem, fiduciamque suam concitarunt, hanc adnitantur sustinere penitus, ac tueri. *In judicando sint pupillis misericordes, ut pater, et pro viro matri illorum: liberent eum, qui injuriam patitur de manu superbi, et non acide ferant in anima sua* (2). Desidiam Procuratorum, versutiam, fallacias, praevaricationem, si quos tali ingenio foedos deprehenderint, acerrime coerceant. In Ministris Episcopalis fori adsidue aciem intendant, ut *neminem concutiant, neque calumniam faciant, et contenti suis stipendiis sint* (3). Prudentia ipsi, usuque rerum, comitate, ac mansuetudine praeluceant, ipsorumque gravitatem sine fastu, vel arrogantia admirentur universi, summissionem sine indignitate, sine fuco pudorem, atque modestiam, tum castimoniam insignem, tum demum magnitudinem animi in rebus arduis capessendis, constantiam in promovendis. Ast aliud etiam maximum in perdifficili nostra procuratione subsidium, atque adjumentum grande praestolamur ab Viris spectatissimis, quos Episcopali dignitate praefulgentes adesse nobis titulo Suffraganei Veliterni Romani Pontifices decrevere: non enim ad Ordinis dumtaxat munia obeunda tributos eos nobis gratulamur, sed ut et consilio, et opera, et studiis, et auctoritate praesto sint ad negociosam rei sacrae administrationem facilius, utiliusque sustinendam (4).

(1) *De jure Parochorum in detentos carceribus legatur Bened. XIV. Inst. Eccl. 33.* §. 12.

(2) *Ecclesiastici 4. 9.*

(3) *Luc. 3: 14.*

(4) *De* Suffraganeis *Veliternis legatur Borgia Hist. Velit. lib. 4.*. S. *Pius V. privilegium habendi* Suffraganeum *Cardinali Episcopo Ostiensi concessit. Vid. Ben. XIV. de* Synod. *lib. 13. cap. 8.* §. *5.*

Nos certe peculiari laudis testimonio commendatum hic volumus V. C. Geraldum Maciotum Eleusinorum Episcopum Suffraganeum Nostrum, quem pietate, sapientia, doctrina, morumque suavitate praestantem, vere decus Ecclesiae nostrae singulare, columenque illustre nuncupamus, omnique benevolentiae, fiduciae, et dilectionis officio complectimur.

CAPUT X.

DE DELICTIS, ET POENIS.

Quae hac Synodo ediximus ad sacrarum rerum procurationem, vitaeque, ac morum rationem ex illius disciplinae norma regendam, conformandamque, quam ex sacris Canonibus, peculiaribusque Dioecesium institutis didicimus, in eum dumtaxat finem proponimus, ne quos dedit nobis Pater, quemquam ex iis abire in viam iniquitatis, et perditionis collugeamus (1). Verum *cum multa malitia hominum sit in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta sit ad malum omni tempore* (2), indignamque Christiano nomine, ac professione licentiam, procacitatemque precrebescere ubique lamentemur, caput de delictis, et poenis conficiendum censuimus, quo justam certis criminibus, ac debitam animadversionem, poenamque praefiniamus, ut aliqua in vita formido improbis sit posita, qua contineantur in officio.

I. De foenore primum denunciamus, ex divino, ac humano jure illud nominatim interdici, ipso Christo Salvatore conclamante, *mutuum dare nos oportere, nihil inde sperantes* (3), quin ab noxa excuset, vel datam pecuniam ad pupillos, viduas, aut ad pia loca pertinere, vel moderatam exquiri usurarum aestimationem, vel eam esse personae, a qua eaedem repetuntur, conditionem, ut divitiis

(1) *Sap. 5. 7.*

(2) *Genes. 6. 5.*

(3) *Divina lege vetari usuras vidimus Exodi 22. 25. Levit. 25. 35 Eccles. 29. 2. Psal. 14. 6. ... 54. 12. ... 71. 14. Luc. 6. 34. Ecclesiae autem vetitum legimus ex Conc Nicaen. Can. 17. Conc. Lateranen. III. can. 25. & alias ut in toto cap. de Usuris, ac demum in Const. Ben. XIV. relata in Append par. 4. Num. 24. Ethnicis permittebat usuras jus a veritate devium, Leg. 1. D. de Pignoribus Hinc actio* Kalendarii *ob usuras ipsis Kalendis solvendas. Scite eas improbat* Seneca *de Benef. lib. 7. cap. 10.* Quid foenus, *inquit*, & Kalendarium, & usurae, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina? *Vid. Bingham. orig. Eccles. lib. 6. cap. 2. §. 6. Legatur Ballerinius de Usuris, & Ben. XIV. de Syn. lib. 10. cap. 4.*

abundet (1), nec summam ipsam otiosam relinquat, sed eam in suae rei incrementum sit perutiliter impensura (2). Constat autem, ex pecunia mutuo data posse fructus conquiri, si mora debitoris, qui alienam pecuniam retinet, danti afferat damni causam, vel lucrum intercipiat, quod ipse ex sua re consequi potuisset (3),

II. Ast legum haec ratio sanctissime, et providentissime constituta saepe hominum malitia pervertitur, ex qua simulatae quaedam contractuum species invaluerunt, quas etiam, uti labe turpissima usurarum inquinatas, praecidendas, ac compescendas esse, ab jure et civili, et canonico admonemur. Hinc qui conferta, et cumulatiore mensura reddendum sibi paciscitur frumentum, aliudque genus, quod contracta, et adstricta mensura praebuerat (4), foeneratitium contractum perageret. Cum enim usura sit, *ubi amplius requiritur, quam datur* (5), reus erit usurae, quisquis ex mutuo plus sibi vindicans, quam quod ipse dedit, eam tollit aequalitatem, quae in omni contractu servanda, et custodienda diligenter est (6), licet non uti debitum *ex justitia*, sed uti debitum *ex benevolo, et grato animo* id exigat (7), vel ex dilata ad certum tempus pecuniae mutuatae solutione portendat numeratam pecuniam esse pretiosiorem numeranda (8). Quare mercedes minori aestimatione, quam eo loci, et tempore deceat, operariis praefinire, quod eaedem ex anticipatione sint persolutae, tum congerere undique pecuniam ad rei nummariae difficultatem augendam, fovendamque, tum ea conditione societatem inire, qua alter lucrum tantum, alter damnum sentit, vel alter quotannis lucrum aliquod obtinet, ac semper sine ullo sui damno,

(1) *Calvinus censuit, usuras posse exquiri ob mutuum a divite, non item a paupere; idem docuere prae ceteris Salmasius de Usuris, Noodtius de foenor. & usur. lib. 1. Puffendorf. de Jur. nat. lib. 5. cap. 7. §. 9.*

(2) Quidquid de utilitate contingit ei, cui mutuum dedi, *inquit* S. *Thom. in 3. disp. 37. qu. 1. ar. 6.* hoc est ex industria ejus, qui sagaciter pecunia usus est. Industriam autem ipsius ei vendere non debeo: secus nec pro stultitia ejus habere minus debeo.

(3) S. *Thom. 2. 2. qu. 78. ar. 2. ad 1. & qu. 62. art. 4. De tribus requisitis Pauli de Castro legatur ipse de Castro in Leg. 2. §. ult. D. de eo quod certo loco.*

(4) *Can.* Usura *14. q. 3.*: *cap.* Consuluit ... *Cap.* in Civit. *de usur.*

(5) *Can.* Usura *qu.* 3.

(6) *Qui rem mutuo accipit, dominium in ea adipiscitur, ideoque solveret usuras pro usu rei* non alienae, sed suae, *quod est contra aequalitatem contractus: leg.* S. *Thom. 2. 2. qu. 78. art. 1.*

(7) *Ex prop. 42. inter damnat. ab Innocent. XI.*

(8) *Ex prop. 41. inter damnat. ab Innocent. XI.*

ac periculo integram habet pecuniam, aut rem, quam in societatem contulit, quae societas *ad caput salvum* vulgo appellatur (1), tum demum pacta quaelibet constituere, quibus evertatur, tollaturque lex societatis, quae in pari spe, similique periculo utrumque socium esse jubet (2); contractus forent improbandi omnino, atque foeneratitiis mutuis evidentissime accensendi.

III. Sunt quidem usurarum expertes *Census*, per quos emitur jus percipiendi fructus ex certo fundo, qui semper nexu devinctus est, ut Creditor in tuto sit: plura autem ex S. Pii V. constitutione observanda necessario sunt, ut hic contractus valeat, et omnis ab eo usurae suspicio removeatur (3): id vero cumprimis cautum sit, ut accurate designetur certus fundus, et hic quidem frugifer, qui census hypothecae subsit, atque ut coram testibus, ac Notario revera numeretur pecunia, quae continuo debitori tradenda est, nisi vel per eum censum dotis assignatio conficiatur, vel mensariae schedae praebeantur. Ast si census super persona venditoris constituatur, qui sibi, vel suis etiam haeredibus onus imponat certam quoque anno pecuniam solvendi emptori ex industria, et labore suo, qui *personalis census* diceretur, improbari illum edicimus, atque ab nostra Dioecesi jubemus auferri (4).

IV. Rite etiam, ac recte fructus percipiuntur ex pecunia, quae pro *collybo*, seu *cambio* numerata est: est vero cambium permutatio pecuniae cum justo mensarii lucro, quando vel una pro altera nummorum species exhibetur (5), vel pecunia ipsa e regione in regionem alteri defertur, et redditur (6). Invecta exinde cambiorum species, quae *obliqua* dicunt, ac *sicca*, quibus cum circuitione quadam, et mendaciorum anfractu iniquum tegatur, veleturque

(1) *Societas id genus Leonina dici solet: vid. Const. Xisti V.* Detestabilis avaritiae *64*.

(2) *L. 29. D. pro socio. Haud probanda societas animalium* a Collatica, *quando nimirum ea justo pretio aestimata conferuntur, ut eodem omnino reddantur, & fructus certus in annos singulos pendatur. A trino etiam contractu omnes dehortandos censuit Bened. XIV. de* Syn. *lib. 10. cap. 7. Vid. Nat. Alexand. Ep. 94. in Append. ad Tom. 2. Theol. Mor. De Societat. animal. legat. Bened. XIV. lib. 10. cap. 8. §. 2.*

(3) *Mart V. Extrav. 1 de Empt. et vendit inter commun.* Callixtus *III. in Extrav. 2. eod. tit. a e demum* S. *Pius V. const.* Cum onus *1569. & alia declaratoria* Etsi. *1570. legatur tamen Bened. XIV. de* Syn. *lib. 10. cap. 5. §. 5.*

(4) *Ben. XIV. de* Syn. *lib. 10. cap. 5. §. 4.*

(5) *Confer.* Sotum *de just. lib. 6. qu. 10. Molinam de cambiis qu. 4.*

(6) *Navarr. Manual. cap. 27. §. 289. ad 295.*

foenoris genus, damnata ea idcirco a Pontificibus nanciscimur (1).

V. Huc spectant, quae venditionis, emptionisque contractum inficiunt, de quo illud curandum omnino est, ne qua fallacia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur in rei venalis natura, conditione, pondere, et mensura: illudque generatim animadvertendum est, foenoris crimen induci, quoties *turpe inde lucrum exquiritur, aut per diversas species vini, vel frugis, vel cujuslibet rei emendo, vel vendendo aliqua incrementa suscipiuntur* (2): vetantur quippe vendentes exigere *superabundantiam, quidquid illa sit* (3). Neque satis probanda videntur, quae pretia in summa inopia, et caritate annonae a vendentibus praefiniuntur, vel quae ab ementibus viliora solvuntur, ubi messis, aut vindemiae dies impendent, quibus nummaria plerumque difficultate premuntur venditores. Item *monopolium*, quod dicunt, agere; vel personas submittere, quae fictis, fallacibusque conditionibus faciant dolo malo, ut res aliqua vel pluris, vel minoris, ac par sit, veneat; vel alia demum quaelibet pacisci, quibus sua cuique jura sarta tectaque non serventur, sed vel injustis conditionibus decepti ceteri, ac circumventi sint, aut necessitate ad damnosas pactiones compellantur: vetamur ab Apostolo, qui nos diserte monet, *ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus* (4). Parochi haec identidem explicent Populo, ne quem de pravis id genus contractibus errorem invalescere patiantur. Pontificias Constitutiones, quas breviter exscribi in Appendice curavimus (5), tum quae a Catechismo Romano, atque a probatioribus Theologiae interpretibus, ac praesertim a Beato Alphonso Ligorio tradita sunt, commentari sedulo, ac pervolutare adsidue satagant, ut veram de iis doctrinam addiscant ipsi, ceterisque proponant.

VI. Poenas profecto dabunt pro merito, qui ab injusto foenore non abstineant. *Ad usuram dans*, clamat Ezechiel (6), *et amplius accipiens numquid vivet? non vivet ... morte morietur, et san-*

(1) *Pius IV. Const.* Cum sicut. S. *Pius V. Const.* In eam. *Ben. XIV.* Const. Apostolicae. *Item de Syn. lib. 10. cap. 5. §. 7. seq.*

(2) *Can.* Si quis oblitus *caus. 14. qu. 4.*

(3) *Can.* Putant. *caus. 14. qu. 3.*

(4) *I. ad Thessalon. 4. 6. De venditione, quae fit addito pacto redimendi, legatur Ben. XIV. de* Syn. *lib. 10. cap. 8. §. 6. & seq. Item pactum legis commissoriae, quo nisi debitor certa die solverit, pignus in potestatem creditoris transeat, improbavit* S. *Carolus* Conc. *Med. 1. Tit. de Usur.*

(5) *App. par. 4. N. 23. 24.*

(6) *Ezech. 18. 13.*

guis ejus in ipso erit. Sane quoscumque foeneratos publice ex judicis sententia constiterit (1), eos infames decernunt jura Canonum (2), quae tamen infamia ex usu, et canonica aequitate tollitur, si resipiscant: irregulares insuper ii sunt ex sibi inusta infamiae nota, nec testandi jus habent (3). Quod si moniti, ut redeant ad bonam mentem, adhuc pervicaces fuerint, Clerici ab ecclesiastico beneficio, et officio dimoventur, Laici sacris interdicuntur, ac nisi debitam ex praescripto Canonum restitutionem, satisfactionemque promiserint, absolutio iisdem, et Eucharistia denegatur (4): neque possunt ad ecclesiasticam sepulturam admitti, nisi re ipsa redditum Dominis fuerit, quod contra fas ab illis fuit acceptum, vel nisi saltem idonea cautio de reddendo praestetur (5). Parochus autem si reum foenoris manifestum sepulturae mandaverit, ex Clementis V. Pont.Max. lege excommunicationis noxam contrahi ab se, non ignoret (6). Verum et ab Notariis poenas constitutas repetemus, quos injustos contractus stipulari, vel non dubia foenora dissimulare, remque improbam honestis velare verbis deprehenderimus.

VII. Absolutionem reservari nobis denunciavimus eorum, qui vel amore, vel odio, vel mercedulis, vel metu etiam permoti apud Judicem jurati falsum testimonium in alterum dixerint, damnumque eidem, ac pernicem injuste pararint (7): hos porro, quos ab Altari rejecturum se fore inclamabat Chrysostomus (8), ac per undecim annos arcendos a Communione jusserat S. Basilius (9) carcere, infamiae nota, et mulctis aliis pro criminis ratione plectendos decernimus (10). Caveant vero Confessarii, ne eos absolvant, nisi prius *dato damno, quatenus id sarciri poterit, et violatae ceterorum existimationi satisfecerint* (11).

(1) *Cap.* 1. Cum in Dioecesi. *De usuris*. *Clement. un.* § Ceterum *de usuris l.* 5 & 6. C. *de probat.*

(2) *Can.* 2. §. Porro. *Caus.* 3 *qu.* 7. *Can.* 11. *de Excess. Praelat. Vid. Thesaur. de poen. v.* Usurarii.

(3) *Can* 2 *dist* 33.*Can.* 8. *dist.* 46. *Can.* 4. *dist.* 47. *Cap.* 2. *de usur.*

(4) *Cap.* 3. & *cap.* 7. *de usur.* & *cap.* 2. *eod. tit. in* 6.

(5) *Can.* Quia in omnibus. *De usuris*.

(6) *Clementin. I. de sepult.*

(7) *Ex Tabula casuum reservat. N.* 10. *relat. sup. Par.* 2. *cap.* 6. §. 19.

(8) *S. Jo. Chrysost. hom.* 17. *in S. Matth.* §. 5.

(9) *S. Basilius Ep. de Can. Can.* 64. *relat. apud Labb. Conc. Tom.* 2.

(10) *Thesaur. de poen.* V. Perjurium & *ex pluribus Synodis*. Gonzalez *in cap.* 11. *de Jurejur.* §. 8.

(11) *S Carol. in Conc. Med. I. par.* 2. *tit.* quae pertinent ad Sacr. Poenit. *Habeantur ob oculos propositiones* 24. 25. 26. 27. 28. *ex damnat. ab Innocent. XI. an.* 1679. *Item cap.* Falsidicus testis *de Crimine falsi*.

VIII. Absolvi, nisi ex peculiari per nos tributa facultate, nequeunt (1), qui libellos, cantiunculas, tabulasve famae alienae, ac praesertim hominum ecclesiasticorum detrahentes condunt, efferunt, palam proponunt, quique haec mandaverint, aut ad ea operam, consilium, auxiliumque contulerint. Item excommunicationis poena mulctatos se noverint factiosi, et exitiales illi homines, qui infestum Pastori suo, sacrorumque Praesidibus, ac Religiosorum Ordinum familiis animum gerentes, aliquo modo in eos seu voce, seu scripto calumniam irrogare auserint: *Merito enim ab Ecclesia extorres fiunt, qui Dei Episcopos gladio linguae jugulantes fundunt sanguinem non corporis, sed honoris* (2). Ceterum quod ad nos pertinet, id testamur ad veritatem cum Theodosio Imperatore (3): *Si quis toto Praesulatus nostri tempore, modestiae nescius, et pudoris ignarus improbo, petulantique maledicto nomen nostrum crediderit lacessendum, ac turbolentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum poenae nolumus subjugari, neque durum aliquid, nec asperum volumus substinere. Quoniam si id ex levitate processit, contemnendum est, si ex insania, miseratione dignissimum, si ab injuria, remittendum.*

IX. Prudentissimum S. Bernardi ad Eugenium III: monitum sequuti (4) edicimus, nullam nos habituros esse rationem de clandestinis illis delationibus, libellisque, aut litteris, quas *coecas* dicunt, auctore incerto ad nos datis ad insontium ut plurimum existimationem, vitamque carpendam. *Quisquis enim veraciter loquitur, semetipsum innotescere, non debet formidare: oportet idcirco, ut publice exeat, et quaecumque in contestatione sua loqui praesumpserit, ostendat* (5).

IX. Nollemus equidem de eo criminum genere, quae nec nominanda inter Fideles esse, scribit Apostolus (6), speciatim decernere, easque voluptatis foeditates persequi, quae cum rationi prorsus inimica sit, impedit consilium, ac mentis perstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium, seu ut cum S. Thoma loquamur; *coecitatem* gignit *intellectus, amorem sui, odium Dei, affectum praesentis saeculi, desperationem futuri* (7). Ast cum perdolentes ingemisca-

(1) *Can.* Si quis. *Can.* In Altaris. *Can.* Quidam *caus. 5. qu. 1. S. Pius V. Const.* Romani Pontificis providentia. *1593. Greg. XIII. Const.* Ea est rerum. *Vid. Tab. Cas. reser. N. 12. sup. P. 2. cap 6. §. 19. Et Thesaur. de Poen. V.* Libelli fam.

(2) *Optatus Milev. cont. Donatistas.*

(3) *L. un. Cod. si quis Imperatori maledixerit.*

(4) *Lib. 4. de Considerat. cap. 6.*

(5) *S. Greg. Magnus lib. 5. Ep. 3. de libello contra Castorium.*

(6) *Ad Ephes. 5. 3.*

(7) *S. Thom. 2. 2. qu. 153. art. 5.*

mus, abominationes percrebescere in Israel, educendum nobis necessario e vagina esse gladium conspicimus, quo tantam pestem e nostrarum Dioecesium finibus propulsemus, ac si quos ibidem sarculos iniquitatis apparere dignoscamus, evellere eos radicitus, exscindere, conterere adnitamur. Qua igitur valemus auctoritate, omnia tum a sacris Conciliis, tum ab Apostolicis constitutionibus tradita remedia parari, poenasque constitutas inferri curabimus, *tradentes*, si quos contumaciores nanciscamur, *Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Nostri Iesu Christi* (1). Corripi eos quidem primum mandamus, obsecrari, increpari opportune, importune in omni patientia: ast ubi exemplo ceterorum consulendum sit, contrudi etiam volumus in carcerem, virgis per urbem caedi, poenisque aliis pro modo culpae, ac pro generis conditione eos plecti, quos libidini, atque impudicitiis sese dedere impudentius, palamque in eas se ingurgitare, constiterit. Quod si quis sancta Matrimonii jura nefario polluat, gravioribus erit poenis coercendus: quibus et earum procacitatem coerceri jubemus, quae conjugalis foederis oblitae in alieni viri concubitu, convictuque deguerint (2). Imo Parochos jubemus ab divino Sacramento repellere, quos publica turpitudine sese foedare non pudet, atque apud omnes fama, et opinio invaluerit in concubinatu perstare, neque ter admonitos ab scelesta consuetudine, noverint, omnino non abstinere (3). Poenas dabunt dignas scelere incesti, quos etiam capite damnandos censuit Sixtus V. certis quibusdam ex causis (4). Item qui foeminam praesertim virginem raptam vi abduxerit, tametsi non stupri inferendi, sed justo conjugio sibi sociandi causam facinori praetexat, statas per canones poenas sustinebit (5). Cum vero saepius de illato stupro maxime cum Matrimonii promissione agi apud nos contingat, jus de ipso dici sancimus ex praestituta per Edictum norma, quod Romae ex Clementis XII. auctoritate editum in Appendice referri curavimus (6). Parentes, ceterique omnes, qui domesticam turpitudinem procurare, et flagitiosam fi-

(1) *I. ad Corinth. 5. 5. Vid. Conc. Trid. sess. 24. cap. 8. de Ref. Matr.*

(2) *Confer Maschat Inst. Jur. Can. lib. 5. Tit. 16. §. 15. Huc spectat Constit. Sixti V.* ad compescendam. *Adulterium a jure civili gladio punitur l. 30. Cod. ad Leg. Jul de Adult.*

(3) *Barbos. in loc. cit. Trident. Conc. num. 4.*

(4) *Sixtus V. Const.* Volentes *80.*

(5) *Ex Conc. Trid. Sess. 24. cap 6. de Ref. Matr. Vid Maschat. Inst. Can. lib. 5. Tit. 17. §. 4. Jus civile poena capitis animadvertit in raptorem mulieris praesertim nuptae. Leg. un. Cod. de raptor virg.*

(6) *App. Par. 2. Num. 38.*

liarum, earumve, quarum sibi custodia, ac tuitio commissa est, corruptelam, sin exercere per impietatis portentum, dissimulare saltem, neque, uti oporteat, praepedire dignoscantur, poenis pro ipsorum scelere dirioribus afficientur. Fustuario primum publice ad ignominiam castigatos, triremium deinde remigio se additum iri sciant lenones, genus illud hominum perditissimum, atque profligatissimum (1). *Reliquas autem libidinum furias*, dicimus cum Tertulliano (2), *et in corpora, et in sexus ultra jura naturae non modo limine, verum omni Ecclesiae tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra*. Certe nefandi criminis reos novimus ex jure civili morte puniri, imo vivos olim comburi consuevisse (3).

X. Haec de saecularibus personis decreta sunt. Pudet quidem suspicari dumtaxat de inhonesta Clericorum vita, quos ad tractandas divinas res, Deumque hominibus placandum electos, sanctos esse oportet, sicut sancta sunt, quae ministrant. Cum tamen et in agro Dominico superseminet inimicus homo zizania, singula, quae de Clericis in eum finem decreta a Concilio Tridentino fuere, servari accuratissime mandamus (4). Stuprum a Clerico illatum Ecclesiae leges mulctant poena depositionis ab officio, et onere dotandi puellam, quae vim passa est (5). Eum in praesens praeter dotem foeminae praestandam interdici sacris, pecuuia mulctari, in custodiam dari, aliisque poenis castigari mos est. Ignorare autem neque ipsos, neque alios volumus, quicumque Sacerdotio praeditus infandi flagitii infamia ita laboret, ut manifesto crimine teneatur, resque palam, et non dubia *ex publica notorietate* sit, is si divino Sacrificio admovere manus, ac Missam celebrare audeat, certo irregularitatis piaculo sese obstricturum. Idem si Diaconus, aut Subdiaconus in pari crimine Ordinis sui munus exerceat, subiturum noxae se esse, non ignoret (6). Clericos demum, qui eo se crimine spurcissimo pluries inquinarunt, dignitatibus omnibus abrogatis, et ademptis deponi, atque saeculari Curiae tradi severius puniendos, ex Canonum jure cavetur (7).

(1) *Vid, Const. Pauli IV.* Sanctissimus. *Sup. par. 2. cap.* 10. §. 18. & *in tab. Cas. reservat. num. 9. par. 2. cap.* 6. §. 19.

(2) *Tertullian. de Pudicit. cap.* 4.

(3) *Cap. 4. de Excess. Praelat.* .... *S. Pius V.* Const. Horrendnm.

(4) *Ex Conc. Trid. sess. 21. cap. 14. de Ref.*

(5) *Cap. I. de Adulter. & Nupt. Vid. Girald. Jur. Eccl. lib. 5. Tit. 16. sect. 834.*

(6) *Can.* Nullus & *Can.* praeter. *dist. 32. & Syn. Gratiani Ep. Amer. cap. 665. Garzias par. II. cap. 10. §. 194.*

(7) *Ex Const. S. Pii V.* cum primum *1566. §. 11. & ex const.* Horrendum. *Vid. Thesaur. de Poen. V.* Sodomia.

XI. Eas nunc spectant nostra haec Synodalia decreta foeminas infelicissimas, quarum tanta est turpitudo, ut ne nominari quidem honeste possint, honoremque praefari debeamus, sermonem de ipsis instituturi. Illas quidem in criminum turpissimorum coeno insordescere audacter, impudenterque haud patiemur: caveant, si quas nobis insciis perstare in Dioecesi contigerit, ne ad Sacrarum Virginum Monasteria accedant, tum ne adolescentulas alias in famulatu habeant, tum demum ne sub horam noctis vagari extra domum audeant, neque in cauponis, tabernis, advenarumque stationibus immorentur. In carcerem ab Curiae apparitoribus compingi, easque fuste primum propalam mulctatas exilio expelli, seu in ergastulum Michaelitanum detrudi curabimus(1). Horreant vero tandem aliquando miserrimam animarum suarum conditionem: lutum infamiae ingemiscant, coenumque flagitiorum, in quo volutantur: salutis aeternae subsidiis expertes, sacramentis Ecclesiae prohibitae, puteum abyssi meditentur, qui aperuit jamdiu prae ipsis os suum. Deflorescet cito oris decor, et vita ipsa usu nefario deteretur celeriter: veniet subito ira Dei, et in tempore vindictae disperdet eas (2). Recogitent corde annos aeternos, scelerumque conscientia convictae, ac sollicitudinibus, quibus noctes atque dies exeduntur, abjiciant demum semitam iniquitatis, et ad divinae Misericordiae tronum adeuntes, lacrymis tergant peccata sua, convertantur, et vivant, ac *sicut exhibuerunt membra sua servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem, ita deinceps exhibeant membra sua servire justitiae in sanctificationem* (3).

XII. Heic vero Cauponas monere volumus, quos veluti flagitiorum domicilia custodire, ac tueri conspicimus. Constat quippe, ganeas, lustraque, et plena intemperantiae, luxuriaeque convivia celebrari apud ipsos, cunctaque ibidem gulae, atque insatiabilis abdominis irritamenta ad helluendum, absumendumque praesto esse; aleam, aleatores, scortaque suppeditari: hinc blasphemias putidissimas succedere, jurgia, lites, interneciones. Quare ut tot tantisque malis consultum sit, Cauponas, tabernarum Dominos, locorumque similium curatores poenis gravissimis subesse, edicimus, nisi hospitio extrudant flagitiosa haec hominum genera, et procul ejiciant, quidquid turpe, inhonestum, iniquum sit. Habeant insuper ciborum, dierumque, quem Ecclesia statuit, delectum, neque sinant jejunia, jejuniorumque tempora apud se violari.

(1) *Syn. Card. Cibo Tit. 39. §. 7.*
(2) *Ecclesiastici 5. 9.*
(3) *Ad Rom. 6. 19.*

XIII. Caput de delictis, et poenis absolvimus, Parochos, Concionatores, cunctosque Ministros Sacrorum obtestantes, ut non ex metu solum mulctae, animadversionisque, sed studio religionis, ac *propter conscientiam* (1), ab criminibus abstinendum praedicent, denuncientque. Vitiis idcirco, vitiorumque illecebris feliciter exactis, virtutum semina spargenda, mandandaque animis erunt, Christianaeque pietatis, et spiritualis vitae disciplina magna cura, studioque commendanda. Hinc ad compescendas animi effervescentes cupiditates, atque ad sensuum motus abstinentia, laboribus, jejunio, cruciatibusque domandos, eosque veluti parvulos allidendos ad petram (2), conentur accendere auditores. Meminerint, quod *haec fuit iniquitas Sodomae: superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius* (3). Crebriorem proinde per Sacramenta expiationem animae inculcent, ac si jactari conspiciant fluctibus naviculam mentis, *in foraminibus petrae, in caverna maceriae* altissimum inclament ponendum illico refugium nostrum, in Illius scilicet Corde suavissimo, qui venire ad se peramanter docuit, qui laborant, et onerati sunt (4). Respiciant omnes stellam, Mariam invocent, quae vera est Maris stella, et stella Iacob. Haec haec Turris est aedificata cum propugnaculis, e qua mille pendent clypei, et omnis armatura fortium: inde arma, inde scutum, inde galeam sumamus, ut praeliemur praelia Domini. Ad hanc Arcam Testamenti adeamus omnes cum fiducia, ubi plena omnia pietatis, et gratiae, plena mansuetudinis, et misericordiae. Beatissimis Sanctae Matris pedibus provoluti teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis, ut *simus sancti, et immaculati in charitate Christi* (5).

(1) *Ad Rom.* 13. 5.
(2) *Psal.* 36. 9.
(3) *Ezech.* 16. 49.
(4) *Matth.* 11. 8.
(5) *Ex S. Bernardo in serm. de B. V. de XII. Stell.*

PARS QUINTA
DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Leges de sacris Aedibus, de puellaribus Gynecaeis, de Hospitalibus domibus, de Sodalitiis, de caeteris demum Institutis, quibus avita majorum religio, pietasque Veliternam Dioecesim perliberaliter muniverat (1), postrema hac Synodi parte protulimus, quod unice ad rectam, aptamque rei sacrae universae ordinationem stabiliendam exquirebatur. Ingentia quidem in iis detrimenta, jacturas immanes, abusus graves ex temporum asperitate successisse perdoluimus, iisque idcirco remedia parare opportuna connisi sumus, ne squalere illa deserta, et inculta, Gregemque nostrum fructu eorumdem, et commodo carere diutius lamentaremur. Id sane sollicitudine, ac sedulitate, qua potuimus, maxima efficere studuimus, quando Dioecesim lustravimus, cunctaque oculis ipsi nostris subjecimus, resque cessit e sententia, atque omnipotenti Deo benediximus, qui nostris consiliis, curis, actionibusque exitus dedit secundissimos (2). Verum ut quae caepimus, curavimusque, feliciter conficiantur, et felicius perstent, custodiantur, regunturque, praescriptas ex jure Canonum regulas proponimus, quibus conformari omnia, atque instrui ad priscae sanctitatis, et assiduitatis normam expetimus, ac mandamus.

(1) Civitatis, & Ecclesiae Veliternae praeclaras res, dignitatem, monumentaque illustria diligentissime persequutus est Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanorum, cui maxime omnes sacrarum disciplinarum fontes patuerant, in sua Hist. Civit, & Eccles. Velit. . . . Item in Actis Visitationis Card. Cavalchini, quae extant in Tabulario Episcop. accuratissime omnia Civitatis, ac Dioecesis instituta, loca pia, sacerdotia, ac legata descripta sunt.

(2) Adlecti in eum finem Primores e Clero, qui nedum in lustranda Dioecesi adjutores, et consiliarii adfuerunt, sed crebro etiam insimul collatis consiliis piorum locorum incolumitati, legatorumque executioni ex latis in Visitatione decretis perstudiose advigilent.

CAPUT I.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS.

Deum, cujus hoc templum est omne, quod conspicimus, cujus imo infinita Majestas nullo neque terrarum, neque coelorum ambitu contineri potest (1), loca quaedam voluisse, quibus suum veluti Tabernaculum foret cum hominibus (2), sacra de Judaico templo Historia luculentissime testatur, quod ex tradita divinitus descriptione conditum, instructumque sanctiores novi Populi Aedes praenunciabat, coelesti illo, divinoque sacrificio dedicandas, quod Christus pro humani generis salute in Cruce perfecit. Hinc jam inde ab Apostolorum aetate, certa loca habuerunt Christiani, ad quae frequentes conveniebant, ut divinas ibi, ac sacras res procurarent, commentumque est plane putidissimum nonnullorum, qui *Christianos tribus prioribus saeculis istiusmodi distincta cultus divini loca non habuisse* asseruere (3). Quinimo hoc loci placet Alexandri Severi decretum commemorare, qui adversus Popinarios locum sibi vindicantes ab Christianis sacrorum causa occupatum rescripsit, *melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam Popinariis dedatur* (4). Verum Domus hasce Dei; quas et Domus orationis ipse Christus Servator nuncupavit, sanctissimo, et summo studio habendas; excolendasque esse ab ipso Deo admonemur, qui *desolationem* minitatur in eos, *qui ponunt offendicula in Domo, in qua invocatur nomen Ejus, ut polluant eam* (5). Hujus nos divinae domus decorem diligere ab zelo adigimur, quo nos comedendos esse ab Christi Domini exemplo, verbisque didicimus, atque ut (6) *mucro Domini*, quem in ultionem Templi sui districtum fulgurare adversus nos teterrima, quae passi sumus;

(1) *II. Paralipom. 6. 18.*

(2) *Genes. 28. 17.*

(3) *Plura in eam rem luculenter, eruditeque disseruit Mamachi* „ De' Costumi de' primitivi Cristiani *lib. 1. cap. 4. §. 2. Tom. 1. Item legatur Binghamus origin. ecclesiasticar. lib. 8. cap. 1. §. 13. S. Ignatius M. in Ep. ad Magnes. §. 7. apud Cotellerium PP. Apostolicorum Tom. 2. diserte memorat* ναὸν Θεοῦ Templum Dei, *& in Ep. ad Philadelphios* §. 4. Unum Altare „. *S. Paulus vero scribit 1. ad Corinth. 11. 22.* Numquid domos non habetis ad manducandum . . . aut Ecclesiam Dei contemnitis ? „ .

(4) *Lamprid. pag. 219. ed. Francofurti 1688. Card. Orsius censet, eam fuisse primam publicam Ecclesiam Christianorum, cum antea occultas haberent.* Hist. Eccl. *lib. 6. §. 23.*

(5) *Jerem. 7. 30.*

(6) *Jerem. 47. 6.*

discrimina ostendunt, *quiescat demum, ingrediatur in vaginam suam, refrigeretur, et sileat*, haec de Sacrosanctis Ecclesiis decrevimus in nostra Dioecesi accurate, strenueque observanda.

I. Ecclesias, Oratoria, Aediculas aedificare, nisi consultis, ac scripto permittentibus nobis, qui locum primo invisamus, audeat nemo (1), idque nunquam concessuros nos esse denunciamus, nisi is, *qui aedificare vult, ante praefiniat, quae ad luminaria, et ad custodum stipendia sufficiant* (2). Haereticorum enim blasphemiam damnamus, qui *Ecclesias dotare Divinae Scripturae, et Christi regulae contrarium esse divulgabant* (3). Spatium Aedi excitandae statis caeremoniis dicare, lapidemque sacrum auspicalem statuere nostri muneris est, nisi alterum in illud adsciscamus (4). Regularium vero Aedes, ac Templa sine scripta per nos venia, ac nonnisi juxta conditiones ab Pontificibus constitutas erigi vetamus (5). Diruere, aut ad prophanos usus convertere Ecclesias, imo et lapides, ligna, et reliquam materiam dirutarum Ecclesiarum ad saecularia aedificia adhibere, vetant jura Canonum, nisi justa causa, nostraque auctoritas intercesserit (6).

II. Cubicula ad dormiendum, vel saecularibus usibus addicta super sacras Aedes fieri, conclavia ad cubandum, vel ad alia prophana commoda exstruere super Templorum lacunaria, vel habere ibidem anseres, aliaque altilia (7), tum continentes aedes sordidis usibus, clamosisque artibus addicere, tum in ipsorum viciniis ludos, cantus, tripudia, sonitus peragere, vel in eorum atriis, vestibulisve quidquam venale proponere, spicasque contundere, tum demum fruges, instrumenta fabrilia, ligna, aliaque id genus in ipsis asservare (8),

(1) *Can.* Nemo *8. de Consecr. Can.* Ecclesias pro congrua: *de consecr cap.* Cum olim. §. Insuper. *De Privileg. & cap.* Auctoritate. *De Privileg. in 6. Conc. Chalcedonen. can. 4.*

(2) *Can.* Vere *Caus. 16. quaes.* 1. *Can.* De Monachis. *Can* Quidam *caus. 18. quaes. 2. cap* 1. De Censibus. *Vid. Ep. S. Greg. Magni lib. 2. Ep. 9. lib 2. Ep. 6. lib.* 8. *Ep. 63. lib. 11. Ep. 18. lib. 12. Ep. 10.*

(3) *Conc. Rom. Tit. 21. cap unic.*

(4) *Vid. Pontif. Rom. part. 2. tit. 1. & 2.*

(5) *Ex Conc. Trid. Sess. 25. cap. 3. de Regul. Constit. Greg. XV.* Cum alias. *1622. Const. Urbani VIII. 25. Aug. 1624. Const. Innocent. X.* Instaurandae.

(6) *Conc Trid. Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

(7) *S. C. Ep. in Hieracen. 26. Jul. 1613 ... in Melphicten. 2. Oct 1626. in Neapolitan.* 13 *Apr. 1646. .... in Hortonen. 11. Jun. 1655. Vid. Edict. S. Pii V. pro Urbe 28. Novemb. 1576*

(8) *Sup. Part.* 3. *cap. 1.* §. *10. Item* L. Basilicam *C. de oper publ. Ex Syn. Praenest. Card. Ruffo Tit. de Sacros. Eccl. cap. 3.*

ab veneratione iisdem debita abhorrere denunciamus, cultumqne exinde, et locum ipsum despici, et contemptui haberi: hinc Curatoribus Aedium praecipimus, ne committi ea omnino patiantur.

III. Sint Templa undique tecta, apteque laqueata, aut, si per facultates liceat, fornicata; sint parietes bene materiati, dealbatique: pavimentum etiam bene sternatur, ne qua fractum, interruptumque sit, nullusque in eo Sacrorum Mysteriorum typus, ac nulla Coelitum imago exprimatur. Ea porro fenestris opere vitreo permunitis, luminibusque illustria sint: omnia ibidem nitida, omnia munda, excussa, deversa, extersave sint: nihilque sordibus luridum, nihil situ, ac nidore foedum, nihil visu horridum, incultumque: hinc crebro tota saepe converratur, excolaturque Aedes, ipsique muri purgentur extrinsecus ab ederis, herbisque obnascentibus, arboresque ab iisdem removeantur, succidanturque, ne illos labefactent, et fenestras frondibus, virgultisque includant. Promineat Crux in fronte Aedis (1): muniantur ipsius valvae seris; clavibusque, uti et ostium Turris, in qua aereae campanae suspenduntur, quae adhiberi Sacrorum usui nequeunt, quin prius solemni ritu e Pontificali libro petito consecrentur (2). Fenestras ex continenti domo, quae Paroecialis non sit, aperire, unde in Ecclesiam introspici possit, aditumque in eam, ac januam habere, licet nemini absque Apostolico privilegio (3).

IV. Magnae Rectoribus curae sit, si quod vitii facere aedem conspiciant, illico eidem sarciendae manus admovere, ne major exinde labes fiat. Impensas in Aedium tuitionem sustineant, qui legum praescripto ad id adiguntur. Beneficiarii meminerint, Altari, seu Aediculae tuendis, ac, ubi opus sit, sarciendis fundos Beneficii, quod ibidem tenent, jure hypothecae obstringi (4), nisi Eccle-

(1) *Vid. Selvagium de Antiquit. Christian. lib. 2. cap. 3.*

(2) *Originem campanarum repetit Angelus Roccha a S Hieronymo: alii a S. Paulino Ep. Nolano, qui floruit saeculo V.: alii a Sabiniano qui ineunte saeculo VII. Pontifex fuit. Vid. Rocch. de Campanis cap. 1. Card. Bon. Rer. liturgic. lib. 1. cap. 22. §. 6. Panvin. In Ep de Rom Pont. lib. 1. §. 71. Campanarum benedictionem non ab Joan. XIII. uti nonnulli docent, esse repetendam, sed multo vetustiorem esse asserunt Bona loc. cit. cap. 32. §. 7. Marten. de Antiquit. Eccl. rit. lib. 2. cap 21. Legat. P. Petra-sancta de Rit. Eccl. Cath. lib. 2. Item S. R. C. Aprutin. 5. Jul. 1614. Durant. in Rat. divin. offic. lib. 1. cap. 4. Pontif. Rom. de Bened. Campan.*

(3) *S. C. Ep. Faventin. 17. Febr. 1619. Casertana 8. Jun. 1646. Cosentina 14. Dec. 1646. Alexanen. 14. Nov. 1659. Pisauren. 3. Oct. 1692.*

(4) *Can.* Decernimus *caus. 18. quaest. 1. Can.* Unio *caus. 10. qu. 3.*

sia redditus, bona, pecuniasve proprias fabricae habeat, quae ad alios, quam institutum est, usus transferri omnino nequeunt (1), Quod si Paroeciales Aedes instaurandae sint, primo ex ipsius Paroeciae redditibus sumptus impendi edicimus (2), tum ex eorum censu, qui lege beneficii iisdem addicti sunt (3), ac demum ex collatitia Parochianorum pecunia: quos omnes per opportuna juris remedia adigendos a nobis esse, sanxerunt Tridentini Patres (4).

V. Sint Altaria in Ecclesia in eum modum disposita, *ut Aram maximam nullum respiciat fronte adversa, nullum columnae cuipiam adhaereat, nulli suggestum, vel odoeum impendeat* (5). Initio lignea ut plurimum erant Altaria: deinde lapidea facta sunt (6), ita tamen ut Mensa, quae Altari imponitur, totumque consternit, marmorea sit, aut unico ex lapide, vel si ea lateritia sit, lapis consecratus prope ejusdem frontem ipsi inseratur, planoque ejus exaequetur, ne quid emineat (7). Fornix immineat Altaribus, vel saltem tentoriolum eisdem alte sublatum superponi debet, quo illa integantur (8). Ea demum sepiri undique marmoreis, vel ligneis columellis, satius esset, ne propius, ac par sit, ad ea accedat populus (9).

VI. Divina in Ecclesiis res confici nequit, nisi consecrata eadem,

cap. De his *de Eccles. aedificand S. C. C. Narnien. 24. Martii 1657. in Ragusina 3. Aug. 1666. Bened. XIV. institut. 100. Bened. XIII constit* Pius et Misericors *in Appen. ad Conc. Rom. N. 24.*

(1) *Conc. Roman. 1725. Tit. 27. cap. unic.*

(2) *Conc. Tarraconen. can. 8. ex Collect. Harduin.*

(3) *Plura in hanc rem apud R. P. D. Crispin. Ep. Amer. de Visit Pastor. part. 2. cap. 13. §. 12. Vid. S. Carol. in IV. Syn. Dioeces.*

(4) *Conc. Trid. Sess. 21. de Refor. cap. 7. 8.*

(5) *S. Carol. Con. Prov. IV. par 1. Tit. de Capell. et Altar.* §. Altaria.

(6) *Cap.* Altare *de Consecr dist. 1. Vid. Card Petronius de Sacros. Eccles. sacram. adversus Philip. Mornaeum du Blessis lib. 2. p. 179. Bingham. Orig. et Antiq. Eccles. lib. 8. cap. 6. § 12. Marten. de Antiquit. Eccles. rit. lib. 1. cap. 3. art 6. §. 4*

(7) *Vid. tot. Dist. 1. de Consecr. et Tit de Consecr. Eccl. vel Alt. Rubric. gen. Missal. Tit. 20. de Alt. ornatu.*

(8) *S. Carolus loc. cit. Du Fresn. Comment. in Paul. Silentiar. descript. Aedis Sophianae pag. 518 num. 335. edit. Paris 1670.*

(9) *Conc. Rom. Tit. 28 cap. 4. Plura in Ecclesiis Altaria extitisse etiam priscis temporibus innuit S. Greg. Magnus lib. 6 Ep. 49 S. Ambros Ep. 20 ad Marcellin. soror. § 8. et 26. Cabassut Notit. Eccl. dissert. 10. §. 5 Salmus in Solin Polyhist. in plurium Altar. usum debacchatur. Eumdem Pistorienses impie secuti sunt. Syn. Sess. 4. dec. de Euch.* §. 5.

vel saltem benedictione Deo devota sit (1). Episcopus solummodo Ecclesiam consecrat Dioecesis suae, neque haec Presbyteris potestas est (2): possunt vero ipsi ex Antistitis concessu eam statis ritibus benedicere (3). Consecrata semel Ecclesia, si violetur, aut polluatur, reconcilianda ab Episcopo erit, missis precibus, et adspersione aquae, cum qua vinum, et cinis commiscetur (4), quae caeremonia designat peccatorum expiationem, quo spectat cinis, qui poenitentiae commune indicium fuit. At si Ecclesia benedicta tantum erat, non vero consecratione devincta, Presbyter lustrali aqua reconciliationem conficiet (5). Rem illico ad nos, aut ad Vicarium Generalem deferant Parochi, aliique Aedium sacrarum Curatores, si quando violari eas contingat, ac pollui, ut illico de reconciliationis remedio consulatur.

VII. Nihil Parochis, cunctisque Ministris Sacrorum antiquius sit, quam omni studio curare, ne quid in Ecclesiis alienum ab ipsarum sanctitate fiat. Hinc satagant summovere ab Altaribus, qui proprius, quam par est, ad illa accedant; colloquentes, garrientes, aliove modo in modestiam, locique reverentiam peccantes admonere; infantes, qui circumcursantes, et colludentes, ac modo risu, modo vagitibus incondite solent obstrepere, egenosque, qui corrogantes stipem per Ecclesiam vagantur, ab eadem arcere (6): ingredientes cum canibus, armisque, aliaque praepedire, quibus Dei cultus, locusque ipse contemptui habeatur. Christum meminerint, qui facto e funiculis flagello vendentes ejecit a Templo, mensasque nummulariorum subvertit. Adsint viri in Ecclesiis semper aperto capite, ac corpore ita composito, ut ex ejus externo quoque habitu interior animi religio indicetur, eoque loco consistant, qui ordini suo conveniat.

(1) *De tempore, quo consecrari Ecclesiae coeperunt, erudite scripsit Assemannus in Tract. de Eccles. reverent. et asyl. art. 6. Selvagius in Antiquit. Cristian. lib. 2. cap. 5. §. 1. Card. Bona Rer. liturgic. lib. 1. cap. 19. §. 3.*

(2) *Can. 9. et 25. de Consecr. dist. 1. Cap. 1. de Relig. domib.*

(3) *Vid. Gonzalez in capit.* Aqua *§. 3. de Consecr. Eccles. Van-Espen. Jur. Eccles. par. 2. tit. 16. §. 10. Pyrhing ad lib. 3. Decretal. Tit. 40. cap. 3. §. 1. Plura Bened. XIV. de Syn. lib. 13. cap. 15. §. 2. seq.*

(4) *De Causis quibus Ecclesia polluitur, videatur Can. Ecclesiis... cap.* Proposuisti, *et cap.* Si Ecclesia, *et Can.* Si mortuum *de Consecr. dist. 1. et cap.* Sacris *de sepulturis.*

(5) *Cap.* Si Ecclesia *de consecrat. Eccles.*

(6) *S. Pius V. Const.* Cum primum *§. 3. Clem. XI. Edict. 11. Jul. 1703. alterum 10. Jan. 1704. alterum 13. Aug. 1716. alterum Card. Vicar. 23. Sept. 1718.*

Galeros, penulas, linteola, aliaque id genus in Aris deponere, terga sanctissimo Sacramento vertere, colloquiis, nutibus, risu, indecorisque per Ecclesiam excursibus non abstinere, ab Sacris mente, oculisve divertere, nefas foret. Mulieres iterum urgemus, ut velato capite, moreque pudori, et honestati congruenti, qui modestiam ipsarum, gravitatem, ac religionem commendet, perstent in Ecclesia. Arceri a sacris, imo turpiter ab sacra Aede ejici mandamus, quotquot vel habitu, vel actione procaciter, atque irreligiose, licenterque ibidem versari conspiciantur (1).

VIII. Optamus summopere, mulieres in Ecclesiis ab hominibus secerni, ne, uti scripserat S. Anastasius Synaita (2), *ex exitiali alterius sexus vicinia*, ex qua procacibus invicem oculorum conjectibus, sermonibusque inanibus, ac foedis actibus liberior locus daretur, *studium salutis fiat perditionis occasio*. Patere Ecclesias vetamus primis intendentibus se noctis tenebris, vel antelucanis horis (3): coetus nocturnos excipimus, quos statis in locis haberi pro viris discupimus ad eos divino verbo, ac poenitentiae sacramento expoliendos. Hic porro iterum edicimus, Saeculares ab Sacristia prohiberi, nisi necessitate ibidem adsint, silentiumque in eadem teneri, ac Clericos ipsos, Sacerdotes, et Aedituos modeste in ea versari, et ab jocis, alloquiis, chacchinnis abstinere.

IX. Poni in Ecclesiis scamna, ac subsellia, vel ea alteri locari, aut concedi vetamus, nisi ex auctoritate Vicarii Generalis, qui annuat, audito Aedis Curatore. Caveat tamen, ne templorum spatia incommode occupentur, nec aditus ad sacella, et altaria intercipiatur, neque in Choro, vel Presbyterio, aut intra altarium septa, aut ante confessionales sedes collocentur: liberum praeterea semper sit ea vel transferri alio, vel removeri, ubi ad festivos Aedium apparatus, vel ad aliam per nos probatam caussam expedire visum

(1) *Legatur S. Thom. 2. 2. qu. 169. art. 2. Luculenter de hoc agit. Bened. XIV. de Syn. lib. 11. cap. 12. Vid. sup. part. 2. cap. 1. §. 7., et cap. 4. §. 7.*

(2) *S. Anastasius Syn. Orat. de Synaxi. Vid. Bened XIV. de Syn. lib. 11. cap. 1. §. 8. Mares a foeminis per ligneos parietes secerni consuevisse in Ecclesiis a priscis temporibus, innuit prae ceteris S. August. de Civ. Dei lib. 2. cap. 28., et lib. 22. cap. 8., tum Socrates Hist. lib. 1. cap 17., et S. Jo. Chrysost Hom. 74. in Matth.*

(3) *Ex Litt Encycl Clem. XI. 26. Jul. 1701., et ex Conc. Prov. Mediolan. 1. sub S. Carolo, et S. C. Ep. in Neap. 22. Jan. 1677. 20. Sept. 1683. 1. Octobr. 1684.*

sit (1). Sedes autem domestici usus inferri liceat ex Parochi, vel Rectoris Ecclesiae permissu.

X. Leges a Benedicto XIV. decretas de cantu in divinis officiis adhibendo servari apprime praecipimus (2), ne in Ecclesia nedum profanum nihil, sed ne profane quidem canatur. Saepe quidem, ac celebrioribus praesertim diebus cantu vocum, nervorum, et tibiarum, jucundaeque symphoniae personant Ecclesiae. Ast curent earum Praesides, ut non inde effoeminandis sensibus molli, et in lasciviam composita modulatione cantus ordinentur, sed tota canendi ratio ita temperetur, ut ab divinae rei, coeremoniaeque gravitate, disciplina, ac decore nihil omnino absonum peragatur (3).

XI. Quae vel ab ipsis inanium Deorum cultoribus fanis, ac delubris veneratio habita semper est, ut qui ad ea confugissent, vi ulla abduci nefas esset, potiori sane jure Ecclesiis, quae veri Dei domus sunt, ac porta coeli, divinisque mysteriis sanctissima religione dedicantur, adhibendam esse, et divino, et humano jure cautum est (4). Hinc omnes profani actûs procul ab Ecclesiis sint: non ibi convivia, non comoediae, non choreae, non nundinae, non negociationes (5), non judicia civilia, quae irrita forent, non criminalia, quae et nulla vi pollerent, et poenam etiam inferrent excommunicationis (6). Exinde etiam natum est Ecclesiarum asylum, quod quidem antiquissimae leges jam antea constitutum ostendunt, ipsisque affixum communis omnium consensus agnovit (7),

(1) *Vid. Monacell. Tom. 1. Tit. 5. Form. 6. §. 4. et 5.*

(2) *Legatur Bened. XIV. de Syn. lib. 11. cap. 7., et in Constitut.* Annus *§. 3. qua leges, aliaque perutilia traduntur de cantu, et musica in Ecclesiis adhibenda.*

(3) *Can.* Cantantes *dist. 92.*

(4) *Cap.* Inter alia. *De Immunit. Eccles. Vid. prae ceteris S. Aug. de Civit. Dei lib. 1. cap. 1. S. Hieron Ep. 127. ad Princip. §. 13 Orosius lib. 7. cap. 39. Sozomenus Hist. lib. 9. cop. 10.*

(5) *Can. 1. dist. 92. cap. 12. de vita et honest. Cler. Conc.... Trid. Sess. 22. Decret. de observand. et vitand. in Miss.*

(6) *Cap. 1. 5. et 7. de Immunit.*

(7) *Lex 1. Cod. Theod de His qui ad Eccles. confug. vetustissimam monstrat juris de asylo originem. Luculenter de eo disseruit Josephus Assemanus de Eccles. reverentia, et asylo. Legatur respons. S Nicolai I. ad consult. Bulgaror. cap. 99. et S. Gregor. M. in Ep. 37. lib. 1., et Ep. 38. lib. 10. Sacculo IV. Eutropius Eunuchus Arcadium Imperatorem impulit ad tollendum jus asyli (Leg. 3. Cod. Theod.* De iis qui ad Ecclesiam. *) sed postea confugere ipse ad Ecclesiam debuit, ut vitam tueretur suam:* atque ita suomet facto, *ut inquit Chrysostomus Hom. 1. in Eutrop.* legem suam primus abrogavit.

ex quo illud juris est, ut qui ad eas confugiant, neque inde avelli, neque in iis aut capi, aut feriri, aut occidi possint, majore excommunicatione in eos irrogata, qui id auserint, vel manum in id, consilium, auxiliumque praebuerint (1), cujus excommunicationis absolutio Pontifici reservata est, nec tribuitur, nisi restituatur publice Reus loco ipsi, a quo fuit divulsus, omniaque eidem reddantur, ipsa etiam arma, si ablata fuerint, quando e loco illum sacro abripuerunt (2). Irrita vero, infectaque sunt acta universa, quae adversus reos e sacro divulsos loco fiant, et omni beneficio, ac privilegio Ecclesiastici asyli privantur, qui jus illud infringunt, quales forent, qui obsident in loco sacro, et custodiunt reum, ut inde divertens ab Apparitoribus vinciatur, tum qui dolose, blandisque suasionibus eum ex loco asyli abducunt ab lictoribus ex inopinato tenendum (3), tum qui suppeditari eidem necessaria ad victum, cultumque prohibeant (4), vel eum verberibus, vinculis, alioque injuriae genere ibidem divexent (5), vel demum restituere ipsum Ecclesiae renuant, licet ad eum ex illa eripiendum nec opera, nec mandato conspirarint (6).

XII. Ne vero Ecclesiae, tamquam asyla, sceleratis, et facinorosis hominibus tutum perfugium praebeant, rei graviorum quorumdam criminum ab asyli beneficio propelluntur (7). Tales sunt publici grassato-

(1) *Cap.* Inter alias. *De Immunit. Gregor. XIV. Const.* Cum aliis *Bened. XIII. Const.* Ex quo... *in Append. ad Conc. Rom. num.* 35. *Clem. XII. Const.* In supremo. *Bened. XIV. Const.* Officii nostri.

(2) *Can.* Sicut antiquitus. *Caus 17. qu. 4. S. C. Imm. Asculana 15. Jun. 1658. Lunen Sarzanen. 4. Aug. 1624. Mediolanen. 28. Maji 1626. Verulana 20. Feb. 1680.*

(3) *S. C. Imm. Civit. Castellanae 18. Nov. 1687. Marsicen. 31. Julii 1691. Aquipend. 13. Nov. 1691. Camerinen. 15. Maj. 1698. Legatur tamen decr. Clem. XI. editum 22. Decemb. 1716.*

(4) *S. C. Ep. Resp. ad Arch. Neapolit. 7. Jan. 1617. Bened. XIV. Const.* Officii nostri ratio §. *14.*

(5) *Can.* Eos qui. *Dist. 87. S. C. Imm. Neapolit. 22. Jun. 1617. Tusculana 14. Febr. 1634. Putcolan. 17. Dec. 1675.*

(6) *Greg. XIV. Const.* Cum alias, *et S. C. Imm. in Ferrarien. an. 1632.*

(7) *Late in citat. Constitutionibus SS. PP. Vid Bened. XIV. Inst. Eccl. 41. §. 3., et Girald. Exposit. Jur. Pontif. part. 1. lib. 2. Sect. 639. Praeter tamen scelera, quibus omnis immunitas nominatim ex jure negatur, si cetera quoque gravia sint, vel saepius admittantur, auctoritate Summi Pontificis, vel sacrae Congregat. Immunit. in carceres Ecclesiastici Judicis ex loco immuni rei detrudi possunt* nomine Ecclesiae, *et causa rerum cognita poena constitui paulo quidem mitior, ut simul et rei poenam perferant, et Ecclesiastici asyli ratio habeatur.*

res, nocturnique agrorum depopulatores, tum qui ex pacta mercede, vel per insidias, aut proditionem, neque ex justa sui defensione caedem faciunt, quique in ipsis sacris locis spe impunitatis deliquerunt; tum rei de Majestate laesa, vel de falsis, corruptisque litteris Apostolicis, vel peculatu, pecuniaque publica damnati, tum qui mentito Curiae nomine alienas domos invadunt, compilantque; tum demum Haeretici, et haereseos crimine in jus vocati, ac Judaei, qui ab Christiana fide, quam susceperant, iterum desciscant (1). Ast nec perditi hoc genus Rei temere beneficio asyli interdicuntur: decernendum quippe abs Judice Ecclesiastico est, num reus patrarit crimina, ob quae illud amittitur, ejusque auctoritate coram viro Ecclesiastico per eum designando reus de asylo dimovetur (2). Plura quidem de ea re Pontifices sanxerunt, quae omnia diligentissime, summaque religione servari ab universis, quorum interest, mandamus (3); positos quippe nos ex sacramenti etiam fide, meminimus, adsertores, vindicesque ecclesiasticae immunitatis, quam *Dei ordinatione Canonicis sanctionibus constitutam* Tridentini Patres conclamarunt (4).

XIII. Potiuntur autem immunitate, seu jure asyli Ecclesiae omnes, quae etiam consecratae non sunt, earumque continentes porticus, et atria, imo et fores, murique exteriores, si quis eos tangat, iisve innitatur, aut adhaereat (5), turrisque campanaria, quae intra passus triginta ab Ecclesia distat (6), quin et locus, in quo primus positus rite lapis auspicalis sit (7): itemque Oratoria Episcopi auctoritate constituta, ac perpetuo divinis addicta: non autem Oratoria, quae sunt in domibus privatorum, quamquam in iis ex Apostolicae Sedis indulgentia res divina peragatur (8): similiter palatium Episcopi, quocumque loco sit, licet etiam ab ipso conductum, itemque domus, in qua Episcopus Dioecesim invisens

(1) *Joannes XXII. Const. 1. edita in Bullar.*

(2) *Bened. XIII. Const.* Ex quo.

(3) *Legatur Bened. XIV. Inst. 41. §. 7. num. 41. Item consulantur memoratae Constitutiones Roman. Pontificum, quae in App. Syn. Tusculanae num. 14. sunt relatae.*

(4) *Conc. Trid.* Sess. 25. *de Refor. cap.* 20.

(5) *Can.* Sicut Antiquitas. *Can.* Reum. *Can.* Si quis. *Can.* Definivit. *Caus. 17. qu. 4. Legatur Card. de Luca disc 12. num. 27. Miscell. item Pignatellus* Consult. 426. *Tom. 1. Item* S. C. *Imm. Amerina 28. Maji 1628.* *Camerinen. 13. Jul. 1638. et alias.*

(6) *Legatur Del Bene de Immunit. Disc. 9. Sect. 6.*

(7) S.C.*Imm. in Januen. 5. Octobr. 1788.*

(8) S.C *Imm. in Brundisina 18. Dec. 1684.* Privatum Oratorium cras poterit fieri camera, cum non sit locus Deo di-

hospitatur (1): Seminaria, hospitales Aedes, Xenodochia, et Coemeteria, domusque Regularium cum areis, hortis, aedibusque aliis, quae septis Coenobiorum clauduntur, eorumque *Granciae*, quas dicunt, et Hospitia (2): Curionales demum, et Canonicales Aedes, quae conjunctae Parochorum, et Capituli Ecclesiis sint: Sacerdos insuper Eucharistiam deferens confugientibus ad se asylum praestat (3). Moneri autem nos volumus, ubi primum reus quispiam asylum petierit: caveat reus ipse, ne tanto hoc Matris pientissimae beneficio licentius abutatur, ipsique loco sacro, ejusque Curatoribus injuriam, negotiumque facessat (4).

XIV. Verum denuo reverentiam Templis adhibendam ab iis, qui in ea conveniunt, etiam atque etiam urgemus. *Sit ad ea humilis, et devotus ingressus*, dicimus cum Gregorio X. (5): *sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quae considerantes non solum instruat, sed et reficiat. . . .. Nihil omnino agatur, quod oculos Divinae Majestatis offendere possit . . . . ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi*. Procaces quoslibet in Templorum venerationem delinquentes poenis gravioribus mulctabimus, ne *ultio Domini ultio Templi sui* irruat super nos. Edictum de ea re tulimus, quod omni diligentia, curaque, ac sollicitudine teneri, et custodiri praecipimus; Parochisque idcirco mandamus, ut statis festis diebus illud populo denuncient, explicentque (6), iisdemque, ac ceteris quibuslibet Ecclesiarum Curatoribus, Praesidibus, Aeditumis mandamus, ut religioni sibi ducant scandala, atque indigna omnia ab loco sacro amovere, quem se elegisse dicit Dominus, et sanctificasse, *ut sit Nomen Ejus ibi in sempiternum, et oculi ejus aperti sint, auresque erectae ad orationem ejus, qui in eodem oraverit* (7).

XV. Huc spectant Sacella, et Aediculae, quae in agris extant, aut

catus: *ait Fagnan. cap.* Auctoritate *de Censibus* §. 6.

(1) *Can.* Id constituimus *Caus.* 17. *qu.* 4. S. C. *Imm. in Aquinaten* 19. *Novemb.* 1666.

(2) *Can* Quisquis. *Caus.* 17. *qu* 4. *L.* Omnia privilegia. *Cod. de Epis., et Cleric.* . . . *L.* Pateant. *Cod. de His qui ad Eccles. confug.*

(3) *Consule Fagnanum in cap.* Ecclesiae 9. *de Immun. Eccl.* . . . *Ferrarium Bibl. Verb.* Immunitas *ar.* 2. . . . *Girald Jur. Eccl. par.* 1. *Sect.* 637. *quibus haec omnia, quae ad asylum pertinent, latissime explicantur:*

(4) *Vid Bened. XIV. Inst Eccl* 41. *qua jus omne de asylo luculentissime enucleatur.*

(5) *In* Conc. *Gen. Lugdunen. relat. in Can.* Decet. *De Imm. Eccl. in* 6.

(6) *Append P.* 5. *num.* 1.

(7) *II. Paral. p.* 7. 15.

in civitatibus, aut in privatorum domibus, sacrisque extraordinariis addicuntur, et *Oratoria* vocantur, eaque vel *publica* sunt, si pateant cuivis e populo, aditusque e publico in illa sit: vel *privata*, quae privati intra suas aedes habent (1).

XVI. Leges de Ecclesiis aedificandis, sarciendis, ornandis, diruendisve pertingere etiam publica Oratoria, edicimus: hinc sine Episcopi concessu aedificari eadem nequeunt, ac benedici, convertique pro lubitu in profanos usus (2). Fiat ibidem sacrum diebus saltem festis honori Coelitum, quorum nomine eadem nuncupantur: non vero si minus quam mille passus a Paroeciali Ecclesia distent, haberi in iis rem divinam permittimus in festo Natali die Domini Nostri, in Paschatis, in Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis Beatae Virginis, Sanctorumque solemnitatibus, qui praesides, statoresque sunt Dioecesis, et Paroeciae, cui eadem subjiciuntur.

XVII. Caveant, qui sacrificare hisce in Oratoriis debent, ne ullum Paroeciali Ecclesiae damnum, fraudemve ullam adversus ipsius jura committant. Hinc sancitas de hora celebrationis leges, atque de primis fidei rudimentis, formulisque ad actus virtutum eliciendos, certisque precationibus recitandis servent, custodiantque (3). Optamus, ea praesertim Oratoria, quae sunt per agros ad compita viarum valvis claudi cancellatis, ut introspici sacrae Imagines, atque invisi religionis causa ab viatoribus possint. Aditum in publica Oratoria e continenti domo Apostolica Sedes unice probare potest: qui hoc careat concessu, intra mensem a Synodo edita portam illam obstruere pariete mandamus.

XVIII. Privatum Oratorium domi habere unusquisque potest: ast celebrari ibidem nequit, nisi facultas in id praesto sit, quam *ex Tridentini Concilii decreto unicuique ademptam esse* novimus, *solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam* (4). Hinc conditiones in

(1) *Legatur Du-Cangius in Glossar.* V. Capella. *Et Baluzius in Capitular. Reg. Francorum Tom. 2. col. 491., et 626. Edit. Venet. 1773.... Ben. XIV. de sacrif. Mis. lib. 1. cap. 1. Ex* Conc. *Trid. Sess. 22. Decr. de observ. et evit. in celebr. Miss.*

(2) *Cap. 51. de Reg. Jur in 6. Can. 10. Can. 18. qu. 2. Item Oratoria publica campanam habent, per quam Populus ad sacra vocatur, quod de Oratariis privatis Coelestinus III. interdixit. Can. 16. de Excessib. Praelat....* Cap. *10. de Privileg.*

(3) *Sup. part. 1. cap. 1. §. 12.*

(4) *Ab Apostalorum usque tempare in Laicorum damibus viguit usus privatarum Oratoriarum, in quibus ex Episcopi licentia perlitabatur, uti ostendit Ben. XIV. de sacrif. Mis. sect. 1. §. 10. et Can.* Missarum *de consecr. dist. 1. In cancilio Trid. de iis postea actum est sess. 22. decr. de observ., et evit. in celebr. Mis. Hine litt. Encycl. Pauli V.*

Pontificio diplomate inductae summa attentione serventur, ne suspensionis poenam sustineat, qui earumdem normam praetergrediatur. De personis eae cumprimis sunt, quae adstare debent, ut sacrum peragi possit (1), vel quae festis diebus praecepto audiendi Missam satisfaciunt, tum de diebus, quibus celebrari ibidem fas est: plerumque enim solemniores dies excipiuntur, quibus sacra in privatis Oratoriis haberi nequeunt (2). Item Sacramenta in iis Poenitentiae, et Eucharistiae administrari ex S. Caroli Borromaei exemplo vetamus, nisi id nominatim concesserimus (3).

XIX. Invisi prius, ac probari a nobis, aut a Vicario Generali debent privata sacella, quae esse non possunt, ubi res domesticae, et profanae tractantur, sed loco a cubiculis remoto, a tricliniis, ab aula. Adhaereat Altare parieti: ornatuque, ac decore renideat Cella ipsa, et munda, ac nitida sit sacra supellex: nihil ibi sordidum, nihil indecorum appareat. Visitationi Episcopali subjici eadem denunciamus, illudque universos, qui eo sunt privilegio donati, volumus admonitos, ne limites illius praeterlabantur, neque ex proprii commodi caussa rarius, ac par sit, in publicas Aedes accedant.

an. 1605. vid. Ben. XIV. de sacrif. Mis. sect. 2. §. 42.

(1) *Legatur litt. Encycl. Ben. XIV.* Magno. 2. *Jun. 1751. praesertim* §. 12. 15. Celebrari non posse, nisi aliquis ex indultariis in Oratorio praesens habeatur, *respondit S. C. C. in Marsicen. 3. Dec. 1740., et confirmavit Bened. XIV. decret. 7. Jun. 1741.*

(2) *Dominica Paschatis, et Pentecostes, item diebus Nativitatis, Epiphaniae, et Ascensionis D. N. J. Annunciationis, et Assumptionis B. M. V. omnium Sanctorum, S. Joann. Bapt. Ss. Petri, et Pauli, et Titularis Ecclesiae loci, ejusque Patroni principalis sacrum in Oratoriis privatis haberi non potest: si cui id datum sit, in die Natalis Dom. tres Missae celebrari possunt. S. C. C. 13. Jan. 1725. Videndi in primis sunt Jo Bapt Gatticus, Josephus de Bonis, Fortunatus a Brixia, qui peculiaribus operibus,* de Oratoriis, et domesticis Capellis *late ac diligenter agunt. Legatur decr. Clementis XIII. relat. in Append. par. 5. num. 2.*

(3) *De Baptismo vid Clem un. de Baptismo ... de Poenit et Euch vid. Rit. Rom. Tit. de Poenit, et Ep Encycl. Bened XIV. superius cit. Item S. Carol us Conc. Prov. Mediolan. 1. in Act. Eccl. Mediolan. par. 1. pag. 11... Par. 4. pag. 520. 761. 773. 775.*

CAPUT II.

DE CONSERVATORIIS FOEMINARUM, ET DE SORORIBUS CHARITATIS.

Cum Civitatum felicitas, familiarumque incolumitas ab recta juventutis institutione repetenda omnino sit, sapienti sane consilio Gynecaea constituta a majoribus cernimus, quibus puellae miserabiliores sub claustris, et sanctimonialium foeminarum disciplina diligentissime edocentur, instituuntur, atque ad omne officii munus educantur. Extant in nostra Dioecesi salutaria haec instituta, iisque haud ita pridem alterum accessisse gratulamur, cura praesertim, et instantia Cardinalis Antonelli Praecessoris nostri commendatissimi, quo piae Foeminae ad aegrotantes adjutandos coalescunt titulo Sororum a Charitate, quae Sanctum Vincentium a Paulo auctorem, parentem, statoremque venerantur. Nonnulla de iis adnotanda duximus hoc capite, ut uberiores exinde, certioresque fructus honestatis, et decoris in nostri Gregis commodum suscipiamus.

I. Praesides, Praefectos, Custodes, Curatoresque omnes, quos in Gynecaeorum custodiam, atque administrationem adhibemus, id cumprimis rogamus, obtestamurque, ne a datis legibus transversum unguem discedere quidpiam, patiantur. Timorem Domini praesertim urgeant, studiumque religionis: curent proinde, praefinitis horis mane, ac vespere frequentari precationes, rerumque divinarum contemplationem: tum bis saltem in mense, Festisque diebus ceteris suscipi sacramenta: tum demum crebro ab Confessario christianam catechesim tradi. Vagari Alumnas per urbem, nisi necessitas postulet, atque altera ex Magistris eas comitetur, item et prandere extra Conservatorium, nonnisi perraro apud consanguineos, item coenitari, noctesque ducere etiam apud suos, omnino interdicimus. Choreas, tripudia, aleas, cantiones profanas in Parthenones inducere nefas est. Charitas, obedientia, laborum amor, pietas ibidem floreant: procul inde jurgia, aemulationes, saeculi pompae, indecora quaelibet.

II. Si quae Alumnae ab officio desciscant, correctione primum, ac salutari animadversione compellantur: de contumacioribus referant ad nos Praesides loci, ut decernamus pro merito. Alloqui cum Judaeis Alumnas vetamus, item et cum saecularibus sermones habere absentibus Magistris, item et ad fenestras immorari. Assignato habitu indui ipsas mandamus, modestiamque, pudorem, gravita-

tem, verecundiam, ore, verbis, actioneque corporis praeseferant maximam. Si de nuptiis conciliandis res sit, curae id esse volumus Praesidibus loci: puellam alloqui cum sponso prohibemus, idque raro dumtaxat, ac binis Magistris adstantibus, audientibusque permittant Praepositae. Contrahi matrimonia in Aedis Ecclesia non posse, cautum sit. Si vero in famulatum expetantur, inquirant sedulo Praesides, qui Heri sint, quae conditiones, quae pactae mercedes, ac nisi de felici ipsarum statu constiterit, ab Gynecaeo illas non dimittant.

III. In deligendis, quae sint in Alumnarum coetum cooptandae, solertia, et industria exquiritur Praesidum, quos novimus postulationibus, votisque complurium ad nauseam obrui. Ipsi vero voluntatem eorum, qui bona concesserunt in loci tuitionem, servent cumprimis; tum egentiores puellas, quae praesidio parentum careant, et quarum pudicitia magis periclitetur, seligant prae ceteris. Ea demum praecipue colenda ipsis est diligentia, ea semper adhibenda vigilantia, ea excitanda animadversio, ut ne quid temere, ac fortuito, inconsiderate, negligenterque agant in ea curatione, locique patrimonium utiliter gerant, ipsasque Alumnas religione, pietate, necessariisque ad usum reipublicae artibus, pro sexus conditione, imbui, connitantur.

IV. Praeclarum quidem, ac maxime ad Christianam charitatem compositum est institutum Sororum Charitatis, quod Sancti Vincentii Paullani pietas ad salutem, et commodum aegrotantium invexit in Gallias; leges de ipso ab Cardinali Antonello editas pro coetibus in nostra Dioecesi constitutis perlubentes sancimus, ut tantum charitatis opus crescat in dies magis, et foveatur, fructusque proferat uberiores (1). In singulis Paroeciis eos volumus extare, eorumque Praefectos Parochos adsciscimus. Munera, et officia coetus in octiduali sollemnitate ejusdem Vincentii Patris attribui rite, ac designari volumus. Eo praesertim tempore, quo frequentes conveniunt Sorores, Parochi eas alloquantur, ut in pientissimo opere obeundo diligentiores semper, adsiduae, vigilantesque sint. Bis praeterea in mense, die condicta, congressus earumdem fiat coram Parocho, ut de Sodalitii rebus deliberent. Advolent charitate intentissima, quae nescit tarda molimina, ubi primum aegrotantem quempiam dignoverint, eique praesto sint, nedum ad corporis curationem, sed etiam

(1) Regole della Compagnia della Carità pubblicate per la Diocesi di Velletri. Roma 1809. *Haec Regularum editio prima est, quae Italico idiomate prodierit.*

ad spiritualia praesidia properanda. Stipem corrogare pro infirmis haud pudeat, quibus, ubi scheda a Parocho exscripta fuerit ad certam pecuniae summam aegrotanti tribuendam, stata subsidia parentur. Excitare afflictos, consolari moerentes, interdum etiam iisdem sua manu condire, et coquere cibos, praebere sorbitiunculas, atque vitalem instillare succum, sternere lectos, ac sordes everrere, precatiunculas sermonibus inserere, plena demum prudentiae, plena salutis monita cuique per occasionem dare: tum sacro Eucharistiae ferculo prosequendo operam navare, eidemque in egentium tuguriis excipiendo omnia recte ibidem praeparare, tum cubiculum ab omni sorde, quoad fieri possit, perpurgare, mensamque mantili puro, nitidoque disponere, cunctaque pro actionis divinae sanctitate diligentia, ac munditie maxima curare, religioni iisdem sit (1).

V. Novemdialem honori Vincentii Patris supplicationem collata per alios Sororum coetus stipe in una Basilica Cathedrali, in eaque festum ipsius diem pompa sollemni haberi quotannis mandamus: ceteris coetibus liberum erit, alia per annum die sua quaque in Paroeciali Aede festum peculiarem celebrare. Pecunia in eos sumptus Archipresbytero Basilicae ejusdem tradi volumus, qui rei curator designatus a nobis est.

VI. Huc etiam spectant Piae foeminarum Scholae, quas ubique ferme patere in Dioecesi nacti sumus. Multo earum Magistras sermone haud tenemus, ut cognoscant, sui muneris partes esse in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, labore, complectamur uno verbo, diligentia, qua una virtute delata iisdem officia continentur. Effingendi paulatim puellarum mores, instruendi animi, ingenia regenda, officia explicanda: pietas, modestia, gravitas, pudicitiae amor, studium, ac cura, quae animo comprehendi possit maxima, exquirenda, commendanda, inculcanda: sanguinem earum a se exquisiturum divinum Judicem pertimescant, si dissimulare Alumnarum errata, earumque cupiditatibus connivere non abnuerint. Festis diebus in Paroecias conveniant ad fidei rudimenta tradenda (2): ipsaeque integritate morum, ac vitae laude praeluceant.

(1) *Indulgentias iis tributas, qui Eucharistiae ad aegros ferendae honorem, cultumque adhibent, videsis in Append. par. 2. num. 25.*

(2) *Vid. App. par. 1. num. 11. Edictum ibidem extat de Doctrina Christiana, ad quam puellas edocturae accedant piae Magistrae.*

CAPUT III.

DE DOMIBUS HOSPITALIBUS.

Fovere, ac recreare pauperes, qui aliena ope indigeant, sanctum adsidue fuit Ecclesiae, quae fieri Deo ipsi novit, quidquid minimis hisce ex ea charitate praebeantur, quae numquam excidit, et animam docet ponere pro amicis suis (1). Hinc collati vel a prima aetate Fidelium redditus, ut inter pauperes distribuerentur (2), et aedes exinde instructae, quibus pauperes exciperentur hospitio, ac necessaria quaeque obtinerent (3). Has Hospitales domos nostra etiam in Dioecesi percensemus, aedemque haud ita pridem nos ipsi comparavimus, qua aegrotantes foeminae alantur, curenturque. Nonnulla de hisce charitatis domiciliis decernere placuit, quae hoc capite proponuntur.

I. Subjici omnia haec loca Episcopo, explorati juris est, nisi exempta probentur, aut aliud postulent leges, quae in eorum fundatione constitutae sunt (4). Hinc Praesides eorumdem monemus, ut statas de recta locorum piorum curatione leges teneant, serventque (5). Caveant, ne ab aegrotis quidpiam exigatur: Ministros praesertim vetent aliquid ab iisdem arte, preceque extorquere, imo nec a sponte quidem dantibus accipere. Vestes, res, pecuniam eorumdem servari cum fide, iisdemque reddi, tum adeuntes omni illico charitatis officio levari, medicorum operam, assiduitatemque adproperari, lectos bene stratos, purisque, ac mundis linteis parari, medicinas, cibosque, omniaque proba, recentia, et recte curata, confectaque praeberi, advigilent. Illud vero in primis urgeant, ut recepti in hospitium aegri ante omnia Poenitentiae, atque Eucharistiae sacramentis procurentur, eademque ut ingravescente demum morbo repetantur, et quando opus est, extrema Uunctio adjiciatur, mortuisque justa persolvantur, ac statis precationibus mandentur corpora sepulturae. Non foeminas solum a viris, sed

(1) *Joann. 15. 13.*

(2) *Act. Apost. 4. 37.*

(3) *Saeculo IV. jam plura extitisse Hospitalia, certum est. Id innuunt S. Gregor Nazianzenus Orat. 3. §. 95. et orat. 20.... Theodoretus Histor. lib. 5. cap. 19.... Et Thomassin. de Discipl. par. 1. lib. 2. cap. 89.... et Muratorius Antiqu. Italic. dissert. 37.*

(4) *Clement. 2. §.* Praemissa. *De Relig. Domib.... Conc. Trid. Sess. 22. cap. 8. et 9. de Reform.... Late Giraldus de Jur. Pontif. par. 2. sect. 82.*

(5) *Vid. infra cap. 9.*

pueros etiam a majoribus natu separari, nec eodem cubare lecto, imo ne aegros quidem cum valentibus, praecipimus. Foeminas ad colloquendum admitti vetamus, nisi conjuges sint, vel primo, aut secundo gradu conjunctae. Dimitti vero e diversorio, qui integram indepti sunt valetudinem, Medicus edicat. Tandem fidem omnium, quorum interest, atque diligentiam, ac charitatem, quae patiens est, et humanitatem compellamus, obtestamurque, eosque ad imposita munera rite implenda hortamur etiam atque etiam.

II. Administrari naviter Hospitalium bona, editasque de locis piis curandis leges omnino servari, rationem insuper nobis reddi in annos singulos, contractusque principaliores ex nostra, aut Vicarii Generalis auctoritate confici, tabernam aromatum, panaria, cellam vinariam, lineorum, stragulorumque copiam bene comparata pro loci facultatibus adesse, cuncta demum ex instituto domus, ac nitidiori cultu ordinari, tum aegrorum advenientium, et exeuntium, et mortuorum indicem accuratissimum perspicue, partite, distincte perscribi, luculenter mandamus. Nos quidem ut Veliterni Nosocomii census augeatur, ex Pii VII. Principis indulgentissimi auctoritate decrevimus, ut quotquot Testamenti tabulas Velitris conficiant, scutatum nummum eidem legent, quod si praetereant, nulla Testamento ipsi vis est (1).

III. Ceterum Vicarium Generalem, Vicarios Foraneos, Parochos adire jubemus crebro, et nec opinato Nosocomia, aegros invisere, ac si quid in ipsorum cura, vel ex negligentia, socordiaque, vel dolo malo ommissum, aut minus recte gestum, debitaeque disciplinae officere deprehenderint, ad nos referre, ut prompto, celerique remedio occurratur. Universos autem in Clerum cooptatos ad pientissimum opus in aegris juvandis excitatos volumus, eosque discuperemus ita in illud sese dedere, ut collatis insimul consiliis alter eorum quotidie statis horis adeat Nosocomia, aegrosque invisat, omnique re iisdem praesto sit. Religiosis autem Viris stimulos admovendos esse, haud ducimus, ne assiduam erga infirmos suam operam desiderari unquam patiantur, cum tot, tantaque fidei, ac virtutis testimonia ab ipsis praeberi suspiciamus. Omnes certe cupimus in visceribus Christi impensa charitate conflagrare, quae omnia sustinet, ubi de animorum, corporumque salute res sit. In hunc pietatis, ac sanctitatis finem conferant vires universi: induti charitate adsideant ad lectulis aegrotantium: nutantes reficiant: afflictos erigant: cunctos ad rerum divinarum amorem inflamment: curent, quibus spes erit vitae, averten-

(1) *Append. par. 5. num. 4.*

di coelestes iras, et mores in posterum corrigendi praecepta inculcare: plurimam divinae tum justitiae, tum clementiae mentionem, et recordationem inferre: pacem annunciare omnibus: religionis ignaros, ac rudes Christiana doctrina instituere: quorum vero desplorata est in terris salus, iis aeternae vitae facere spem jucundissimam, et simul ad supremam pugnam arma contra Doemonum incursus, ac petitiones induere: sacramentis crebro expiare: votis, precatione, Hostia piaculari Deo commendare, ut sancta omnibus, et aeterna pateat requies in Coelis.

CAPUT IV.

DE MONTIBUS PIETATIS ET FRUMENTARIIS.

Quod pauperibus perfugium, et solatium ex Montium pietatis constitutione jam inde a saeculo decimo quinto probatum a Romanis Pontificibus, commendatumque est (1), invectum Velitras ex beneficentia Catharinae Gymnasiae lectissimae foeminae suspicimus, quae cum soror esset Dominici Gymnasii Cardinalis Episcopi Ostiensis, praeter cetera praeclara suae pietatis monumenta Montem pietatis suo aere constituit, quem deinceps mirifice auxit praediviti suo patrimonio Nicolaus Antonius Gregnius. Plura de eodem Cardinales Praecessores Nostri decreverant ad Pontificiarum constitutionum normam, quae in Codicem referri mandavimus, ut statae de ejusdem curatione leges habeantur ad manus, ne quid committatur, quod pientissimo Montium fini non plane consentiat (2). Nonnulla tamen inde excerpta hoc capite tradimus, ut securius negotia Montis vindicari possint, peragi, ac custodiri.

I. Omnem de Montium juribus disputationem sustulit Leo X. in Concilio Lateranensi V. qui re diligenter cognita definivit, recte eos fuisse constitutos, nullumque in iis inesse vitium usurarum. Non enim modici fructus, qui exiguntur, ex mutuo decreti sunt, sed

(1) *Primus Urbiventi Mons extitit, probante Cardinali Ostiensi Camerario, ac deinceps Pio II. litt. apost. 3 Jun. 1463. Perusia deinde ex Pauli II. auctoritate Montem constituit; hinc in alias Civitate inducti. Murator. Antiqu. Italic. diss. 16. Ballerin. de usur. T. 2. in Append opusc. 1. Zinaeus Jur. Pontif. leg. 5 tit. de usur. §. 11. Ast in Montes disseruit Sotus lib. 6. de Just. qu. 1. Carpzovius Practic. Crim. qu. 92. §. 4.*

(2) Regole da osservarsi nel Monte di Pietà di Velletri. Roma 1818.

ea dumtaxat de causa, ut habeant iidem integram rem suam, cum qua pluribus opitulari debent, ac nihil detrimenti capiant ex impensis *Ministrorum, et aliarum rerum ad illorum conservationem pertinentium* (1): iique fructus tanta sunt cautione praefiniendi, ut nonnisi ex Apostolicae Sedis auctoritate constitui, vel semel constituti augeri possint, licet ex auctario illo aes alienum dissolvendum sit, quod pro Montis tuitione, vel in pauperes juvandos fuerat contractum (2). Hinc omnis ad eorum regimen, curationemque sollicitudo, et potestas in Episcopos rejecta ab Tridentinis Patribus fuit (3).

II. Viros ad Montem procurandum spectatissimos adscisci volumus, qui suas partes delegare alteri prohibiti, spondeant, datis praedibus, eo se munere nitide, abstinenterque perfuncturos, rationemque statis temporibus reddituros, et eam pecuniae vim collaturos, quam deberi ab ipsis constiterit. Curent vero bis in anno explicanda, atque excutienda pignora, ne situ, ac pulvere sordeant, et corrumpantur. Sacram supellectilem Ecclesiae, itemque res a filiis familias, vel ab Judaeis, vel ab advenis illatas recipi prohibemus (4). Meminerint insuper ex Pauli V. constitutione cautum esse, ut *quicumque sub quovis praetextu, aut quaesito colore, etiam cum obligatione restituendi intra breve tempus, pecunias Piorum Montium avertunt, aut distribuunt contra, aut praeter formam, seu in fundatione praescriptam, seu peculiaribus legibus constitutam, ipso facto excommunicationem majorem incurrant, a qua illos, nonnisi Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, absolvere valeat* (5).

III. Ubi primum pignora in Monte recepta sunt, vetantur Ministri ipsius illa emere sub excommunicationis poena, ac jacturae pretii persoluti, item et ea commodare, vel adhibere etiam ad pios usus. Si stato tempore redimere pignora Domini negligant, vetustiora primum, subinde recentiora, auctione in menses singulos constituta, divendantur, qua in re talem Ministri adhibeant solertiam, submissis, ubi ex oblati pretii tenuitate opus sit, qui majora pollicean-

(1) *Vid. Const. Leon. X.* Inter multiplices. *Conc. Later. V. Sess. 10. in Collect. Labb. Tom. 19. Item S. Carol. Borr. Conc. Med. 1. Tit. de Piis Locis.*

(2) *Vid. in Thesauro Resolut. Concilii Tom. 1. pag. 28. Item alia ejusdem Congreg. Decreta lib. 15. decret. pag. 486. et 501. praesertim dec. 7. Febr. et 13. Mart. 1637.*

(3) *Sess. 22. cap. 8. de Reform.*

(4) *Ben. XIV. Inst. 69.*

(5) *Legatur Const. Pauli V.* Onerosa *relata in Append. par. 5. num. 3. Item Declaratio edita jussu Urbani VIII. 14. Febr. 1632.*

tur, quae industrium, ac navum patrem familias deceret: renoventque auctionem, si minora, ac par sit, pretia proponi animadvertant: pecuniam exinde collatam, dempta prius summa ab Monte persoluta, necnon auctario, quod constitutum est, servent, quae reliqua extet, pro pignoris Domino.

IV. Deponi apud Montem Pietatis consueverunt pecuniarum summae ad pia loca pertinentes, quae in censum eorumdem conferendae sunt. Haud quidem ambigimus, Montis Ministros pro ipsorum fide, ac diligentia eas contueri: illos tamen vetamus, ne ipsas tradant, nisi iis, quos facultate per nos scripto tradita habere ills oporteat. Hic vero eos iterum monemus, ut recte, et cum fide, sedulaque contentione rem Montis publicam gerant, et administrent; bonis, et vera, non simulata inopia pressis subsidio sint: commoda demum, atque utilitates pii loci conquirant unice, ne si quos infideliter, vel dissolute in ea administratione versatos esse nanciscamur; debita eos poena persequi, ac etiam ab officio removere, vel inviti adigamur.

V. Eadem praescripta sunt jura de Montibus frumentariis: eadem fides, probitas, cura, solertia ab ipsorum Ministris adhibenda: poenae eaedem propositae, si contra normam in Montis constitutione designatam frumentum, et auctaria in alios usus, quam in pauperum commodum addixerint (1); levandae item inopiae, et egestati dumtaxat consulendum, iisque idcirco tribuendum frumentum, qui Parochi testimonio pauperes, et egeni dignoscuntur: non ultra Septembris mensem proroganda frumenti restitutio: praes bonus expetendus, qui id nimirum, de quo se pro altero obligat, Monti frumentario praestare possit; index accuratissimus eorum, quibus frumentum traditur, describendus: frumenti demum ea cura gerenda, ne corrumpatur, quae ab industrio patre familias expectanda esset. Quod si culpa ministrorum jacturam fecerit Mons, praeter noxam, quam in se contraherent, eamdem ipsi aere suo sarcient.

CAPUT V.

DE SODALITATIBUS LAICORUM HOMINUM.

Quod apud primos Christianae fidei cultores, veluti peculiare quoddam suae professionis insigne, invaluerat, ut charitate, qua insimul vinciebantur, *unum cor, unaque esset anima ipsorum*, atque

(1) *S. C. Ep. decret. cit. 14. Febr. 1632.*

in coetum exinde *coirent, et aggregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambirent orantes* (1), hoc illustre mutuae dilectionis, concordiaeque, et consensionis exemplum posteriori aetate non per Religiosas Familias dumtaxat, sed etiam per Laicorum hominum Sodalitates singuliari quadam, publicaque ratione referri suspicimus. Cum enim ex instituti disciplina adigantur frequentes in Ecclesias convenire, statisque coetibus ad Deum comprecandum interesse, Poenitentiae, atque Eucharistiae sacramenta percolere, et cum res poscit, fraterna se ope juvare, mutuisque demereri officiis: mirum profecto est, quodnam ex ipsis ad populum in Christianae virtutis officiis continendum momentum accedat (2). Ast cum sancta haec laicarum Sodalitatum instituta ex temporum injuria paulatim tepescere, nec raro aliquid mali moris in eas irrepere, aut boni praetermitti ex negligentia, animadverterimus, nedum edicto de iisdem lato (3), sed et decretis hoc capite propositis rectae earumdem disciplinae ordinandae, continendaeque, ne denuo labatur, laxeturque, satis opportune nos confidimus consuluisse.

I. Sit itaque in primis cautum, ne nova Sodalitas, quae unica ejusdem generis esse potest in una Ecclesia, instituatur, nisi ex auctoritate, vel consensione Antistitis, cujus litterae in aggregatione etiam assequenda necessariae sunt. Item Episcopi placito opus est ad indulgentias, et gratias Sodalitati communicatas promulgandas, vel ad statuta eidem praefinienda, vel demum ad modum in excipiendis, distribuendisque eleemosynis constabiliendum (4). Vi enim, ac robore careret, si quid Episcopo inconsulto, vel non probante procuretur. Habeant vero Sodalitates universae codicem legum, vel eas sibi consciscant, quibus utitur Romae Coetus princeps, in quem aggregatae sunt, eaeque nobis infra sex menses ab hac Synodo ad nos perferantur.

II. Presbyterum ab Sodalitate qualibet adscisci volumus pietate, ac prudentia, reique sacrae peritum, qui per nos probatus

(1) *Tertull. Apolog. cap. 39.*

(2) *De Sodalitatum origine legatur Polydorus lib. 7. cap. 6. ... Surius T. 3. in vita S. Coelestini P. ... Plura luculenter de Sodalitiis disseruit Bassius in opere, quod de iisdem inscripsit.*

(3) *Extat in App. par. 5. num. 5.*

(4) *Can.* Multis *dist. 16. ... Conc. Lateran. III. cap. 9. ... Clem. VIII. Const.* Quaecumque *1. Dec. 1604 ... Paul. V. Const.* Salubriter *23. Novemb. 1610. ... S. R. C. in Elborensi 7. Oct. 1617. ... S. C. C. in Potentina 29. Maji 1683. ... Conc. Trid. Sess. 21. cap. 8. de Reform.*

eidem adstet ad Sacra, ad precationes, ad pompas, Sodalibusque sermonem habeat statis diebus de disciplina tuenda, eosque ad morum sanctitatem, religionisque studium hortetur, rectamque in ipsorum Ecclesiis, et in Oratoriis divinarum rerum curationem urgeat, nihilque in Parochorum praesertim jura, atque ab justitia alienum moliri eos, ac operari prohibeant (1), ipsorumque, ubi eam a nobis sint facultatem consequuti, confessiones excipiat. Leges de Sodalitatibus latas, tum de bonorum administratione semel saltem in anno perlegantur coram frequenti Sodalium conventu.

III. Ipsi autem Sodales, tum communes, tum peculiares leges omni contentione servare religioni sibi ducant. Adeant festis, aliisque constitutis diebus Oratoria, vesteque coetus induti adstent Sacris, psalmos recitent, precationesque adsignatas obeant, riteque expiati sanctissimam Eucharistiam sumant. Succedant vero ad supplicationes, uti in more positum est, institutoque majorum. Acciti ad eas haud cunctanter pareant; sint tamen minimum duodecim (2): gravi, temperatoque incessu gradiantur, Crucisque, cujus praeferunt insigne, reputent mysteria, pioque officio mente, et corpore ad pietatem compositi sancte, religioseque operentur, ut et Deum propitiare, et ceteros possint ad bonum inflammare. In incessu pompae locum teneant, quo ex jure potiuntur, vel si de possessione quaestio sit, pro originis antiquitate praecedendi norma definiatur (3). Sodales Corporis Christi, quos in qualibet Paroecia habere coetum discuperemus, hortamur, et pro debita in Eucharistiam veneratione obtestamur, ut ad pulsum campanae properent in Ecclesiam, et linteati deducant, ac reducant Sacramentum Augustum accensis luminibus. Vagari eos cum ordinis vestitu per vias, in tabernas, aliave profana loca contendere, vanos, et intempestivos serere sermones, jocis immorari, arma gerere, piaculum foret gravi pena, et quandoque ejectione eluendum. Convivia, compotationes, aliaque id genus ne in Oratorio, seu Sodalitatis impensa uspiam fiant (4). Haec servent, quando etiam ad funera prosequenda psallentes, et corporati procedunt. Binos e Stigmaticianorum Sodalitate prodire diebus festis a meridie per vias ad blasphemos corrigendos, laeti conspicimus, eosque, ut alacres eo officio defungantur, premio etiam Indulgentiarum allecti, hortamur impensissime.

(1) *Extant decreta de Sodalitatum juribus definiendis in Append. par. 4. num. 13. Legatur Bened. XIV. Inst. 105. cap. 4. et seq. ubi complura luculentissime de ipsis enucleantur.*

(2) *Vid sup par. 3. cap 7. §. 3.*

(3) *Const. Greg. XIII. Exposcit* 84.

(4) *Syn. Velit. Card. Cybo. tit. 38. §. 3.*

IV. Latis occulte suffragiis eligantur juxta Sodalitatum leges in annos singulos coram Vicario Generali, et Canonico iisdem praeposito in Civitate, vel coram Vicario Foraneo, et Archipresbytero in locis Dioecesis (1) Praesides, Magistri, Curatores, et alii, qui Ordinem in iisdem habere debent. Sint viri pietate, prudentia, integritate, fortunis, aetate spectabiles; jurentque, sancte se, atque integre suscepto munere perfuncturos: ea vero diligentia, eo religionis sensu sese exhibeant, ut fauste iisdem, feliciterque tradita res publica dignoscatur. Sacramentis animam expiare haud omittant, quo die sua munera auspicaturi sunt. Vicarius Generalis, vel alter, qui Congregationi praesit, designet Sodalem, cui officium committatur, si ter latis suffragiis canonica electio habita neutiquam fuerit. Rationem reddendam de gesta curatione quotannis infra duos menses ab iis, qui res Sodalitatis procurarunt, denunciamus: poenis, mulctisque animadvertemus in eos, qui vel in ratione reddenda, vel in ea repetenda desides extiterint. Dotentur Virgines juxta leges ab legati auctoribus sancitas: quando deliberationi locus sit, seligantur, quae pietate, modestia, secessione a saeculo, et ob frequentatam cathechesim, ac Christianae legis cognitione praestiterint, ac vere pauperes sint (2). Onera, quae Sodalitatem pertingunt, vel eidem imponentur, ubi probata nobis fuerint, fideliter referantur in libros. Frater, qui est ab actis, et ab epistolis, in id prae ceteris advigilet.

V. Maxima solertia opus est in adsciscendis, cooptandisque Sodalibus. Pietas in iisdem, modestia, parendi amor, studium religionis, aetas sexdecim saltem annorum exquiratur. Homines inverecundo ingenio, concitos ad rixam, moribus nefariis, tum qui in jus vocati ob crimen fuerint, tum demum qui in Christiana Cathechesi rudiores inveniantur, propelli ab Sodalitatibus volumus. Hinc ut certa de ipsis testimonia conquirantur, per mensem prostent certo loco palam inscripta petentium nomina, publice deinceps in generalibus Comitiis pronuncianda; tum demum occultis suffragiis de eorum admissione decernatur. Habeat quilibet vestem sua impensa comparatam. Sit annale cunctorum, qui cooptantur, tyrocinium, quo in sanctis coetus institutis pie versentur. Qui demum ab virtutis semita desciverint, qui turbas faciant, qui turpitudine morum, infamia muneris, aliave causa Sodalitatem foedent, nec

(1) *Videantur Sacrarum Congregationum decreta in Append. ad Syn. Baptistelli cap. 25. §. 12. Item et ex Syn. Velit. Card. Cybo tit. 38. §. 5.*

(2) *Vid. sup. par. 1. cap. 6. §. 5.*

admoniti frenum licentiae ponant, deleri mandamus ex albo Sodalium decreto Congregationis Sodalitatibus praepositae.

VI. Leges de recta piorum locorum administratione hac Synodo sancitae serventur accuratissime ab iis, qui ad munus, negotiumve gerendum sunt delecti. In bonis locandis, tum in fructibus vendendis, tum in contractibus ceteris conciliandis id praesertim curae sit, ut cum iis res conficiatur, qui majori pretio adsunt, aut certe quorum utilior conditio visa sit. Sint porro libri ad id separatim comparati, quibus tum Sodalitatis comitia, acta, decretaque, tum nomina Fratrum, ipsorumque obitus, tum reddituum census, rerumque venditarum status, tum demum accepti, expensique rationes recte, ordine, distincte, perspicueque adnotentur. Rerum praeterea, bonorum, jurium, legatorum, onerumque omnium Sodalitatum confici intra mensem inventaria mandamus in Tabulario Episcopali asservanda, quorum exempla in Archivo earumdem Societatum perstet (1). Codices idcirco ab adlecto ratiocinatore ad artis regulas ordinari jussimus, quibus certius, explicatiusque rationes ipsae referantur, ac de iisdem confectis, et consolidatis perspicue constet, ut exinde eodem modo cuncta in illos exscribantur.

VII. Tandem ut in Sodalitatibus Civitatis, ac Dioecesis cuncta feliciter, atque ad praestitutam per Canones, nostroque decreto regulam gerantur, procurenturque, et ex statis hisce civium coetibus ad res divinas, ac salutaria exercitia religio populi floreat in dies magis, foveatur, fulciaturque, quod scilicet propositus earumdem finis est, praecipuos e Clero elegimus virtute, dignitate, omnique commendatione probatissimos, quibus universarum Sodalitatum regimen, procurationemque demandavimus. Ipsorum ergo erit legum earumdem custodiam, executionemque naviter urgere, res majoris momenti definire, de venditionibus decernere, rationes accepti, et impensi probare, sumptus moderari, in Quaestores, et Curatores advigilare, iisque potestatem facere ad sumptus, qui summam scutorum quatuor excedant, et alia id genus in ipsarum utilitatem, et commodum praefinire.

(1) *Vid. par. 4. cap. 2. §. 21. item infra cap. 9.*

CAPUT VI.

DE SACRIS RELIQUIIS, ET IMAGINIBUS.

Corpora illorum, qui toleraverunt mala propter Christum, et nunc sunt, sicut odor balsami ante Dominum, quorum in coelestibus Regnis est habitatio, et in aeternum requies, magno cultu, honoreque habenda esse, dicimus cum S.Augustino (1), probe gnari, perpetuum Ecclesiae morem, atque usum id sanxisse (2), maximosque exinde fructus, atque ingentia bona promanasse. Hinc saepe vel a prima aetate sacrae Reliquiae causa erant Ecclesiae dedicandae (3), saepe Altaria super Sanctorum corpora erigebantur, et iis imponebantur Reliquiae thecis inclusae, easque Fideles ad os, oculos, ceterosque sensus admovebant, et osculabantur (4). Usum eodem modo Sacrarum Imaginum, atque honorariam earumdem venerationem probavit semper Ecclesia, et Concilio Nicaeno secundo haereses de iisdem invectas anathemate profligavit, ***non quod credatur,*** uti Tridentini Patres exposuere (5), ***inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus,***

(1) S. Aug. Serm. 21.

(2) Illustre de hoc monumentum praebent, quae de S. Polycarpi corpore legimus apud Eusebium Hist. Eccles. lib. 4. cap. 15. Hinc S. Cypriani exultatio, quando Martyrum corpora osculari eidem datum erat ex Ep. 6. Late vero id ostendunt ex Patribus S. August. de Civit. Dei lib. 8. cap. 27. S. Hieron. contra Vigilant. §. 5. Isidorus Pelusiota contra Hieracem lib. 1. Ep. 55.... Vid. Nat. Alex. Histor. Eccl. saec. 5. diss. 25.... Card. Gottus de Christi Eccl. Tom 2. par. 2. art. 15.... De Relig. Christ. cap 50. §. 2. num. 11.... Ludovicus Rusca Jud. Eccles. confirm. Tom. 3. cap. 3. artic. 1.

(3) Legatur S. Greg. Mag. lib. 8. Ep. 4.... lib. 9. Ep. 25.... Sozomenus Histor. lib 5. cap. 9. ... Id a Felice I. P. constitutum tradit Anastasius in ejus vita, ut supra sepulcra, aut memorias Martyrum *sacrum fieret. Baronius ad an. 279 §. 2. et Bollandiani in Act SS. April. Tom. 1. et Tillemontius Hist. Eccl. Tom. 4. antiquius id docent. Videatur Girald. Jur. Eccl. par. 1. sect. 599.*

(4) De Reliquiis collo Christianorum appensis testatur S. Greg. Turon. de Glor. Mart. cap. 83. et 84. Dignus vero, qui legatur, locus est S. Greg. Nysseni in orat. de S. Theodoro.

(5) Action. 3. 4. 6. Conc. Nicaen. II. apud. Labb.... et Conc. Trid. sess. 25. decr. de Invocat.

quae in Idolis spem suam collocabant, sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per Imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Cum vero summopere intersit, nullum pravum morem adversus Reliquiarum, et Imaginum sacrarum sanctitatem invalescere, decreta proponimus, quibus in eam rem opportune consulitur.

I. Corpus, aut Reliquias hominum, licet virtute praestantium, quos nondum Apostolica Sedes honoribus Coelitum donavit, haberi cultu, honoreque publico, interdicunt jura Canonum (1): imo nec Coelitum Sanctorum Reliquias evulgari, populoque venerandas proponi ne apud Regulares quidem fas est, nisi antea ad Tridentini decreti normam inspectae a nobis, recognitae, et nostra auctoritate approbatae fuerint (2). Eae porro proferri nequeunt in Altari, ubi propositum sit Sacramentum Augustum (3), nec publice sub Tentoriolo collocari, nisi ex Cruce sint, vel ex altero Dominico Mysterio (4), nec in Eucharistiae tabernaculo, nec in Oleorum sacrorum loculo asservari (5). Venerationem etiam ex sacri habitus apparatu in iis proferendis exhiberi, ac si insigniores sint, pompam luminum, ornamentorum, Ministrorumque adjici, omnino mandamus (6). Nulla vero perstet exposita Reliquia, quamdiu Ecclesiae fores pateant, nisi binae saltem candelae colluceant (7). Clerus Ecclesiae, in qua insignis, probataque extet Sancti cujusdam reliquia, qui in Martyrologio percenseatur, officium de eo, ac Missam celebret. Si autem dubia ea sit, nec Martyrologio nomen Sancti illius referatur, decreta Congregationis Rituum apprime serventur (8).

II. Sancte, ac decenter recondi Reliquias, easque thecis, vasculisque includi forma, materia, et opere variis, ac rite obsignatis, panno, veloque serico obvolutis, atque inviolatas, et a pulvere, atque omni sorde puras, ab omnique injuria, et vi tutas

(1) *Cap.* Audivimus. *de Reliqu. et vener. SS.*. *Const. Urbani VIII.* Sanctissimus *1625.* ... *et alia* Coelestis Hierusalem *1634.*

(2) *Ex Conc. Trid. decr. cit.*

(3) *S.R.C. in Aquen. 2. Sept 1641.*

(4) *Ex decr. Clem. XI.*

(5) *Vid. sup. par. 2. cap. 4. §. 2.*

(6) *Ad dignoscendum, quae insignes Reliquiae sint, legatur Bened. XIV. de Beatific. et Can. lib. 4 par. 2. cap. 6. num. 3.... S.R.C. an.1628. probante Urbano VIII.*

(7) *S.R.C. 24. Jan. 1701.*

(8) *Vid. Decr. Gen. S.R.C. 11 Aug. 1691. in Brev. Rom. Item. decr. S.R.C. 19. Oct. 1691. probante Innocent. XII.*

conservari, et loculos proinde satis ornatos, quibus ponuntur, sera, clavique obfirmari, ne attrectari, vel rapi ab aliis possint, praecipimus. Gravi se noxa teneri sciant, qui Reliquias ex Ecclesiis furari, vel imminuere, vel alteri donare auserint: atque excommunicatione animadvertemus in eos, qui earum vel minimum vendant, cumque eaedem rebus Ecclesiae pretiosioribus adnumerentur, poenas vereantur ab jure in illos decretas, qui absque Sanctae Sedis auctoritate eas distrahant (1).

III. Corpora Sanctorum e loco movere, et alio etiam intra ejusdem Ecclesiae septa transferre interdictum est: quod si necessitas id postulet, admoneri nos volumus, ut rite, atque legitimo jure id conficiatur (2). Possunt quidem Reliquiae minus insignes asservari in privatis Aedibus apud Saeculares homines: sint tamen arculis, vasculis, loculis decenter concinnatis reconditae, summaque semper veneratione excolantur.

IV. In more positum est, ut in nostra Cathedrali Basilica bis in annum, festis nimirum diebus honori S. Clementis P. et M. ac S. Eleutherii Episcopi, et Martyris, Civitatis Patronorum, frequenti Populo proferantur, et ostendantur sollemni coeremonia Reliquiae, quibus eadem tantopere commendatur (3). Pientissimum hunc morem nedum probamus, sed ut magis ex eo in omnium animis religio excitetur, majorque iis honor, et cultus habeatur, Parochos jubemus docere proximis diebus de eo Populum, eumque, ut frequentissimus ibidem adsit, graviter hortari. Ceterum id singulis Ecclesiarum Praesidibus, ac Curatoribus etiam atque etiam edicimus, ut omnem ab Reliquiarum, et Sacrarum Imaginum veneratione turpem quaestum, omnemque avaritiae suspicionem propulsent: vetamus proinde in Ecclesia, aut Ecclesiae foribus, quando ritu celebriori exponuntur Reliquiae, arculas, pelviculasve proponi, quibus conjectae eleemosynae excipiantur, et quibus, veluti tacitis monitoribus, populus ad stipem conferendam invitetur (4).

V. De Sacris Imaginibus id primo cautum sit, ut *nullae falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur ... omnis ex iis lascivia vitetur, ita ut procaci venustate*

(1) *Cap.* Ambitiosae *in Extrav. de Reb. Eccl. non alien. Vid. Cirald. Jur. Eccl. par. 1. sect. 622.*

(2) *Bened. XIV. de Canoniz. SS. lib. 4. par. 2. cap. 22....26. §. 2.*

(3) *Plura asservantur in Bas. Velit. Sanctorum* Λειψάνα. *Extat Crux vetustate illustris, de qua V. E. Borgia librum edidit.*

(4) *Cirald. Jur. Pont. par. 1. section. 62.*

Imagines non pingantur, nec ornentur . . . . nihilque inordinatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum Domum Dei deceat sanctitudo (1). Hinc nullam in Ecclesiis etiam exemptis insolitam, novamque tabulam proponi volumus sine auctoritate, et approbatione nostra, aut ejus, cui nos inspiciendae rei negotium dederimus (2). Ac si imagines eae in Altaribus sint adhibendae, ut prius constituto ritu, suetisque precationibus benedicantur, curandum erit (3).

VI. *Nemo quidem est*, inquit Benedictus XIV. (4), *qui non videat, recte posse Deum fingi eis formis, quibus apparere dignatus est, et etiam illis, quibus eo, quo possumus, modo ejus majestatem, et omnipotentiam ob oculos ponamus*. Advigilandum tamen est, ne in pingendis, effingendisque imaginibus erretur, eaque exprimantur, quae a veritate sint absona: hinc maxime improbamus, formas, speciesque Sanctorum mutari ex ingenio, ut hominis cujuspiam vel nuper mortui, vel adhuc viventis effigies referatur: constat quippe, sacrae imaginis majestatem, religionemque ex eo imminui.

VII. Custodiri diligenter sacras imagines, easque, si sarciri nequeant, comburi, ac cineres in Sacrarium projici, tum nullas per vias imagines collocari, nisi a solo elatas, nec eas humi, stratoque pavimento insculpi, ubi pedibus conculcentur, nec demum ipsas, vel Crucem in sordidis, abjectisque locis poni edicimus, ne ad ignominiam, contemptumque proferantur (5). Leges hic memorandas censemus, quibus coronae, splendorumque ad verticem insigne apponi cuilibet interdicitur, nisi in Sanctorum numerum ab Romano Pontifice ipse relatus sit (6).

VIII. Hoc autem loci monere Parochos volumus, ut si quando inconsulta multitudinis temeritas portentum aliquod inclamet, remque ignoratam, et incompertam in miraculum vertat, conentur pie, modesteque turbas discutere, nihilque novi agere, ac statuere

(1) *Ex Conc. Trid. sess. 25. decr. de Ven. Sanctor.*

(2) *Ex eod decr. Conc. Trid. De vetusto Imaginum usu in Ecclesiis erudite disputat. Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 16. §. 2. Albaspinaeus in Not. ad Can. 36. Conc. Eliberitan. Schelestratius de discipl. arcan. cap. 1. art. 2. Nat. Alex. ad Hist. Eccl. saec. 3. diss. 21. art. 2. et cap. 6. art. 28. et ad saec. 8. diss. 6.*

(3) *Ex Pontificali, et Rituali Rom. de Benedict. Imaginum.*

(4) *Bened. XIV. de Canoniz. Sanctorum lib. 4. par. 2. cap. 21. §. 2. et ex ipsius Constit.* Sollicitudini nostrae §. 12.

(5) *Legatur Bened. XIV. Inst. 73.*

(6) *Bened. XIV. de Canoniz. Sanctorum lib. 2. cap. 11. et 12.*

audeant: sed rem illico ad nos deferant, ut quod veritati, ac pietati conveniat, peragamus. Hinc rursus nova miracula promulgari prohibemus, nisi ea prius cognita a nobis, probataque sint (1). Quod si ad Imagines in pariete alicujus privatae domus depictas tabulae, votaque suspendantur, vel dona, ac pecuniae offerantur, non haec ad Aedis possessorem pertinent, sed ab iis, quos ideo adsciscamus, suscipiantur, curenturque (2).

IX. Sacras in privatis Aedibus haberi imagines, imo nullum domi cubiculum sine sacra aliqua imagine esse, confert summopere ad excitandam, tuendamque Religionem. Eas contra auferri, deleri, comburi, studium pietatis, quo conflagrare debemus, efflagitat, quibus noverimus pudorem, modestiam, verecundiam offendi, mollesque animos subrui, et bonas mentes labefactari. Pictores, opificesque ceteros, qui ea maxime re commendare sua signa videntur, hortamur etiam atque etiam, ut a tanto facinore, quod in perennem ipsos ruinam infeliciter perducit, omnino abstineant. Patres familias, ut id mali ab suis domibus auferant, per aeternam ipsorum, suorumque salutem rogamus, obtestamurque. Cum demum frequentes in Aedium parietibus sacrae Christi Domini, Virginis Genetricis, Coelitumque imagines per vias prostent, magno eas universi honore colant, neque eas praetereant unquam, quin aperto capite cultum, ac venerationem iisdem tribuant. Illustri id sane erit omnibus exemplo, opemque exinde ab Coelitibus praesentissimam sibi feliciter demerebuntur.

CAPUT VII.

DE TESTAMENTIS, AC LEGATIS PIIS.

Cum Episcopi, *tamquam Apostolicae Sedis Legati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint executores* ab Tridentino Concilio designati, *ut omnia, quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, aut pauperes substentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant, et exequantur* (3): haec placuit Synodali actione de testamentis, ac piis legatis decernere.

(1) *Ex Leonis X. Const.* Supernae: *et ex cit. decr. Conc. Trid.* §. Haec fit fidelius. *Cap.* Audivimus. *De Reliq. et Venerat. Sanctorum. Can.* Placuit. *De Consecr. dist. 1. et Conc. Mediol. 1. Vid. sup. par. 1. cap. 7.* §. 13.

(2) *S.C.C. in Portugall. 1727.*

(3) *Conc. Trid. sess. 22. cap. 8. de Refor.*

I. Haeredes, et quorum interest, id primo impense admonemus, ne longius, ac par sit, differant, ea praestare, quae religionis causa assignata, donata, legataque sunt. Qui vel temporibus ex Defunctorum voluntate constitutis, vel ultra sex menses, si nulla sint tempora praefinita, obtemperare iisdem neglexerint, qui studio pietatis aliquid piis usibus legarunt, sciant, se poenis teneri in occupantes bona Ecclesiarum sancitis (1), et curam eorumdem legatorum ad nos pertinere (2), qui certe omni studio contendemus, ne qua fraus piis voluntatibus fiat.

II. Hinc Ecclesiarum, Collegiorumve Curatores nos admoneant quamprimum, si noverint aliquod legatum, piamque voluntatem adhuc executione carere. Id Notariis, Scribis, atque ceteris quibuslibet, qui testamenta, codicilla, aliasve tabulas legata ad pias causas continentes rogati conscripserint, obsignaverintque, aut scripta, obsignataque ab aliis ipsi apud se habeant, districte edicimus, ut eadem infra mensem ab edita Synodo nobis seu Vicario nostro significent, praeter quam si ea antea enunciarunt, idque in posterum intra duos menses a die publicati Testamenti praestent omnino, eamque ideo testamenti partem, qua pium legatum describitur, publica auctoritate munitam tradant, debita mercede accepta. Qui ea in re negligentes fuerint, excommunicationem incurrunt, cujus nobis est absolutio reservata (3). Praecipimus vero Cancellariis, ut scripta haec legata in certum librum referant, ne rei memoria intereat. Edictum, quo haec sancita a nobis sunt, perlegant Parochi statis diebus coram Populo, eumque de ipsius praescripto perspicue edoceant (4). Ne vero nostro de piis legatis officio desimus, praeter Suffraganeum Veliternum, nostrosque Vicarios Generales alios e Clero delegimus viros illustres, qui in hac pergravi Episcopalis muneris sollicitudine sua nos juvent prudentia, fide, solertiaque.

III. Illud de Sacrorum oneribus sive perpetuis, sive temporariis notum sit, ad Episcopos, non vero ad Haeredes pertinere numerum eorumdem ex legato censu praefinire, si testator ipsum non designavit (5); item in Parochiali Ecclesia, vel ad locum mortalitatis

(1) *Syn. Velit. Card. Cybo Tit. 45. §. 1.*

(2) *Cap.* Nos quidem *3. cap.* Tua nobis *17. de Testamentis, quo canone illud diserte cautum est*, per Episcopo providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a Testatoribus id contingeret interdici.

(3) *Vid. Tabulam casuum reserv. par. 2. cap. 6.*

(4) *Append. par. 5. num. 9.*

(5) *Cap.* Cum tibi *de Testamentis.*

ejus persolvi debere Missas, quae nulli Altari ex institutione sunt assignatae, nisi forte arbitrio id relictum sit Haeredis, aut Parochi, quibus tamen extra Dioecesim ea committere interdicimus (1); ac demum si ad legati executionem praepediendam caussae praesto sint, rem ad nos deferendam, ut opportune consulamus, neque legati commutationem, aut cessationem ab Haeredum consensu pendere, atque imo Apostolicam Sedem adeundam, si legati, quod jam executionem nactum fuerat, fundi ammissi, imminuti, vel in discrimen adducti sint (2). Haec universos monitos volumus, ne quis ex legati census jactura liberum se arbitretur absque Apostolicae Sedis consensione a suscepto onere ad institutionis normam sustinendo.

IV. Nostrum erit, cognita re, penitusque perspecta, decernere, utrum perpetua onera, vel legata, vel haereditates suscipere pro pio aliquo loco, an respuere satius sit (3). Nemo proinde id audeat ipse per se suo arbitratu definire. Cavendum quidem Parochis praesertim, et Animarum moderatoribus edicimus, ne opem, consiliumve praebeant ad testamenta conficienda, quibus Ecclesiae, ac piae causae consanguineis etiam egentibus praeferantur. Audiant S. Augustinum luculenter obtestari: *Quicumque vult exhaeredato filio haeredem facere Ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: imo Deo propitio nullum inveniet* (4).

V. Ceterum quamquam Parochos deceat aegrotantibus, dum mens integra est, testamenti confectionem inculcare ad lites praecidendas, cavendum tamen ipsis diligentissime est, ne rem ad suam ipsius utilitatem, vel ad Ecclesiae suae commoda trahere, et ad legata et sibi, et Ecclesiae conscribenda pellicere aegrum adnitantur. *Animarum salutem inquirere debet Sacerdos*, inquiunt Cabillonensis III. Concilii Patres (5), *non lucra terrena, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumveniendi: Ecclesia vero sancta non solum Fideles spoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre*. Quin imo eos hortamur, ut si qua pecuniae summa pietatis, ac beneficentiae studio in pauperes conferenda iisdem

(1) *Plures Synodi*.

(2) *Clement* Quia contingit *de Religios. Domib. Conc. Trid. sess.* 22. *cap.* 6. *et sess.* 25. *cap.* 8.... *S. C. C. in Sorana* 25. *Jun.* 1620. *Item de mandato Urbani VIII. in decr.* 25. *Jun.* 1625. *Vid. sup. par.* 2. *cap.* 5. §. 29.... *Item R. P. D. Crispin. de Visit. par.* 2. §. 14. *num.* 1.... *Monacell. Tom.* 2. *tit.* 13. *form.* 7. *num.* 11.

(3) *S.C.C. in Celson.* 22. *Jul.* 1741. *et in Cremonen.* 25. *Jul.* 1707. *Monacell. Tom.* 1. *tit.* 5. *form.* 15. *num.* 21.

(4) *S. Aug. serm.* 2. *de vit. Cleric. relat in Can. ult. caus.* 17. *quaest.* 4.

(5) *Syn. Cabillon. III. cap.* 6. 7..

tradatur, legeturve, sequestros se illius pecuniae, ac diribitores nequaquam exhibeant, sed eam potius, nisi ipsis secus interdum in re praesenti videbitur, ad depositorum Custodem extemplo rejiciant, et schedis ab se obsignatis persolvi ab eo certis miserabilibus personis curent: si enim pecunias ipsi tractare assueverint, metuendum est, ne famae suae, atque existimationi aliqna labes ab iniquis, et omnia pejorem in partem interpretantibus adspergatur. Eas vero sibi ipsi attribui ne egestatis quidem nomine, specieve, omnino interdicimus, nisi rei scripta facultas concessa a nobis fuerit.

VI. Edicant Animarum Curatores eis, quorum interest, ne in aperiendis defunctorum testamentis desides sint: inde enim legata, quae fortassis ad pias causas descripta, constitutaque sunt, irrita perstarent, quod quidem ubi primum relatum ad nos sit, nostrarum partium erit illico decernere, quod e re esse dignoscamus.

VII. Ratum, firmumque ex Canonum jure est testamentum, quod Parochus coram tribus, vel etiam duobus testibus rogatus conscribat ad normam a Benedicto XIV. designatam, quam edi jussimus in Appendice (1). Curent tamen Parochi, vel Aegroti Confessarius ordinarius, seu Capellanus, quoad fieri possit, ut Notarii manu, servataque forma legitima testamentum condatur. Monitiones, quas de cautionibus a Parochis ea in re habendis proposuimus, servent perstudiose, atque intra mensem ab obitu Testatoris exemplar testamenti ab se, et a Testibus obsignatum in Curiam nostram omnino mittant, ut, quod juris sit, urgere possimus. *In legatis vero Piis*, cum Romano Concilio finem Capiti imponimus, *et quae ab aegrotantibus ad Parochorum aures fieri quandoque solent, ut fraudes, litesque evitentur, testes etiam in eodem numero adhibeantur, coram quibus Testator se quaedam ad pias causas eroganda, suo prout Parocho, seu Confessario injunxit, ita velle declaret, talique declaratione pia testatoris dispositio suum semper sortiatur effectum* (2).

(1) *Append. par. 4. num. 11. 12.* (2) *Conc. Rom. Tit. 20. cap. 1.*

CAPUT VIII.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Ecclesiarum fructus ita antiquitus dispensatos legimus, ut inde et Episcopis, et Clericis sustentandae vitae, et dignitati, quae necessaria forent, tribuerentur, et pars reliqua in Ecclesiae usus, et in egentes addiceretur (1). Solebant quippe initio Clerici ab Ecclesia *per Episcopum mensibus singulis victus causa meritam stipem accipere*, uti ex S. Cypriano didicimus (2). Ast factum postea fuit, ut aliquibus ex his Ecclesiae possessiones, quoad viverent, ab ipso Episcopo concederentur, quae *Beneficia* dici coeperunt, eo quod, ut habet Summus Pontifex Symmachus (3), *benemeritis tantummodo ea concedi liceret, quatenus et hi qui merebantur, etiam temporali se sentirent hoc commodo consolari, et alii adjuvante Domino eorum ad melius imitatione contenderent proficere* (4). Haec placuit memorare, ut Clerici singuli quam maxime caveant, *ne*, uti a Concilio Aquisgranensi II. admonemur, *ea, quae Ecclesiasticis tradita sunt ministeriis pro remissione peccatorum, aut aliis aptanda officiis aliquis propria cupiditate, aut potentum terrore, parentumve procuratione ad alios usus detorqueat, ne forte, quod aliis extat remissio peccatorum, ipsis sit damnationis augmentum* (5). Quocirca de re gravissima haec decrevimus ad Canonum praescripta.

I. *Canonicis regulis est constitutum, ut defuncto Pastore diu sacerdotio privari Ecclesia non debeat* (6). Hinc ubi primum Paroecialis Ecclesia vacua Rectore sit, edictum proponi curabimus, quo omnes, qui eidem praefici voluerint, invitantur ad concursum, qui stata die habendus erit, inlatis antea per triduum in Curiam no-

(1) *Hanc bonorum Ecclesiae divisionem memorant Simplicius P. Ep. 3. ad Florent. apud Labbaeum Conc. tom. 5. Gelasius P. Ep. 9. ad Episc. Lucan. cap. 27. Vid. Thomassin. de Eccl. disc. tom. 3. lib. 1. cap. 1. 2. 3.... et Baron. ad an. 253. §. 74. Item Mamachius* Del dritto libero della Chiesa *lib. 2. cap. 2. §. 2.*

(2) *S. Cypr. Ep. 28. et 34. Hae concessiones bonorum factae Clericis de Ecclesia benemeritis plerumque brevi temporis intervallo continebantur: uti constat ex Conc. Agathensi can. 7. can. 22. et Aurelianen. 1. can. 23. apud Labb. tom. 5. vid. Du-Cangius Glossar. V. Beneficium.*

(3) *S Symmach P. Ep. 5. ad Caesar. Arelat. cap. 1.*

(4) *S. Greg. M. lib. 8. Ep 8.*

(5) *Con. Aquisgran. II. cap. 2. can. 7. apud Labb.*

(6) *S. Greg. M. lib. 2. Ep. 3.*

stram opportunis de vita, moribus, doctrina, professione testimoniis. Nos in consilium accitis Examinatoribus, eum ex approbatis vacanti Ecclesiae praeficiemus, vel praeficiendum curabimus, quem ei regendae aptiorem, magisque idoneum esse nanciscamur. Eisdem examinis legibus a Benedicto XIII. decretis beneficia Canonici Theologi, et Poenitentiarii in Basilica Cathedrali, necnon Theologi in Chorana Collegiata Ecclesia S. Mariae a Plebe conferentur (1).

II. Curent, qui facultate praesentandi ad beneficia donati ex jure patronatus sunt, ut tempore a Canonibus constituto eum praesentent, qui moribus, aetate, doctrina, virtutumque aliarum laudibus polleat, quas negotii ratio requirit (2), ne si eum minus aptum beneficio regendo, vel praescriptam aetatem nondum habere intellexerimus, repellere ipsum adigamur (3). Quod quidem cum in beneficiis quibuslibet, tum in iis praesertim, quae curam animarum important, omni contentione, diligentia, sollicitudine, nullaque habita nec amoris, nec propinquitatis, nec odii, nec aemulationis ratione est enitendum.

III. Iis porro poenas canonicas iterum denunciamus, qui ex pactionibus, ex pecunia, aliisque ex conditionibus ad beneficia praesentarunt, vel qui eo modo ab iisdem beneficia acceperint: cadent illi omni praesentationis jure: abdicentur isti a delato beneficio, atque ita amoti censeantur, ut nedum nequeant fructus ullos accipere, aut omnino in rem suam vertere, sed nec illud insuper, nec aliud in posterum ullum capere, et consequi possint (4). Easdem et in Notarios, qui nefariae fraudis, pactionisque tabulas confecerint, et in pactionis ipsius internuncios, conciliatoresque poenas edicimus, quas in auctores ipsos simoniae irrogatas novimus (5). Huc spectat *beneficialis*, quam dicunt, *confidentia*, quae committitur, si quis beneficium recipit, ut ejus fructus alteri reddat, aut certo post tempore titulum restituat, aut cum usque ad certam infantis

(1) *Const.* Pastoralis *in App. Conc. Rom. num.* 2.

(2) *Ex Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform. et sess.* 24. *cap.* 12. *et* 18. *de Reform. Vid. Ben. XIV. de Syn. lib.* 4. *cap* 8. ... *De tempore, quo nominatio agenda est, vid. cap* Quoniam 3. *et cap.* Cum propter 37. *de Jure patron. et cap. unic. eod. tit. in* 6.

(3) *Vid. Girald. par.* 1. *sect.* 579. *de praesent. indigni.*

(4) *Cap.* Cum dilecta 16. *de Concess. Praeb et cap.* Detestanda 2 *eod. tit. in* 6. *Extrav.* Cum detestabile .... *cap.* Matthaeus ... *cap.* Nobisfuit ... *cap.* De hoc ... *cap.* Sicut tuis. *De Simonia, et S. Pius V. Const.* 5. Cum primum.

(5) *Ex Conc. Trid. sess.* 25. *cap* 7. *de Reform.... Pius IV Const.* Romanum Pontificem ... *S. Pius V. Const.* Intollerabilis 112.

aetatem alicui beneficium tribuitur, ut illud ipse deinceps in adultum transferat (1). Item reservatio pensionis sine Superioris auctoritate, et beneficii renunciatio, servato ad idem regressu, aliaque hujusmodi pacta, quae *fiduciaria* dicimus, irrita plane sunt, noxamque simoniae inducunt, poenis per Canones decretis vindicandam. Quin imo quamquam ad controversias beneficiorum componendas, ac redimendae vexationis nomine expediat quandoque litis inire pactiones, id tamen nemini liceat conficere, nisi nostra auctoritas intercesserit (2).

IV. Resignationes beneficiorum, quae justa causa non probentur, prohibent jura (3): eaedem vero, nonnisi omni sublata conditione, emitti apud nos poterunt (4): quod si paroeciale beneficium illud sit, quod resignari velit, triennalis ejusdem possessio necessaria decernitur, ut eidem abdicando locus sit. Pactiones de pensione remittenda, seu abolenda ex certa inlata summa pecuniae improbatas penitus declaramus, poenasque privationis beneficiorum, et excommunicationis incurrunt, qui contraxere, nullumque in posterum capere beneficium possunt, ac pecuniam in id impensam amittunt, quae ab Episcopo in pios usus erit addicenda (5).

V. Demum qui beneficia adepti sunt, haec summatim monemus. Sint ipsi studio religionis, suavitate morum, integritate vitae, doctrinae laude commendandi. Leges de habitu Clericali, de Horarum canonicarum recitatione, ac de residentia teneant, serventque (6): tum quae sui muneris partes sunt, sacra, precationes, onera demum universa fide, ac religione, qua oportet, maxima

(1) *Legatur Bened. XIV. Inst. Eccles. 12. §. 6. et seq.*

(2) *Legatur S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 5. Extant in hanc rem cap.* Dilectus, *et cap.* Matthaeus *23. de Simonia: de quibus vid. Bened. XIV. Instit. 93. ubi luculentissime cuncta proponit.*

(3) *Cap.* Nisi cum pridem *10. de Renunciat. quo Innocent. III. causas legitimas renunciationum percenset, unde ea carmina sunt tracta:* Debilis, Ignarus, male Conscius, Irregularis, Quem mala Plebs odit, dans Scandala, cedere possit. *Const. S. Pii V.* Quanta Ecclesiae.

(4) *Renunciatio irrita est, nisi edatur auctore eo, a quo beneficium collatum est. Const. praedicta S. Pii V. haec decreta sunt. De Resignationibus, quae reservata pensione fiunt, legatur Bened. XIV. Const.* In sublimi. *De Legibus Renunciationum vid. Conc. Trid. sess. 21. cap. 9. et sess. 23. cap. 18. de Reform. Item Const. Greg. XIII.* Humano vix judicio. *et Const. Bened. XIV.* Ecclesiastica. *Item Reg. 19. Cancellariae, quae inscribitur:* De viginti.

(5) *Bened. XIV. Const.* In sublimi.

(6) *Vid. sup. par. 3. cap. 5. §. 3.... par. 4. cap. 1. §. 7. cap. 2. §. 5. cap. 4. §. 6.*

connitantur sustinere (1). Diligant decorem Domus Dei, et quae sui Sacerdotii sunt, Altaria, Cellas, Ecclesias cultu nitidiori exornare, sarcire, restituere, fulcire contendant (2). Bona demum, jura, fundos, privilegia vindicent, augeant, tueantur. Sacramenti, quo se obstrinxerunt, meminerint, illudque habeant in animo adsidue, ad eum finem *illam sibi copiam esse attributam, ut praeter ea, quae ad victum, et cultum eorum satis essent, suppeterent etiam, quibus divini cultus ornatus, et splendor conservaretur, et pauperum inopia, et indigentia sublevaretur* (3).

CAPUT IX.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

Res Dei, sacram pecuniam, deposita pietatis, patrimonium Christi, nominari Ecclesiarum bona, *utpote Dei cultui, et spirituali regno Christi in terris promovendo dicata, appropriata, et acquisita* (4) vetustissimis etiam Christianitatis monumentis edocemur (5). Cum proinde summa fide, ac diligentia eorumdem sit gerenda procuratio, quae Episcopis olim unice tributa fuerat (6), ac deinceps ita Praesidibus piorum locorum, et Beneficiariis universis sit demandata, ut Episcoporum sit in eam advigilare, et si quid jacturae, ac detrimenti iisdem inferri noverint, ex ipsius rei sacrae rationibus apte consulere, decreta de recta eorumdem administratione, custodia, tuitione proposuimus, quibus hanc Episcopalis sollicitudinis partem felicius, securiusque impleamus.

I. Maxima in iis deligendis, quibus bona Ecclesiastica procuranda committuntur, adhibenda est cura, ut nimirum, qui fide, sedulitate, probitate, solertia, usuque rerum praestant, eo mune-

(1) *Vid. sup. par. 2. cap. 5.* §. 24.

(2) *Ex Conc. Trid. sess. 25 cap. 1. de Ref. . . . sup. par. 5. cap. 1.* §. 4.

(3) *S.Carolus Conc.Prov. 1. part. 2.* Quae pertinent ad bonorum. §. Si vero.

(4) *Verba haec sunt Gisberti Woetii Politic. Eccl. par. 1. Tract. 2. de Pecul. Eccl. cap 1.*

(5) *Luculenter, eruditeque Mamachius rem universam expendit in opere*: Del diritto libero ec. *Legatur Auctor operis*. De finibus utriusque Potestatis *(InnocentiusLirutusEp Veron.) C. 15 16. ubi rationes proposuit, quibus* consecrata, *ac* sacra *dicuntur bona Ecclesiae* . . . Loculos *in Ev. Joann. 12. v. 6. et 18. v. 29. ex Vulgata nominatos, legimus in Graeco textu* ἐν τῷ γλωσσοκόμῳ in Marsupio, *quod* fiscum Reipublicae Domini *appellat S. Augustinus Enarrat. in Psalm.* 146 §. 17.

(6) *Can. 21. caus. 1. qu. 7.*

re donentur. Hinc rejiciendi a tali procuratione sunt filii familias, qui sui juris non sint, et egentes, et decoctores, et prodigi, qui patrimonia sua profuderunt, fortunasque obligurierunt, et qui locis ipsis piis pecuniam ullam debent, et demum qui sive suo, sive alterius nomine subjecto ex loci ipsius bonis compararunt, aut conduxere, aut in emphyteusim quidquam acceperunt. Ii porro Ministri suum munus adituri, jurejurando, datisque praedibus polliceantur, recte se, et cum fide rem illius loci publicam gesturos, rationemque nobis singulis annis rerum administratarum reddant (1).

II. Hinc omni diligentia, industria, vigilantia, studeant ipsi utilitates, incolumitatemque pii loci ex sua procuratione adsidue urgere, conquirere, atque vindicare. Curam sibi ab ipso Deo traditam considerent personarum, quibus juvandis, alendisque bona ipsa data, dedicata sunt, quae administranda suscepere. Cultum Ecclesiarum, aediumque tuitionem quaerant sedulo: cuncta ex defunctorum voluntate, atque ad leges instituti conficiant: eleemosynas non pro arbitrio, non ex gratiae studio, sed ad praefinitam normam, iisque impertiant, quos probitas morum, et inopia magis commendarint: sumptus pro tempore, et copia moderentur: lites componant, quin tamen in reciperandis etiam actione forensi juribus legitimis desides sint: fructuum venditionem proponant publice, ut succedant, qui majori pretio redimant: creditas res, pecuniasve exigant diligentissime, ne auctis nominibus solvendo debitores impares fiant: pecunias apud Montem Pietatis deponant iis retentis, quae in sumptus quotidianos necessariae sint. Quod si certa pecuniae summa ex contractus conditione, vel ex lege injecta in censum, ac patrimonii fundum addicenda sit, quamprimum de ea re decernant ex eorum, quorum interest, consensu, nostraque auctoritate conquisita: tribuere eas propinquis, vel sibi ipsis condicere, nefas foret, ac praeter poenas per nos irrogandas, irritos, nullosque tales contractus declaramus, atque illico reddi eas omnino mandamus (2). Eas autem impendi in emendis dumtaxat bonis fructiferis, liberis, et ab omni hypothecae vinculo explicatis, aut in censibus quam tutissimis jubemus, neutiquam vero ad aedes comparandas, quae cum ruinosae ut plurimum, ac male materiatae sint, haud securam praebent hisce contractibus hypothecam. Cautum iterum hic volu-

(1) *Ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 9. de Reform.*

(2) *Cap.* Cum Laicis. *De Rebus Eccles. non alienan....* *cap.* 2. Ne Clerici ... *S.C.C. in Parmen. 7. Oct. 1602. et de Mandato Alexandri VII. 15. Decemb. 1663.... Alexander VII. Const.* Suprema 23. *Apr.* 1657.

mus, ne Curatores ipsi, eorumque necessarii res pii loci contractu ullo sibi vindicent, ne si persona quidem, nomenque alterius suppositum sit (1): quod si constiterit, dimoveantur iidem e munere, ac si quid detrimenti res loci passa sit, ipsi cogantur legibus ad praestandum, quanti interest (2).

III. Adsciscì volumus viros rerum usu peritos, qui Aedes locorum Piorum invisant, ne labes in iis deteriores fiant, atque ex earum ruina jacturas graviores, censusque deperditos lamentemur. Item in locandis bonis omnem fraudis, vel gratiae suspicionem propelli jubemus, eaque non ex arbitrio eorum, qui illis administrandis praesunt, locari volumus, sed publice proponi, ac omnibus conducendi potestatem fieri, et iis demum tradi, qui majori pretio paciscantur, aut certe quorum utilior conditio visa fuerit: iis autem locari quidquam vetamus, quos piis locis pecuniam debere constiterit. Qui autem conduxerit, fidejussorem det, cum quo si opus sit, haud minus libere, quam cum ipso conductore jure agi possit. Vicinis locari praedia vetamus, ne de finibus controversiae aliquando enascantur. Qua possit maxima diligentia, distincte, perspicue, partiteque fines describantur in tabulis, accuratissima insuper mensurae quantitas adnotetur, imo si de emphytheusi res sit, fundi imago ibidem referatur.

IV. Redditus ad stata onera sustinenda impendi sancte, casteque debent a Camerariis; hinc ea pecuniae collocandae ratio sit, quae perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales: caveant tamen, ne extra modum impensa, et magnificentia prodeant, effusoque sumptu in res inutiles, leges de iis moderandis a nobis singulatim datas praetergrediantur. Quare si quid sumptuosius parandum sit, nonnisi ex nostra auctoritate id fiat, vel si ad Sodalitates spectet, ex placito Congregationis iisdem praepositae (3).

V. Ministros ultra triennium in eadem procuratione retineri prohibemus, nisi gravis causa id postulet a nobis probanda: rationum libros intra quindecim dies iis, qui eorum loco facti sunt, tradant, ac si ad mensem non pareant, mulcta in dies singulos puniantur. Cuncta in iis libris ad praefinitam normam descripta sint: res etiam nondum ad exitum perductae, tum Praesidum decreta, ac placita ibidem referantur. Qui iisdem cognoscendis adsciscuntur, cuncta in eos relata diligenter inquirant: legum instituti executionem animadvertant: modum impensarum, jacturas,

(1) *Cap.* Nulli liceat *et cap.* Ad Audientiam *de Rebus Eccl non alienand.* *Card. Cybo tit.* 42. §. 10.

(2) *S. Greg. M. lib.* 2. *Ep.* 22. *Syn. Velit.*

(3) *Vid. sup. hac parte cap.* 5. §. 6.

detrimentaque, si quae in pium locum successere, ad veritatem enucleent. Haec de rationibus quoque in annos singulos reddendis peragantur: Codices iterum instamus, ut recte, atque ordine confecti sint.

VI. *Ut autem ea, quae ad Beatissimae Ecclesiae jura pertinent, vel posthac forte pervenerint, tamquam ipsa Sacrosancta Ecclesia, custodiantur, atque ut sicut ipsa religionis, et fidei mater est, ita ejus patrimonium jugiter servetur illaesum* (1), statuimus, ut intra duos menses ab Synodo edita Capitula quaecumque, et Collegia, atque Ecclesiarum, et beneficiorum etiam simplicium, et de jure patronatus Rectores, omnesque Hospitalium, Sodalitiorum, Congregationum, ceterorumque locorum piorum Administratores inventarium bonorum omnium, jurium, actionum, reddituum, nominum debitorum, rerum creditarum quavis ratione ad se spectantium conficiant, in quo accuratissime perscribant ea etiam, quae temporum injuria, et ex rerum conversione ammissa sunt: ejusque inventarii duplex exemplum publico signo, manuque Notarii consignatum parent, quorum alterum in sua quisque Ecclesia servet, alterum in tabulario Episcopali custodiendum tradant. Normam ab Concilio Romano sancitam describi jussimus in Appendice (2). Interim vero singulos, qui opem, consilium, notitias conferre possint, hortamur impensissime, ne eos pigeat in tantum Ecclesiastici patrimonii commodum collaborare. Addatur autem in fine inventarii declaratio, qua nullum ex eo in pii loci rationes damnum inferri, neque deperditis accenseri, aut abdicata esse, sed sarcta tecta sciscantur, quae bona, ac jura praeter ea, quae descripta sunt, ad illud spectare deinceps constiterit.

VII. Eadem porro diligentia hoc ipso anno *Catastrum* bonorum per quaelibet Pia loca confici mandamus, quo graphica fundorum descriptio extet, loca notentur, quibus iidem sunt, finesque, quibus continentur, aestimatio, mensura, quantitas, qualitas, census eorumdem. Recognosci haec inventaria, et Catastra in Visitatione mandamus, eaque, ubi opus sit renovari, ac saltem si quid antea omissum, aut si qua postea accessio, mutatiove facta esset, corrigi in annos singulos exemplum eorumdem utrumque.

VIII. Verum ad Ecclesiae bona contuenda, ne quis invadere in ea, manumve injicere audeat, poena anathematis decreta est, cui praeter sacrilegii crimen, quo se homo id genus alligaret, *tamdiu subjaceret, quamdiu Ecclesiae de usurpatione iniquissima non sa-*

(1) *Leg.* 1. C. de Sacrosanct. Eccl. *Vid. Append. par. 5. num. 10.*
(2) *Ex Conc. Rom. Tit.* 20. §. 10.

tisfecerit: in ea quippe verba S. Leo Magnus edixerat (1): *Sine exceptione decernimus, ut ne quis de Ecclesiae suae rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere, nisi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et id eligat, quod non sit dubium Ecclesiae profuturum. Nam Presbyteri, vel Diaconi, aut cujuscumque Ordinis Clerici, qui conniventiam in Ecclesiae damna miscuerint, sciant se et ordine, et communione privandos, quia plenum justitiae est, ut non solum Episcopi, sed etiam totius Cleri studio Ecclesiasticae utilitatis incrementa serventur, et eorum munera illibata permaneant, qui pro animarum suarum salute propriam substantiam Ecclesiis contulerunt.*

IX. Hoc autem cum ceteri Pontifices plures, tum Paulus II. luculentius decrevit edita decretali epistola (2), qua sancivit, ut nemini, qui Piorum locorum bonis administrandis praesit, bona eorumdem immobilia, ac ne mobilia quidem, si pretiosa sint, vendere, permutare (3), in emphytheusim dare, locare ultra triennium (4), aut quovis alio modo alienare liceat (5), nisi iis servatis, quae statuta a Sacris Canonibus sunt, nec sine Sanctae Sedis Apostolicae auctoritate. Qui enim secus fecerit, poena excommunicationis ipso facto, nullaque praerequisita Judicis sententia, obstringitur; ac si quis in beneficium, cujus vel alienavit, vel occupat bona, juspatronatus obtinet, eo etiam jure statim mulctatur, et ab ordinum, quibus praeditus est, usu prohibetur (6). Quo quidem vetito transactiones, et concordias comprehendi, certum est, quae de juribus, et rebus in controversiam vocatis sciscantur (7). Patet

(1) *S. Leo Ep. 17. ad universos Ep. Siciliae. Legantur Ballerinii in not. ad eamdem num. 8. et Caceiarius in Monit. ad ipsam Ep qui ejus veritatem in Quesnellii sophismata vindicarunt.*

(2) *Const.* Ambitiosae *relat. inter Extrav de Rebus Eccl. non alienan.... Item Conc. Trid. sess. 22. cap. 11. de Reform.*

(3) *Cap* Nulli *5. de rebus Eccl non alien.... Gonzalez in cap. 1. et 2. de Rer. permut.... Corrado in Praxim dispensat. lib. 9. cap. 10, ... Card. Petra ad Const. Pauli II. sect. 1. §. 13.*

(4) *Triennium continetur tribus annis utilibus: ex Rota Rom. in Tiburt. affictus 19. Jan. 1648. Hinc si ex bonis locatis fructus habeantur tantummodo unoquoque biennio, aut triennio, tunc recte per annos sex, aut novem locatio perficitur. Vid. Fagnan. in cap. 5. de reb. Eccl. non alien.*

(5) *Legat. Const. Urbani VIII.* Humanae salutis; *ejusque decretum editum die 7. Septembr. 1624. apud Girald. par. 1. sect. 491. quo sublata sunt privilegia Regularibus, quibus antea res ecclesiasticas, inscia Sede Apostolica, alienare licebat.*

(6) *Ex cit. Ep. S. Leonis M.*

(7) *S. C. C. in Albanen. 11. Jun. 1697. et in Asculana* Beneplaciti 14.

vero, contractus hujusmodi tunc solum culpae verti, et poenis vindicari, cum voluntarii sunt, nempe si nulla juris aut hominis praescriptione ineantur, quales essent venditiones, quae fiunt vi constitutionis Gregorii XIII. *de retractu*, vel ad normam Bullae S. Pii V. *de redimibilitate censuum debitori attributa*, vel demum ex Testantium voluntate, aliaeque his similes, quibus exceptis necessario semper erit Apostolicae Sedis venia exoranda (1).

X. Quod quidem Apostolicum placitum caveant tum qui contrahunt, tum Notarii ad stipulandum rogati, ut ante contractum et adsit, et innotescat: haud enim satis foret spes illius impetrandi, qualibet licet proposita clausula, ut vi polleat contractus, poenaeque evitentur non parentibus irrogatae, Quod si qui forte ea spe, ac reservatione, nunquam tamen Apostolicam veniam assequuti, contractus hujusmodi iniverint, hos serio monemus, ut sibi ipsi consulant, neque diutius in ea, qua sunt, conditione rerum immorentur (2).

XI. Monemus autem, districte prohiberi ex jure canonum, eam in triennalibus locationibus induci conditionem, ut nisi constituto triennio exeunte contractus finitio, ac rescissio indicatur, consistat locatio, et in aliud triennium prorogetur (3). Item cautum denunciamus ex Benedicti XIV. Constitutione, ut venditio fructuum beneficiorum, quos aliquis in alium confert, vel ad longum tempus, vel quamdiu vivit, accepta pecunia, quae fructus aequet, quos probabile est Beneficiarium consequuturum esse, irrita sit, et secumferat poenam excommunicationis constitutam adversus omnes, qui res Ecclesiae divendunt (4). Id juris de pensionibus quoque, ac de Ecclesiastici patrimonii fructibus praefinitum est (5). Neque hic praete-

Febr. 1699. . . . . et in Theat. 5. April. 1704....Cap. Veniens *de Transact...Vid. Monacell. in Suppl. ad tom. 3. num. 43.*

(1) Fagnan. in cap. Nulli *de rebus Eccl. non alien... et Card. de Luca disc. 1. §. 120. de Alienat.*

(2) Urbanus VIII. cit. Const. Humanae. *Item decretum Clementis VIII. ad Archiep Neapolitan. 17. Dec. 1599.*

(3) Ex Conc. Rom. tit. 29 cap. 22. §. 1. 11. Imo in Emphytheusis instrumento cautum sit de illo renovando singulis Quindenniis ex decr. S C. Ep in Januen. 12. Feb. 1597. Caveant, ne pro primo ut ajunt ingressu quidquam recipiatur, ex quo justus annui Canonis valor decreseat, uti Concilio Rom. decernitur loc. citat. Item ne bona in Emphytheusim attributa dividontur ex assignatione dotium, vel in familia erciscunda: item ut post lapsum quinquaginta annorum Emphythentae, non Pii loci onus sit lineoe durotionem probare. Nullius roboris est locotio, si elausula Const tuti *adjieiatur, quae vim habet transferendi in conductorem possessionem rei locatae. Leg* Quidam *1. de rei vendit.*

*(4) Bened XIV Const.*Universalis.

(5) *Legat. Const. Bened. XIV.* In

reunda est locatio bonorum Ecclesiasticorum, ex qua in perniciem successoris capiuntur fructus, antequam veniat eorum solvendorum dies. Locatio haec non obstringit successorem, cui beneficiarius sua illa festinatione fructus praeripere non potest (1).

XIV. Sunt tamen nonnullae res Ecclesiasticae, quarum etiam sine Apostolicae Sedis auctoritate permissa alienatio est. Huc spectant, quae vetusto usu locari legitimo jure, aut in emphytheusim dari consueverunt, quoniam haec locatione, aut emphytheusi finita iterum conceduntur iisdem, quibus antea, pactis, et legibus (2): item et quae collata sunt in Monasterium, aut locum pium, a quo illa retineri nequeunt, qualia forent legata Capucinis, aliisque similibus, quae recte distrahuntur, modo pretium in Ecclesiae, aut Monasterii utilitatem convertatur (3): item et fructus arborum, frumentum, et similia, et arbores ipsae, quae statis temporibus caeduntur, imo arbores quaelibet senescentes, aut exsiccatae, vel fundo infestae, vel usui Aedium Ecclesiae necessariae (4), quo tamen casu singulae singulis utiliores sufficiendae erunt ac demum terrulae, vineolae, resque ceterae exigui pretii, quod scutis aureis *de Camera* viginti quinque aestimari consuevit, quae ex sola Episcopi auctoritate rite divenduntur, si necessitas, et utilitas Ecclesiae postulet. Poenas autem edicimus in eos, qui vel minoris, ac par sit, rem aestiment, vel eam divisim distrahi curent, ut negotium sola Episcopali auctoritate probari possit (5).

XV. Ceterum omnes, qui re sacra potiuntur, admonemus serio, luculenterque, ut quam suae familiae patrimonio apte, utiliter, naviterque curando sedulitatem adhibent, eam potiori causa pro Ecclesiae bonis custodiendis, tuendis, vindicandisque collocent solliciti. Connivere in Ecclesiae damnum ceterorum machinationibus, dolisque malis, scelus profecto foret, poenis coram Deo, et hominibus gravioribus luendum. Contractus vero pro arbitrio, neque ex canonum praescripto conficere (6), ac, quod impietatis est,

sublimi: *qua intra sex menses post captam possessionem beneficii redimi, ac deleri pensiones interdicitur.*

(1) *Conc. Trid sess. 25. cap. 11. de Reform.*

(2) *Urbanus VIII. Const.* Humanae salutis *1. Novemb. 1625. et Leg. final. C. de Sacr. Eccl.*

(3) *Consule Fagnanum in cap. 5. de Reb. Eccl. alien. vel non §. 19.*

(4) *S. C. C. 29. Jul. 1684. apud. Card. Petra ad Const. 5. Pauli II. tit. 14. Sect. 2. § 15.*

(5) *Cap.* Terrulas *c. 12. qu. 2. Legatur Girald Jur. Eccl par. 1. sect 444.*

(6) *De solemnitatibus a jure praescriptis legantur decreta in Append. par. 5. num. 6. 7. 8.*

devotas Deo, ejusque cultui pecunias, resque ceteras occupare, divertere, tenere per injuriam, flagitium esset, quod nedum actum irritum, nulliusque roboris reddere, sed censurarum gladio proscindendum, conterendumque esse, Canones ex omni etiam vetustate conclamarunt: sit solers, sit industria, sit diligens rerum Ecclesiae procuratio, non tamen sordido quaestu, non avaritiae suspicione, non concussionum facinore confoedanda, ne scilicet qui ex adverso sunt, habeant, quod exprobrent nobis, in Ordinis dedecus et ignominiam. *Sacerdotes, qui curant possessiones Ecclesiae*, placet cum Juliano Pomerio, qui saeculo quinto floruit, capiti finem imponere, *etiam in hoc serviunt Deo, quia si Dei sunt ea, quae conferuntur Ecclesiae, Dei opus egit, qui res Deo consecratas non alicujus cupiditatis, sed fidelissimae dispensationis intentione non deserit* (1).

(7) *Pomerius de vita contemplativa lib. 2. cap. 16. §. 4.*

CONCLUSIO SYNODI

Haec sunt, quae ad normam legum sanctissimarum longiori fortasse stylo proposuimus, ut commode possit quilibet inde comprehendere, quae de Sacrorum procuratione, ac de recta morum, rerumque Ecclesiae tuitione opportuniora, nostraeque Dioeceseos rationibus, et statui quam maxime accomodata dignovimus.

I. Nos quidem singula in Praedecessorum Synodis perlata decreta, quae neque Apostolicis, neque nostris Constitutionibus adversantur, probamus omnino, nostraque auctoritate confirmamus praeter reservationes, censurasque per eos constitutas, nisi nominatim a nobis sancitae sint. Curent Parochi, ut Laici praesertim ea perdiscant, quae ipsorum mores, officiaque attingunt; ea proinde inculcari crebro, ac suggeri iisdem mandamus.

II. Licet vero perspicue, distincteque singula explicare connisi simus, ut nulla dubitatio succedat, si quando tamen quidquam forte extiterit, quod non liquido prorsus appareat, edicimus, nostri tantum judicii esse illud declarare, et interpretari, uti et nostrae unius auctoritatis in aliquo decretorum, justis plane causis id flagitantibus, dispensare, vel iisdem addere quidpiam, aut in iis mutare.

III. Confidimus autem in Domino de Grege nostro mirifice comparato, ut quaecumque praecepimus, et faciat, et facturus sit (1). Frustra quippe hic nobis insudatus labor, frustra Synodalia comitia suscepta, editaque decreta, nisi quod sancitum consensu erit, id etiam re, atque exitu praestetur: integrum tamen nobis, et arbitrio nostro reservatum esse volumus adjicere, novasque irrogare poenas, ubi noxae ratio id efflagitet. Notum autem, exploratumque sit omnibus, relatam ex mulctis pecuniam non in alios, quam pios usus impensum iri.

IV. Id denique Deum testem compellantes, diserte profitemur, cuncta nos, quae Synodali hac nostra actione gesta, conscripta, decretaque sunt, arbitrio, ditioni, judicioque Sanctissimi D. N. Pii.VII. P.M. ea, qua decet, fide, reverentiaque subjicere, id unum ratum, sanctumque habituros, quod Ipse, cujus haud dubie coelesti afflatu voluntas regitur, sanciendum, comprobandumque esse censuerit.

V. At *ipse Deus*, placet cum S. Carolo unumquemque affari, *et Pater noster, et Dominus JESUS CHRISTUS dirigat vias vestras in omni sancta obedientia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni*

(1) *Ep. ad Philem.*

opere bono, et sermone, ita ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, per omnia ei placentes; sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati appareatis ante Deum, et Patrem nostrum in adventu D. N. J. C. cum omnibus Sanctis ejus (1).

VI. Qui vero in ea verba suum Gregem in Dioecesana Synodo allocutus est Antistes Sanctissimus, ipse Suffragator, et Patronus adsit nobis apud Omnipotentem Deum, et Virginem Genitricem Sospitam, Tutelarem, ut quam ordinare, et constituere in Dioecesi nostra ecclesiasticae rei, atque morum disciplinam proposuimus, stabiliendae illius apprime, et re ipsa exequendae gratiam teneamus.

De cetero, Fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate . . . haec agite . . ., Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in CHRISTO JESU (2).

A. CARD. EP. OSTIENSIS, ET VELITERN.

(1) *Syn. Dioec. Mediolan. IV.* (2) *Ad Philipp.* 4. 7.

OFFICIALES
ELECTI IN SYNODO.

JUDICES SYNODALES.

Illmus et Rmus D. Geraldus Maciotl Episcopus Eleusinus, et Suffraganeus Ostien. et Velitern.

Illmus et Rmus D. Felix Bezzi Auditor Generalis Emi Episcopi Can. S. Mariae Majoris de Urbe.

Rmus D. Paulus Polidori Auditor Emi Ep. et Vic. Generalis Ostiensis Can. S. Mariae Majoris de Urbe.

Rmus D. Augustinus Maria Rinaldi J. U. D. Vicarius Generalis Velitern. Prot. Ap.

EXAMINATORES SYNODALES.

In Civitate Veliterna e Clero Seculari.

Illmus et Rmus D. Geraldus Macioti Episcopus &c.

Illmus et Rmus D. Felix Bezzi Auditor &c.

Rmus D. Paulus Polidori Vic. &c.

Rmus D. Augustinus Maria Rinaldi Vic. &c.

Rmus D. Dominicus Mazzoni I.U.D. Archipresbyter Bas. Cathedr. Velit.

Rmus D. Appius Colonnesi S. Theol. Doctor Canonicus Basil. Cathedr.

Rmus D. Michael Cella Can. Bas. Cathedr.

Rmus D. Vincentius Macioti Can. Bas. Cathedr.

Rmus D. Dominicus Santucci J. U. D. Can. Bas. Cathedr.

Rmus D. Joannes Baptista Mazzoni S. Th. et Ph. D. Can. Bas. Cath.

Rmus D. Aloysius Maggi S. Th. et Ph. D. Can. Bas. Cath.

Rmus D. Nicolaus Romani Can. Bas. Cath.

Adm. Rev. D. Aloysius Maria Cari Archipresb. SS. Salvatoris.

E Clero Regulari.

Rm̄us P. Octavius Maria Paltrinieri Vic. Generalis Congreg. Somaschae, Praepositus S. Martini.

Adm. Rev. P. Vitalis Bonetti e Congr. Doct. Christianae Philosophiae Lector in Coll. S. Petri.

Rev. P. Cajetanus Cipriani Ord. Carmelit.

Rev. P. Franciscus a Cora Ord. Min. Obs. Praeses Coenob. S. Laurentii.

In Dioecesi.

Adm. Rev. D. Augustinus Maria Iannoni Archipresb. Insig. Colleg. S. Mariae Plebis Civit. Corae.

Adm. Rev. D. Ioseph Maria Marchiafave Archipresb. Colleg. SS. Apostolorum Petri et Pauli Civit Corae.

Adm. Rev. D. Carolus Pistilli Can. Insig. Colleg S. Mariae Plebis.

Adm Rev. D. Philippus Celli Can. Colleg. SS. Apost. Petri et Pauli,

Adm. Rev. D. Franciscus Setini Archipresb. Colleg. S. Mariae in Coelum Assumptae Terrae Cisternae.

Adm. Rev. D. Vincentius Onorati Archipresb. Norbarum.

E Clero Saeculari.

Extra Dioecesim in Urbe.

Illm̄us et Rm̄us D. Franciscus Bertazzoli Archiep. Edessenus SSm̄i D.N. Eleemosynarius, et S R. et U. Inquisitionis Consultor.

Illm̄us et Rm̄us D. Joannes Marchetti Archiep. Ancyrae Theologus examinator Datariae Apostolicae pro concursibus ad Parochias, et Examinator Cleri Romani.

Illm̄us et Rm̄us D. Petrus Caprano Archiepisc. Iconii Consultor Sac. Rom. et Univ. Inquisitionis, ac Sac. Poenitentiariae Sigillator.

Rm̄us D. Camillus Rubbi Can. S Mariae Majoris de Urbe Sac. Poeniten. Canonista, nec non Qualificator Sac. Rom. et Univ. Inquisitionis.

Rmus D. Paulus Can. Polidori Vic. Generalis Ostien.

Rmus D. Laurentius Lauri Can. S. Marci, Consultor Sac. Congr. Indicis, Examinator Cler. Rom. Theol. Accad. in Archig. Rom. Censor.

Rmus D. Seraphinus Viviani Can. S. Mariae in via Lata, SSmi D. N. Pii PP. VII. Cubicularius Sac. Th. et Ph. D. ac Theolog. Accad. in Archig. Rom. Censor Emeritus.

E Clero Regulari.

Rmus P. Abbas D. Vincentius Garofali Vic. Generalis Congreg. SSmi Salvatoris Consult. Sacr. Rit. Accad. Theol. in Archig. Rom. et Accad. Relig. Cath. Censor.

Rmus P. Maurus Capellari Proc. Generalis Ord. Camald. et Consultor Sac. Rom. et Univ. Inquisit.

Rmus P. Aloysius Lambruschini Vic. Generalis Clericor. S. Pauli Exam. Episc. Consult. Sac. Rom. et Univ. Inquisit., et Secret. Sac. Congr. Negotiis Ecclesiasticis Praepositae.

Rmus P. Joseph de Bonis Vic. Generalis PP. Min. Conventualium, et Examinator Episcoporum.

Rmus P. Michael Toni Vic. Generalis Cleric. Regul. Ministr. Infirm. Cons. Sac. R. et Univ. Inqu. et Examinat. Episcoporum.

Rmus P. Joseph Bartoli Vic. Generalis Ord. Carmelit. Calceat.

Rmus P. Vincentius a Massa Procurator generalis Ord. Min. Observant. Consultor Sacrae Rom. et Univ. Inquisit.

Rmus P. Marianus ab Alatrio Vic. Generalis Ord. Capuccinorum, et Consult. Sac. Congr. Rit.

Rmus P. Mauritius Oliveri Ord. Praed. Cons. Sac. R. et Un. Inquisit.

Rmus P. Archangelus a Bma Virgine in Coelum Assumpta Ord. Carmel. Excalceat. Cons Sac. Rom et Univ. Inquis. et Sac. Congr. Rituum.

Rmus P. Franciscus Grandi e Clericis Reg S. Pauli, Consultor Sac. Congr. Rit.

Rmus P. Vincentius Zauli e Soc. Jes. Theologus Sac. Poenitentiariae.

Adm. Rev. P. M. Aloysius Grati Ord. Serv. B. M. V. Theologiae Professor, et Sac. Congreg. Indicis Relator.

Testes Synodales.

Noti E mo, et Rmo D. Cardinali Episcopo.

Officiales Cleri.

Praefecti Musicae, ne profana, aut indecora in Ecclesiis canantur.

Rmus D. Dominicus Mazzoni Archipr. Basilicae Cathed.
Rmus D. Appius Colonnesi Canonicus ejusdem.
Adm. R. D. Joseph Canonicus Corbi) Pro Civit. Corae.
Adm. R. D Antonius Canonicus Marchetti) Pro Civit. Corae.
Adm. R. D. Augustinus Calabresi pro terra Cisternae.
Adm. R. D. Vincentius Archipr Onorati pro Terra Norbarum.
Adm. R. D. Felix Antonius Archipr. Paluzzi pro Oppido Arcis Maximae.
Adm. R. D. Felix Archipr. Moscatelli pro Oppido Juliani.

Synodici, seu Procuratores Cleri pro Immunitate et aliis.

Rmus D. Appius Colonnesi) Can. Bas. Cath.
Rmus D. Michael Cella) Can. Bas. Cath.
Adm. R. D. Camillus Canonicus Pistilli) Pro Civ. Corae.
Adm. R. D. Alexander Tiraborelli Vic. For.) Pro Civ. Corae.
Adm. R. D. Franciscus Archipr. Setini pro Terra Cisternae.
Adm. R. D, Dominicus Can. Patriarca pro Terra Norbarum.
Rev. D. Camillus Angelini pro Oppido Arcis Maximae.

Deputati Doctrinae Christianae in Civitate.

Illmus et Rmus D. Geraldus Macioti Episcopus.
Rmus D. Augustinus Maria Rinaldi Vicarius Generalis Velit,

R̃mus D. Michael Cella Can. Bas. Cath.
Rev. D. Cajetanus Mammucaro.

In Dioecesi.

Adm. RR. DD. Vicarii Foranei cujusque loci.

Praefecti disciplinae Cleri.

Adm. RR. DD. Parochi omnes in sua quisque Parochia.

Advocatus Pauperum.

R̃mus D. Michael Cella Canonicus Basil. Cathed.

Procurator eorumdem.

Rev. D. Cajetanus Mammucaro.

Deputati erudiendis, et solandis, et Sacramentis expiandis iis, qui in Carceribus detinentur.

Adm. Rev. D. Joseph del Sasso Parochus, et Rector S. Michaelis Arch.
Adm. Rev. D. Franciscus Cajola Parochus S. Luciae.

In Dioecesi.

Adm. RR. DD. Vicarii Foranei.

Revisores onerum Missarum, et Legatorum Piorum.

Visitatores electi ab Em̃o, et R̃mo Episcopo.

Ill̃mus et R̃mus D. Geraldus Macioti Episcopus Suffrag.

Rm̃us D. Paulus Can. Polidori Vic. Gen. Ostien.
Rm̃us D. Augustinus Maria Rinaldi Vic. Gen. Velitern.
Rm̃us D. Appius Colonnesi }
Rm̃us D. Michael Cella }
Rm̃us D. Vincentius Macioti } *Canonici Basil. Cathed.*
Rm̃us D. Joannes Bapt Mazzoni }

PRAEFECTI SUPPLICATIONUM.

Rev. D. Cajetanus Mammucaro.
Rev. D. Petrus Fontana.

VISITATORES SCHOLARUM DOCTRINAE CHRISTIANAE.

Illm̃us et Rm̃us D. Geraldus Macioti Ep. Suffraganeus.
Rm̃us D. Michael Cella }
Rm̃us D. Dominicus Santucci } *Canonici Basil. Cathed.*
Rm̃us D. Vincentius Pietromarchi }

PRAEPOSITI NEGOTIIS SODALITIORUM.

Illm̃us et Rm̃us D. Geraldus Macioti Suffragan.
Rm̃us D. Augustinus Maria Rinaldi Vic. Gen.
Rm̃us D. Appius Colonnesi)
Rm̃us D. Dominicus Santucci)
Rm̃us D. Michael Cella) *Canonici Basil. Cathed.*
Rm̃us D. Joann. Bapt. Mazzoni)

PRAEFECTUS FORI, ET ARCHIVII EPISCOPALIS.

Rm̃us D. Vicarius Generalis.

ROGITUS NOTARII

Lecta, et publicata fuere praelaudata Decreta Synodalia ex suggestu, alta, clara, et intelligibili voce de mandato Emi, et Rmi Principis ALEXANDRI *Miseratione Divina Episcopi et Gubernatoris Perpetui Ostiensis, et Veliternensis, S. R. E. Cardinalis* MATTEI, *Sac. Collegii Decani &c. &c. per Reverendissimum Jo. Baptistam Mazzoni Canonicum Theologum Sanctae Basilicae Cathedralis Sancti Clementis Papae et Martyris inclytae Civitatis Velitrarum hujus Synodi a Secretis, et Adm. Reverendum Dominum Valentinum Pocci praefatae Sacrosanctae Basilicae Beneficiatum, ac Rev. D. Joannem Angelum Argenti Lectores, seu Coadjutores ab Eminentia Sua Rma deputatos, in tribus sessionibus habitis in medio ejusdem Sacrosanctae Basilicae Cathedralis vigore Edicti publicati pro Synodo convocanda, et celebranda die prima Januarii instantis anni millesimi octingentesimi decimi septimi coram eodem vigilantissimo Emo, et Rmo D. Principe Cardinali Episcopo, prasentibus, adstantibus, et intelligentibus, Illmo, et Rmo Patre Domino Geraldo Macioti Episcopo Eleusino, et Suffraganeo Ostiensi et Veliternensi, Illmo, et Rmo D. Felice Bezzi Eminentiae Suae Rmae Auditori Generali, Rmo D. Canonico Paulo Polidori Vicario Generali Ostiensi, Rmo D. Augustino Maria Rinaldi Vicario Generali Veliternensi, Rmo Capitulo, et Adm. Rev. Dominis Beneficiatis dictae Sacrosanctae Basilicae Sancti Clementis, nec non Capitulis, sive Collegiatis Civitatis Corae, Terrae Norbarum, et Cisternae, Adm. RR. DD. Vicariis Foraneis, Archipresbyteris, Rectoribus, Curatis, Parochis Saecularibus et Regularibus Civitatum, et Dioecesum Ostien et Veliternen, aliisque RR. Sacerdotibus, et Clericis dictarum Civitatum et Diaecesium anno a Nativitate D. N. J. C. millesimo octigentesimo decimo septimo, diebus vigesima septima, vigesima octava, et vigesima nona mensis Maij, Indictione quinta, tempore gloriosissimi Pontificatus SSmi in Christo Patris, ac D. N. PII Divina Providentia PP VII. anno Ejusdem Pontificatus XVII. ibidem praesentibus Rmis DD. Aloysio Monti, et Joanne Felice Ulysse Canonicis saepedictae Sacrosanctae Basilicae Cathedralis ad omnia testibus specialiter electis, adhibitis.*

Ego Archangelus Alfonsi Veliternus Cancellarius Generalis Episcopalis, et Synodi Notarius specialiter deputatus praedictis omnibus interfui, et de omnibus et singulis peractis, et gestis in eadem Synodo Dioecaesana Ostiensi, et Veliternensi ad instantiam Promotorum Rmi D. Appii Columnesii Canonici Decani, ac Rmi D. Vincentii Maciosi Canonici ejusdem Sacrosanctae Basilicae Cathedralis S. Clementis rogatus extiti; In quorum fidem hic me subscripsi, et solito meo signo tabulas munivi.

Loco ✠ Signi.

ORATIO
HABITA IN FINE SYNODI
AB EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO
CARDINALI EPISCOPO.

Synodalem Actionem, Fratres carissimi, quam Virginis Genetricis, Coelitumque Patronorum auspiciis suscepimus, ac prosequuti sumus, gaudentes in Domino ad Dei gloriam, et sanctificationem nostram, Populique salutem, absolvimus tandem: eamque edendam deinceps in lucem animo docibili, et ad bonum comparato audistis.

Hodie utique finis Synodo imponitur: hodie ad vestras domos redire datum est. Sed praecavendum inprimis est, ne in vacuum totos hos dies laborantes Gratiam Dei receperimus: instandum proinde, ut quae accepistis, et didicistis a Domino, ambulantes recte in viis Domini, et abundantes magis, teneant universi, et sancte, inviolateque praestent, ac servent. Splendeat itaque exinde in Vobis omnibus omnium forma virtutum, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas, et spiritualis observantia disciplinae. In moribus vestris praecepta Domini fulgeant, ut vestris exemplis edocta imitationem sanctam Plebs accipiat, et sic Vos vere existimet Homo, sicut dignos Dei Ministros, et dispensatores Mysteriorum Dei. Sit doctrina vestra spiritualis medicina Populo Dei: sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi; ut exemplis vestris aedificetis Domum, id est Familiam Dei, ita ut quando ad formidolosissimum divini Judicis tribunal accersiti reddituri eritis rationem de Ministeriis vestris, non damnari, sed ab illo Summo operum Retributore mercedem potius accipere mereamini (1).

(1) *Pontif. Rom. in Ordin. Diacon., & Presbyt.*

Verum Synodicae hae Leges non solum ad Clerum informandum, et ad primaevam in manuum impositione acceptam charitatem innovandam in eo, seu resuscitandam, ut verbis Sancti Pauli Apostoli ad Titum utar, sed et ad Populi mores corrigendos, ad pietatem excitandam, ad Dei cultum augendum, Religionemque vel firmandam, vel amplificandam decretae sunt. Idcirco opus est, ut studio ad animarum lucra conquirenda, et ad Dei gloriam procurandam intento conflagremus, eo igne succensi, quem Dei Filius venit mittere in terras. Dum Eliseus aegrotabat infirmitate, qua mortuus est, pergit ad eum Joas Rex Israel plorans coram illo. At Eliseus aperiens fenestram orientalem, ait Regi superponens manus suas manibus Regis (1): Sagitta salutis contra Syriam. Tolle sagittas... percute jaculo terram. O praeclara, illustriaque mysteria, quae in Eliseo aegrotante, et in̄ ejus dictis continentur, Fratres carissimi! Quid Eliseus aegrotans repraesentat, nisi Christum e Cruce pendentem? Quid sagittae, quid jacula super terram significant, o Sacerdotes, o Ministri Domini, nisi verba, quibus Christus e Cruce pendens nobis manifeste conclamat? O Sacerdotes, o Animarum Pastores, ait, accipite arcum, et sagittas, et jacula: Accipite Verbum Dei, accipite Sacramenta; percutite Terram: firmiter statuite ecclesiasticas leges, quae in hac Synodo, et in reliquis sacris Codicibus referuntur. Eas statuite primum super Vos, ut exemplum bonorum operum praebeatis, deinde eas obfirmate super Populum Dei, ut a vobis, et ab omnibus elimінetur peccatum, et lex Dei nostri sit in medio cordium nostrorum, sicque in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum Nostrum. Ne timeatis, quia manibus vestris Ego meas superponam, ait Dominus, quibus, quae vobis difficilia videntur, et oculis vestris fere impossibilia apparent, Ego jucundissima reddam, immo facillima. Ite ergo, accendite charitatis jaculis hanc Vineam meam dilectam, quam ego plantavi, et Crucis torculari acerbissima morte volens redemi. Ego enim veni ignem mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur a vobis (2)?

(1) *Reg. Cap.* 13.

(2) *Luc.* 12. 49.

Ad haec verba Christi Servatoris Sanctissimi quid respondemus, Fratres, et Filii? Quid facimus? Nonne fateri debemus, si Spiritu Dei ducamur, id nobis, dum haec sancta meditatione recolimus, cum Discipulis Emmaus esse repetendum: Vere cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquebatur in via (1): Aut cum David clamandum (2): Zelus Domus tuae comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me?.. Quomodo vero urgere debemus decorem Domus Dei, nisi Synodicarum Legum observantia, quae mirifice eo tendunt, conspirantque, ut nostra haec terrestris domus, et corporea habitatio fiat executione legum, et praeceptorum Domini dignum habitaculum, et templum sanctum Dei viventis? Nostrum porro erit, Fratres carissimi, praeeundo exemplis, et exhortationibus, ac sanis consiliis conniti, ut hoc demum, quod felix, faustumque semper sit, in fidelibus Populis in dilecto Christi Grege contingere videamus.

Ardeat itaque cor nostrum zelo gloriae Dei, et animarum salutis, ita ut charitas Christi magis, ac magis inter nos abundet, et quasi renovetur, sicut Aquila, juventus nostra, et nova virtute induti ex alto studeamus omni cura et bonis adsidue operibus abundare, et omni conatu incumbere, ut lex Domini immaculata, quo tota certe Synodus contendit, reviviscat, et splendeat in dies magis in Populo Dei, cujus cura Nobis commissa est.

Verum ne in vacuum laboremus, et zelum frustra, et inani quaestu consumemus, audiamus Paulum Apostolum, qui Nos instruit, quomodo charitas Christi, quae per nostrum ministerium in Populo Dei diffundi debet, ordinato, et sapienti zelo dirigi a Nobis debeat, et apprime comparari. Habent nonnulli ex Ecclesiasticis Viris zelum Dei, sed non secundum Deum, ait Apostolus (3), quaerentes potius seipsos, quam gloriam Dei, eamque asperitatem, et animam ad iram concitam portendentes, quae Ministros dedecet Salvatoris, qui mitem se, et humilem corde praedicabat.

(1) *Luc.* 24. 32.
(2) *Psal.* 48. 10.
(3) *Ad Gal.* 1. 10.

Proinde Apostolus ait : Charitas Christi abundet in Nobis in scientia, ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi. Monet idcirco Bernardus (1): Zelum inflammet Charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus, nec teporem habeat, nec discretione careat, nec sit timidus. Haec, haec sunt, Fratres, indicia, hae conditiones, quibus is est commendandus zelus, quo corda nostra debent accendi. Inflammari debent a charitate Dei, et Proximi, quam haurire debemus ab exercitio Ministerii sacri, quod accepimus a Domino: informari a scientia, non ab ea sane, quae inflat potius, quam aedificat, sed ab ea, quae acquiritur tum studio sacrorum Librorum, qui solatio sunt in exilio iis omnibus, qui praemia aeterna expetunt, et ad Regna coelestia contendunt, et scientiam praebent Sanctorum, tum assiduas ad Deum fundendo preces, et inenarrabilibus gemitibos ejus opem implorando: roborari demum constantia immobili, ita ut nec flecti terroribus, nec minis conteri, nec adversis deterreri videantur; sed et fervorem servent, et discretione non careant, et fortitudine induantur, quae cum in Nobis non sit, qui Homines sumus debiles, fragiles, lutea vasa portantes, restat, ut oculos convertamus ad Eum, qui est fortitudo nostra, et de quo scriptum est (2). = Qui facis Angelos tuos Spiritus, et Ministros tuos ignem urentem =.

Demum cogitate, Fratres carissimi, diem illum magnum extremi Judicii, in quo reddituri sumus rationem de hac Synodali actione, qua excitamur et ad nos in meliora traducendos, et ad Populi Dei sanctificationem operandam. Quid respondebimus, si hoc culpa nostra fieri non contingat? Mihi credite, omnes hae leges, omnia monita, omnia haec praecepta, quae tribus hisce diebus perlecta sunt, et nostra auctoritate publice deinceps typis tradentur, Nos accusabunt, et duritiem cordis nostri puniri, ac vindicari ab Justissimo Judice postulabunt, si nos desides, et tepentes relinquent. Sic Dominus Moysi praecipiens, ut librum Legis in Arca

(1) *In Cant. Serm.* 20. (2) *Psal.* 103. *v.* 4.

reponeret (1) Ut sit tibi, ait, contra te in testimonium. Ita porro hae ordinationes, et decreta, quasi arma, et pharetra in manu Omnipotentis contra Nos in die illa pugnabunt, et testimonia ferent durissima.

Eja ergo, Fratres mei dilectissimi, quos vere gaudium, et coronam meam in Domino compello; jam finis Synodi sit, vobisque reditus indicitur ad Ecclesias vestras. Unanimes modo omnes ad Deum preces fundemus, supplicationem instituemus, agemusque pro felici Synodi successu bonorum omnium LargitoriDeo gratias. Ast quem fructum polliceri nobis exinde fas erit?... Exemplum constitutionum omnium hactenus editarum legi audivimus: sed ex hac lectione quem spiritum hausimus? quo sumus animo affecti? Certe didicimus in Sacris Litteris, legente Esdra librum Legis coram omni Populo, omnes amarissime flevisse, videntes praevaricationem suam, et post lacrymas exarsisse cunctos ad ea omnia exequenda, quae decreta ibidem erant. Quis porro non videat, obsecramus in Domino per Viscera Misericordiae Dei Nostri, quanta Nobis lacrymarum seges in hac lectione patuerit? Quae nostra desidia, quae negligentia, qui mali mores, quae vitia in re divina obeunda, sacrisque operandis coram Deo, qui scrutator est cordium, qui patiens est, sed justus operum retributor? Quantus proinde post lacrymas excitandus foret ardor in cordibus nostris, ut quae deflere cogimur, reparemus tandem non timore poenarum, sed spiritu Dei perfusi, ac Deo propter ipsum solum servientes, Ipsi, qui Pater est bonitatis, perseverantem in sanctis operibus famulatum praestemus?

Quapropter hortamur vos, et obsecramus in Domino, ne obliviscamini eorum, quae audistis, ac ne excidant unquam e corde vestro, quae scripta sunt in libro hoc. Tunc facilius super Populum, quem nacti estis docibilem, parabitur in ubertate Ministerium vestrum, et ipse vobis docentibus, et excellentiorem viam demonstrantibus Nomen Domini invocabit, et Populus Ejus erit, et dabit magnificentiam Domino Deo Nostro, et ipse Deus erit eorum

(1) *Deut.* 31. 26.

Deus. Interea enixe precamur Deum, qui Pater est omnis gratiae, et fons totius consolationis, ut adjiciat gratiam suam super vos, et super Filios vestros, diffundens dona spiritus super omnes, ut ejus pax, et gratia, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu Domino Nostro.

Te igitur, benignissime Jesu, humili cordis affectu invocamus, ut Maria Sancta Patrona Salutari, ac Coelitibus, quorum opem in hac Synodo comprecati sumus, praesenti auxilio juvantibus, adsis Nobis propitius. Tu, qui es candor lucis, et splendor aeternae gloriae, illumina tenebras nostras, ut vias lucis ambulantes videre possimus, quae justa sunt, et quae recta sunt, agere valeamus.

Quare hisce muniti praesidiis agite viriliter, accincti robore coelesti, et diligenter custodite praecepta haec, Fratres carissimi: Peccatores, ne in Infernum descendant, eripite e morte, ut et ipsi aliquando in Deo vivant, et omnes expectantes beatam spem, te laudent, Domine Jesu Christe, et qui in circuitu nostro sunt, et omnes habitantes Orbem benedicant Tibi et nunc, cum in corpore a Te peregrinamur, et usque in saeculum in Coelis, ubi Tibi, et in Te, et per Te erit per omnia in omnibus gloria cum Deo Patre, et Spiritu Sancto. Amen.

INDEX

RERUM, QUAE A PAROCHIS TUM CIVITATIS, TUM DIOECESEOS SUNT INTER MISSARUM SOLLEMNIA PUBLICE ANNUNCIANDAE EX SYNODALIBUS DECRETIS.

In Festo Circumcisionis D. N. J. C. & *In Festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ.*	Edictum de observantia dierum Festorum. *App. P. III. N. I.*
Dominica prima Januarii post Kalendas, & *Dominica prima Julii.*	Edictum de doctrina Christiana. *App. P. I. N. XI.*
Dominica secunda Januarii, aut *Dominica secunda Julii, et per proxime sequentes Dominicas.*	Synopsis decretorum Synodalium, quæ Laicos tangunt. *App. P. V. N. XI.*
Dominica prima Februarii, & *Dominica prima Augusti.*	InstructioMedicorum de obligatione monendi infirmos. *App. P. II. N. XXVIII.*
Dominica prima Martii, & *In Festo Nativitatis B. M. V.*	Edictum de veneratione Ecclesiarum. *App. P. V. N. I.*
Dominica prima Aprilis.	Edictum de Sodalitiis. *App. P. V. N. V.*
Dominica prima Adventus, & *Dominica prima Quadragesimæ.*	Edictum sancti Officii. *App. P. I. N. IV.*
Dominica secunda Quadragesimæ.	Edictum de Superstitione. *App. P. I. N. IX.*
Dominica tertia Adventus, & *Dominica tertia Quadragesimæ.*	Indulgentiæ iis concessæ, qui doctrinam Christianam vel docent, vel frequentant. *App. P. I. N XII.*

Dominica Sexagesimæ.	Summa Indulgentiarum, quæ acquiri facile possunt. *App. P. II. N. XXV.*
Dominica Quinquagesimæ, & *Dominica secunda Octobris.*	Edictum ad exstirpandam blasphemiam. *App. P. I. N. VIII.*
Dominica prima Maii, & *In die Festo omnium Sanctorum.*	Doceatur Populus de obligatione decuntiandi legata Pia, eaque adimplendi. *App. P. V. N. IX.*
Dominica quarta Quadragesimæ, & *Dominica Passionis.*	Monetur Populus de præcepto Confessionis annuæ, & Communionis in Paschate. *App. P. III. N. II.*
Dominicis secunda, tertia, & quarta post Pascha.	Indicantur pœnæ iis, qui nondum communicarunt in Paschate. *App. P. III. N. III.*
Dominica Pentecostes.	Docetur Populus de Sacramentis ex Synopsi decretorum Synodalium, quæ Laicos spectant. *App. P. V. N. XI.* §. 2.
Dominica SSmæ Trinitatis.	Edictum de Processionibus. *App. P. III. N. XIV.*

INDEX

Pag.

Epistola nuncupatoria SS. *D. N. PIO VII. P. M.*
Indictio Synodi I
Litterae praemonitionum Synodi V
Oratio habita in prima Synodi Sessione ab Eminentissimo Card. Episcopo IX
Oratio habita in secunda Sessione ab Illustrissimo, et Reverendissimo Geraldo Maciotto Episcopo Eleusino, et Suffrag. Velitern. XVIII
Oratio habita in tertia Sessione ab Reverendissimo Dominico Mazzonio Archipresb. Bas. Cath. Velitern. XXVII
Officiales Synodi XXXIII

CONSTITUTIONES SYNODALES

PARS PRIMA

De Fide Catholica 3
Cap. I. *De Fide tenenda* 3
Cap. II. *De Fide profitenda* 8
Cap. III. *De Iudaeis* 10
Cap. IV. *De Haereticis, librisque prohibitis* 12
Cap. V. *De Blasphemiis, Perjurio, et Superstitione, tum de Exorcismis* 18
Cap. VI. *De Doctrina Christiana* 27
Cap. VII. *De Verbi Dei praedicatione* 31
Cap. VIII. *De Scripturae Sacrae lectione* 40

PARS SECUNDA

De Sacramentis 45
Cap. I. *De Sacramentis in genere* 46
Cap. II. *De Baptismi Sacramento* 49
Cap. III. *De Confirmationis Sacramento* 57

Pag.
Cap. IV. *De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento* 61
Cap. V. *De Sacrificio Missae* 68
Cap. VI. *De Sacramento Poenitentiae* 82
Tabula Casuum Reservatorum 92
Cap. VII. *De Indulgentiis* 96
Cap. VIII. *De Extrema Unctione* 101
Cap. IX. *De Sacramento Ordinis* 108
Cap. X. *De Sacramento Matrimonii* 120

PARS TERTIA.

De quibusdam Ecclesiae Praeceptis, ac Sacris Ritibus . . 129
Cap. I *De Festorum dierum sanctificatione* . . . . ibid.
Cap. II. *De Confessione, et Communione* 136
Cap. III *De Jejunio* 146
Cap. IV. *De Decimis, et Oblationibus* 154
Cap. V. *De Horis Canonicis* 156
Cap. VI. *De Benedictionibus* 159
Cap. VII. *De publicis Supplicationibus, seu Processionibus* . . 163
Cap. VIII. *De Funeribus, Exequiis, et Sepulturis* 168

PARS QUARTA.

De Personis Ecclesiae, et de Foro Episcopali 179
Cap. I. *De vita, et honestate Clericorum* 180
Cap. II. *De Capitulo Cathedralis Basilicae, et de ceteris Collegiis Canonicorum* 195
Cap. III. *De Vicariis Foraneis* 209
Cap. IV. *De Parochis* 212
Cap. V. *De Seminario Clericorum* 228
Cap. VI. *De Regularibus* 236
Cap. VII. *De Sacris Virginibus* 245
Cap. VIII. *De Judicibus, Examinatoribus, et Testibus Synodalibus.* 253
Cap. IX. *De Foro Episcopali* 256
Cap. X. *De Delictis, et Poenis* 261

PARS QUINTA.

Pag.
De Rebus Ecclesiasticis 271
Cap. I. *De Sacrosanctis Ecclesiis* 272
Cap. II. *De Conservatoriis Foeminarum, et de Sororibus Charitatis* 284
Cap. III. *De Domibus Hospitalibus* 287
Cap. IV. *De Montibus Pietatis, et Frumentariis* 639
Cap. V. *De Sodalitatibus Laicorum* 291
Cap. VI. *De Sacris Reliquiis, et Imaginibus* 296
Cap. VII. *De Testamentis, et Legatis Piis* 300
Cap. VIII. *De Beneficiis Ecclesiasticis* 304
Cap. IX. *De Bonis Ecclesiasticis* 307
Conclusio Synodi 315
Officiales electi in Synodo 317
Rogitus Notarii 323
Oratio habita ab Eminentissimo Card. Ep. in fine Synodi . . 325
Index Rerum a Parochis certis diebus edicendarum . . . 331



IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo P. Magist. Sac. Pal. Apostolici.

Candidus Maria Frattini Arch. Philipp. Vicesg.

APPROBATIO.

Quam Rmi S. A. P. Magistri jussu diligentissime legi, et perlegi quamlubentissime, Synodus Dioecesana habita ab Emo, et Rmo Domino D. Alexandro Matthaejo &c. &c. opus mihi videtur numeris omnibus absolutum, veram referens ideam *Pastoris Boni*, qui ponit animam suam pro Ovibus suis: tota quippe animi sui vis, tota, qua fulget plurimum, Episcopalis sapientia, totus Domus Dei zelus incitatus, incensus, eo spectant unice, ut nihil ex se earum cuilibet desit ad perpetuam adquirendam beatitatem. Ex purioribus Catholicae Ecclesiae fontibus aquas doctrinae omnes derivat intemeratae Fidei, Sacramentorum, Disciplinae sanctioris, Hierarchici Ordinis ... dignissimam heinc censeo, quae quantocyus Typis edatur, nisi aliter Patri Rmo visum fuerit.

Datum ex Hospitio S. Mariae super Minervam Idibus Januarii 1818.

Fr. Joseph Maria Salicati O. P. S. Theol. Magis. ac Regiae Studiorum Universitatis Neapolitanae Bibliothecarius.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Ord. Praed.
Sac. Pal. Apostolici Magister.

APPENDIX

AD SYNODUM.

APPENDIX

PRIMAE PARTIS

Num. I.

INDULGENTIAE

Concessae pie, devote, et ex corde recitantibus Actus Virtutum Theologicarum Fidei, Spei, et Charitatis.

Animadvertens SS. D. N. Benedictus PP. XIV., quam utiles, quin imo necessarii sint ad aeternam salutem Theologicarum virtutum Actus, Fidei videlicet, Spei, et Charitatis, ut omnes utriusque Sexus Christifideles ad illorum exercitium excitaret, audito voto S. Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositae, Indulgentias pro iisdem Actibus a San: Mem: Benedicto XIII. die 15. Januarii Anni 1728. concessas benigne confirmavit; Plenariam nimirum cum facultate eam Fidelium Defunctorum Animabus applicandi, semel in mense lucrandam ab iis, qui quotidie per mensem praefatos Actus pie, devote, et ex corde peregerint, die nempe ab unoquoque eligenda, in qua vere poenitentes, confessi, et S. Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, ut decet, oraverint; nec non aliam similiter Plenariam in mortis articulo. Ut autem commissas sibi Oves ad frequentiorem hujusmodi Actuum usum alliceret, Sanctitas Sua Indulgentiam Septem Annorum, totidemque Quadragenarum, cum eadem applicationis facultate, quae juxta ejusdem Sui Praedecessoris concessionem, semel tantum in die consequi poterat, ad quamlibet antedictorum Actuum piam ut supra recitationem clementer extendit.

Declaravit insuper Sanctitas Sua, praefatas omnes Indulgentias addictas minime esse certis, determinatisque verbis, propterea que unumquemque uti posse in recitatione dictorum Actuum qualibet formula, dummodo in ea singulariter Virtutum Theologicarum specialia motiva exprimantur. Dat. die 28. Januarii Anno 1756.

Loco ✻ Sigilli

Fr. I. Card. Portocarrero Praefectus.
A. G. Vicecomes Sac. Congr. Indulg. Secret.

II.

ATTI DI FEDE, SPERANZA, CARITA', E DOLORE.

Atto di Fede.

Mio DIO, perchè siete prima, ed infallibile verità, credo fermamente tutto ciò, che avete rivelato alla Santa Madre Chiesa, e che questa mi propone da credere; ed espressamente credo, che vi è un Dio solo in tre Persone distinte, Padre, Figliuolo, e Spirito Santo: che il Figliuolo si è fatto Uomo nel purissimo seno di Maria Vergine per virtù dello Spirito Santo, e si chiama Gesù Cristo, il quale patì, e morì per la eterna nostra salute, e il terzo dì risuscitò da morte: che Iddio premia i buoni col Paradiso, e punisce i cattivi coll' Inferno; e protesto di volere vivere, e morire in questa Santa Fede. Mio Dio ajutatemi, acciocchè non manchi nel credere.

Atto di Speranza.

Io spero, mio Dio, perchè siete onnipotente, e infinitamente misericordioso, e fedele nelle vostre promesse, il perdono de' miei peccati, e la Gloria del Paradiso, per li meriti di Gesù Cristo, e col mezzo delle opere buone, che confido di fare con la vostra Grazia. Mio Dio ajutatemi, acciocchè per me non manchi, che tanto non ottenga.

Atto di Carità.

DIO mio, perchè siete sommo Bene, vi amo sopra ogni cosa, e per amor vostro amo il Prossimo, come me stesso, e sono disposto a perdere prima tutto, e la vita stessa, piuttosto che mai più offendervi. Mio Dio ajutatemi, acciocchè non manchi nell' amarvi.

Atto di Dolore.

Mi pento, mio Dio, di avervi offeso, e mi dolgo con tutto il cuore de' miei peccati: li odio, e li detesto sopra ogni altro male, perchè peccando, ho perduto il Paradiso, e meritato l' Inferno; ma molto più mi pento so-

pra ogni altra cosa, perchè ho offeso voi, Bontà infinita, e degno di essere amato sopra ogni cosa: propongo fermamente di non offendervi mai più per l'avvenire, mediante la vostra Santa Grazia, e di fuggire le occasioni prossime del peccato. Dio mio ajutatemi, acciocchè non vi disgusti mai più peccando.

III.

PROFESSIO FIDEI

Ad praescriptum Bullae PII IV., quae incipit Injunctum Nobis Apostolicae Servitutis *etc.*

EGO N. N.

firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Coeli, et Terrae, visibilium omnium, et invisibilium; Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis; Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est; Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est; Et resurrexit tertia die secundum Scripturas; Et ascendit in Coelum, sedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, et mortuos, cujus Regni non erit finis; Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas; Et unam Sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam; Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; Et expecto resurrectionem mortuorum; Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones firmissime admitto, et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere, et proprie Sacramenta novae Legis a Je-

su Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quae de peccato originali, et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub alterutra tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, honorandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero, Imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus, et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem

spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

IV.

EDITTO DEL S. OFFIZIO

Essendo a Noi per continua esperienza manifesto, che molti per malizia, altri per inobbedienza, ed altri per ignoranza non sodisfanno agli obblighi, che hanno di denunciare al S. Officio li delitti spettanti ad esso, e che però succedono grandissimi inconvenienti, ed errori, non solamente contro i buoni, e Cristiani costumi, ma ancora contro la Fede Cattolica; Noi per tanto, ai quali specialmente devono essere a cuore la gloria di Dio, la conservazione, ed aumento della Fede Cattolica, e la salute delle Anime, volendo provvedere a tanto disordine con autorità Apostolica a Noi commessa, comandiamo in virtù di Santa ubbidienza, e sotto la pena di Scommunica di lata Sentenza, oltre le altre pene prescritte da' Sagri Canoni, Decreti, Costituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, col tenore del presente Editto, a tutte, e ciascuna persona di qualsivoglia stato, grado, condizione, e dignità, così Ecclesiastica, come Secolare, che fra il termine di trenta giorni, dieci de' quali per il primo, dieci per il secondo, e dieci per il terzo termine perentorio, debbano rivelare, e giuridicamente notificare al S. Offizio, ovvero all' Ordinario, e tutti, e ciascuno di quelli, de' quali sappiano, o abbiano avuto, o averanno notizia.

Che siano Eretici, o sospetti, o diffamati d' Eresia, o credenti, o fautori, o ricettatori, o difensori loro; o abbiano aderito, o aderiscano a' riti de' Giudei, o Maomettani, e de' Gentili, o abbiano apostatato dalla Santa Fede Cattolica.

Che abbiano fatto, o facciano atti, da' quali si possa argomentare patto espresso, o tacito col Demonio, esercitando incanti, magia, sortilegj, promettendogli suffomigj, o incensi, per trovar tesori, et altri intenti, chiedendo da lui risposte, ed invocandolo, ed a quest' effetto promettendogli ubbidienza, e consecrandogli pentacoli, Libri, Spade, Specchj, et altre cose, nelle quali intervenga il nome, e opera sua.

Che si siano ingeriti, o s' ingerischino in fare esperimenti di Negromanzia, o di qualsivoglia altra sorte di magia, con entrare ne' circoli, fare esperimenti della caraffa, e del crivello, per trovare i medesimi tesori, cose nascoste, rubbate, e perdute, e fare altre simili superstiziose azioni ad altri fini, massime con abuso de' Sagramenti.

Che senza la licenza dovuta ritenghino scritti, che contenghino eresie, o libri eretici, che trattino *ex professo* di Religione, o che gli abbiano letti, o tenuti, o stampati, o fatti stampare, o li legghino, tenghino, stampino, faccia-no stampare, introduchino, o difendino sotto qualsivoglia pretesto, o colore.

Che abbiano Libri di Negromanzia, Magia, e continenti incantesimi, Sortilegj, e simili superstizioni, massime con abuso di cose Sagre.

Che contro il Voto solenne fatto nella Professione in qualsivoglia Religione approvata, dopo aver preso l' Ordine Sagro, abbiano contratto, o contraggano Matrimonio.

Che vivendo la prima Moglie piglino la seconda, o vivendo il primo Marito, piglino il secondo.

Che contro i Decreti, e Costituzioni Apostoliche abbiano abusato, abusino del Sagramento della Penitenza, servendosi della Confessione, o Confessionario a fini disonesti, sollecitando in essi i Penitenti *ad turpia*, et avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine, per il quale è stato istituito.

Che abbiano proferito, o proferischino bestemmie ereticali contro Dio, la Beata Vergine, e Santi, o procedino a qualche atto di offesa, e disprezzo contro le Immagini, e Figure rappresentanti il medesimo.

Che abbiano tenute, o tenghino occulte conventicole, o radunanze in pregiudizio, disprezzo, o contro la Religione.

Che abbiano indotto qualche Cristiano ad abbracciare il Giudaismo, o altra Setta contraria alla Fede Cattolica, o impedito i Giudei, o Turchi a battezzarsi.

Che non essendo ordinati Sacerdoti s' abbiano con Sagrilego ardire usurpato, e si usurpino di celebrare Messa, ancorchè non abbiano proferite le parole della Consegrazione, o abbiano presunto di ministrare il Sagramento della Penitenza a' Fedeli di Cristo, ancorchè non siano venuti all' atto dell' assoluzione.

In oltre si dichiara, che quelli, i quali non denunciaranno, come si ordina col presente Editto, non possino essere da alcuno assoluti, se non dal S. Offizio, dopo che averanno in esso giuridicamente rivelato li Delinquenti, al che non possono soddisfare con bollettini, o lettere senza nome, e cognome dell' Autore, o altri modi incerti, de' quali non si tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

Si dichiara anche con la suddetta espressione de' casi sopra da Noi specificati da rivelarsi, non escludersi gli altri casi spettanti al S. Offizio, che per altro non sono compresi ne' Sagri Canoni, Costituzioni, e Bolle de' Sommi Pon-

tefici, nè meno col presente Editto s' intenda derogato alle altre provisioni Canoniche Apostoliche, e agli altri Editti delli Ordinarj, et Inquisitori.

Ed affinchè del presente Editto non si possa pretendere ignoranza, comandiamo, che sia affisso per i luoghi soliti di Roma, e si notifichi alli Vescovi delle Città vicine a Roma, nelle quali non sono Inquisitori, acciò lo pubblichino, et ordinino, che li Parrochi delle loro Diocesi lo legghino ogni anno la prima Domenica dell' Avvento, e la prima Domenica di Quaresima; il che parimenti vogliamo, che si faccia da' Parrochi, e Regolari di Roma nelle loro Chiese in tempo, che si troverà in esse congregato maggior nnmero di Popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chiese, e Sagristie di esse un esemplare del medesimo, per osservare quanto si ordina.

V.

COMPENDIO

Delle Regole Generali intorno a' Libri Proibiti pubblicate per ordine del Concilio di Trento colle susseguenti Pontificie dichiarazioni.

I. Tutti i Libri, che avanti l' anno 1515. furono proscritti dai Sommi Pontefici, o dai Concilj Ecumenici, ancorchè non siano registrati nell' Indice, debbonsi riguardare, come già condannati.

II. I Libri degli Eresiarchi, i quali dopo il detto anno inventarono, o rinnuovarono le diverse Eresie, o furono Capi, e Guide di Eretici, qualunque sia il titolo, ed argomento di tali Libri, sono essi del tutto proibiti; come pure i Libri di Eretici, che trattano *ex professo* di materie spettanti alla Religione. Quelli poi, che di tali materie non trattano, saranno permessi, previo l' esame, e l' approvazione di qnelli, cui spetta: ed in simil guisa dicasi, previe le suddette approvazioni, di quelli ancora di dottrina Cattolica, i cui Autori fossero poscia caduti nell' Eresia, o che dopo la loro caduta tornarono al grembo della Chiesa.

III. Sono permesse le Versioni di Scrittori Ecclesiastici, pubblicate in passato da Autori condannati, purchè niente contengano contro la sana dottrina. Le Versioni poi del nuovo Testamento fatte dagli Autori notati nella prima Classe dell' Indice, sono assolutamente vietate. Riguardo alle versioni dell'antico Testamento, ed alla Biblia del Vatablo, spetta ai Vescovi il premetterne la lezione a dotte, e pie persone, le quali ne usino non come di sacro Testo, ma

per mera interpretazione del medesimo. Dalla Biblia d' Isidoro Clario Bresciano si tolgano il Prologo, e li Prolegomeni.

IV. Quanto alle Traduzioni della Biblia in lingua volgare, in virtù della dichiarazione fatta da Papa Clemente VIII. e del Decreto della S. Congregazione dell' Indice delli 13. Giugno 1757. non sono permesse, se non quelle, che dalla Sede Apostolica sono approvate, o pubblicate coll'oracolo della medesima.

V. Quanto ai Libri di Collezioni fatte da Autori Eretici, come Lessici, Concordanze, Apoftegmi, se mai vi fossero cose da essi aggiunte, non siano permessi, senza che dai Vescovi nelle prescritte forme siano stati approvati.

VI. I Libri di Controversie tra gli Eretici, e i Cattolici, scritti in lingua volgare, non sono permessi, quando non abbiano le debite approvazioni. Que' Libri, che in qualunque Regno, o Provincia fossero stati proibiti, per esservi cose non espedienti a leggersi da tutti, quando i loro Autori siano Cattolici, potranno essere permessi, dopo che saranno stati emendati.

Nè dovrà suffragare ad essi Parrochi, Rettori, Sagrestani ec. ad oggetto di sottrarsi dalle pene enunciate, che da altro Sacerdote, o Ministro sagro si lascino i sagri Tabernacoli aperti, o le chiavi di essi in luogo non sicuro: poichè ai detti Parrochi, Rettori, Sagrestani, o altri si spetta la diligente, ed esatta cura de' sagri Vasi, e del SSmo Sagramento Eucaristico, ed essi sono strettamente obbligati, e tenuti a vegliare fedelmente, acciò, terminati i Divini Uffizj, il sagrosanto Deposito, ed i sagri Tabernacoli non soggiacciano ad alcun insulto, o sacrilego rapimento. Dovrà bensì contro il detto Sacerdote, o qualsivoglia altro procedersi colle medesime pene, come chè avrà anch' esso data occasione ad un tanto eccesso.

E perchè gli Ordinarj de' Luoghi possano procedere giusta le riferite disposizioni Pontificie ancora contro i Regolari, o altre persone esenti sopra la materia, di cui trattasi, sono comunicate agli Ordinarj medesimi le facoltà necessarie, ed oportune, cumulativamente però con i loro Superiori Regolari, ai quali parimente incombe il medesimo peso.

Affine dunque di ritornare alla memoria di tutti queste Apostoliche disposizioni, ne abbiamo pubblicato il presente Editto, che dovrà affiggersi, e sempre rimanere in tutte le Sagrestie delle nostre Diocesi, e confidando Noi nella vigilanza de' Parrochi, Rettori, Sagrestani, o altri Custodi de' sagri Tabernacoli, speriamo conseguentemente, che non vi sarà luogo a temere d' alcuna irriverenza, o empio disprezzo dell' ineffabile Mistero Eucaristico, mentre in caso

contrario protestiamo, che si procederà irremissibilmente all'esecuzione di quanto viene comandato, e prescritto nell' accennata Circolare.

Dato in Roma dal nostro Palazzo 30. Novembre 1815.

ALESSANDRO CARD. VESCOVO.

Sebastiano Lazzarini Segr.

IV.

Decretum Sac. Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum circa Communionem quotidianam.

Cum ad aures SS. D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Dioecesibus vigere usum quotidianae Communionis etiam in feria sexta Parasceves, et simul affirmari, eamdem quotidianam Communionem praeceptam esse a jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, et domi, imo cubantes in lecto, et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes Saeculares, aut Regulares, aliique in Communione accipiant plures formas, ac Particulas grandiores solito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario; cumque haec Sanctissimus consideranda commiserit Sacrae Congregationi Cardinalium Conc. Trid. interpretum: eadem Sacra Congregatio, praevia matura discussione super praedictis, unanimi sententia ita censuit. Etsi frequens, quotidianusque sacrosanctae Eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut saepius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent*: idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes, multae e contra gratiae, et Dei dona parvulis concessa, quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certi de cujusque dignitate, atque integritate, et consequenter de frequentiori, ac quotidiano vitalis Panis esu potest constitui. Et

propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram Alimoniam percipiendam accessus Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu laicis, negotiatoribus, conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertant, cum B. Apostolus nolit, *eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi*, eos serio admoneant, tanto magis ob sacratissimae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum, puriorique mente ad coelestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacrae Communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet: illudque omnino provideat, ut nemo a sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, et praeparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie sacram Communionem petentes admonendae erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto praestitutis communicent; si quae vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam, praeter Parochorum, et Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, et cum eis constitutum haberi, ut cum Fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini Judicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est, revereri, et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem praeparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Dioecesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiae, et judicii temperamento alere debebunt, et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae, et scandali suspicio in veri, et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina praestante gratia, tenentur, seque

sacratissimo Pane frequentius reficere cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, et charitate assueverint, quibus Christum Dominum, qui se Fidelibus manducandum, et se pretium in morte tradidit, atque in coelesti regno se praemium est daturus, precatur sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam praeparationem, et sumptionem largiatur. Porro Episcopi, et Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes, communionem quotidianam esse de jure Divino; doceant, in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam sanctissimam Eucharistiam, nec eam deferendam ullo modo in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, praeterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, et ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice, et cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parasceves Missalis Rubricae, et Ecclesiae Romanae usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, et Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, et Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, et Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de praemissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac praesens Decretum typis dari, ac publicari, voluit. In quorum, etc.

Datum Romae 12. Februarii 1679.

F. Card. Columna Praef.

S. Archiepiscopus Brancaccius Episc. Viterbien. Secr.



V.

Extensio Indulgentiae Plenariae ad universas Ecclesias ubicumque Catholici Orbis Locorum existentes pro Triduo Expositionis Venerabilis in Hebdomada sive Septuagesimae, sive Sexagesimae, aut Quinquagesimae, vel in singulis praedictis Hebdomadis, vel in sola Feria quinta infra Hebdomadam Sexagesimae.

Cum alias san. mem. Benedictus XIV. ad frequentes Episcoporum Pontificiae Ditionis querelas gravioribus abusibus, qui Bacchanalium tempore irrepserant, opportuno remedio occurrere concupiverit, perspexeritque, in aliquibus Ecclesiis salutari consilio institutam esse Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti Expositionem per tres dies sive in Hebdomada Septuagesimae, sive in altera Sexagesimae, aut Quinquagesimae ante diem Cinerum, ad hoc praecipue, ne Fideles tempore tentationis a via Domini recederent, et in praedictis Ecclesiis pie orantes Divina impetrarent auxilia: Universis utriusque sexus Christifidelibus confessis, et sacra Communione refectis, qui easdem Ecclesias, in quibus Venerabilis Expositio, sive in uno, sive in singulis praedictis Triduis fieret, devote visitarent, Indulgentiam Plenariam misericorditer concessit, et indulsit. Hinc Ssm̃us Dominus Noster Clemens Divina Providentia PP. XIII. sedulo recogitans, praefatam Augustissimi Sacramenti Expositionem plurimum hisce diebus profuisse, ac deinceps fore profuturam, eamdem Plenariam Indulgentiam ad quascumque Catholici Orbis Ecclesias ubicumque Locorum existentes, ubi Venerabilis Expositio, sive in Hebdomada Septuagesimae, sive Sexagesimae, aut Quinquagesimae, sive in singulis praedictis Hebdomadis per tres dies, aut etiam si tantummodo in Feria V. infra Hebdomadam Sexagesimae peragatur, ex uberi Pontificiae charitatis fonte benignissime extendit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23. Julii 1765.

N. Card. Antonellus Praefectus.

Loco ✠ Sigilli

S. Borgia Sac. Congreg. Indulgentiarum Secretarius.

VI.

Summa Constitutionis Sanctissimi Patris Benedicti XIV. quae incipit Accepimus. *Dat.* 16. *Julii* 1746. *de retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam, et visibiliter exposita super Altaribus, ad quae Missarum Sacrificia celebrantur.*

§. *Accepimus*. §. *In Altaribus*.

Inducta in quibusdam ditionis Pontificiae Civitatibus consuetudo Ecclesiasticae disciplinae adversa, movit summum Pontificem ad has literas scribendas, ut spiritualis regiminis Ministri hac de re monerentur. Porro consuetudo ejusmodi est: in Altaribus per Ecclesias erectis, praeter majorem tabulam, in qua exprimitur imago Sancti, cui Altare dicatum est, jungi coepit alia minor tabubula, quae alterius Sancti effigiem exhibet; et cum haec nonnisi inter candelabra locum habere possit, aufertur propterea Crux, et exiguus Crucifixus, diligenti oculo vix occurrens, minori tabulae superadditur, ac coram illo Res Divina conficitur.

§. *Equidem*.

Potest eqnidem idem Altare pluribus Sanctis, etiam in dnplici tabula expressis dedicari: at permittendum non est, quod Missa in eo celebretur, cui vel nulla, vel incommoda, vel tenuis, et exigua Crnx apponitur, cum id Ecclesiae legibus, et Ecclesiarum consuetudini contrarium omnino sit.

§. *In Rubricis*. §. *Nos ipsi*. §. *Si vero*.

Constituendam esse Crucem mediam inter candelabra, praescribunt Missale Romanum in Rubr. tit. *de praepar. Alt.*, et Pontificale tit. *de consecrat. electi*; atque illa, ut loquitur Coeremoniale Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 12. debet esse *praelata, ita ut pes Crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris superemineat cum Imagine SSmi Crucifixi*: qua de re pluribus agit Pontifex in eximiis commentariis *de Sacrificio Missae part. IV. sect.* 1. *num.* 17., *ac sequent.* iisque multa addidit in latina editione *sect.* 1. §. 18. *et* 19. Hunc ritum, quem novatores ipsi reverentur, Cruce retenta, dum suam coe-

nam instituunt, ut testatur Gretserus *tom.* 1. *de Cruce cap.* 23. *novis. edition.* Orientales etiam Ecclesiae servant: etenim Greci Crucem cum libro Evangeliorum super Altari constituunt: eodem loco Crucem collocat Lyturgia Cophto-Arabica ex Codicibus Vatic. Romae impressa *an.* 1736. *pag.* 23. et ritus Syriacus Marouitarum, ut videre est apud Patriarcham Stephanum *lib.* 3. *tract.* 2. *sect.* 4. et in nationali Synodo coacta *an.* 1736. *part. II. cap.* 13. quae a Pontifice Apostolicis litteris confirmata fuit.

§. *Scriptores*. §. *Secundo*. §. *Tertio*. §. *Quarto*.

De hoc ritu ponendi Crucem in Altari, in quo Sacrum fieri debet, quatuor questiones a Scriptoribus propositas tractat, et expedit Pontifex.

Prima est: utrum sufficiat, nudam Crucem in Altari statuere, an vero Imago Crucifixi simul addenda sit. Respondet, addendam esse Cruci Imaginem Crucifixi, quam licet Missale reticeat, Coeremoniale tamen diserte nominat. Ita sentiunt Gavantus, Claudius la Croix, qui *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 318. docet, ob veterem, communemque usum absque Imagine Crucifixi e Cruce pendentis Rem Divinam fieri non posse. Et sane Fideles nascentis Ecclesiae, ne Christum Crucifixum furentibus Ethnicis spectandum objicerent, Cruci Agnum Christi typum appingebant, vel incidebant, ut adhuc Romana monumenta produnt, et testatur Macrius in Hierolexico *V. Crux*.

Secunda est: utrum Crucifixus in eo etiam Altari constitui debeat, in cujus majori tabula Crucifixus depictus est, vel celatus. Respondet, id non esse necessarium, dummodo Crucifixus in tabula primum locum prae aliis in ea expressis obtineat. Quamvis Gavantus dissentiat, consentiunt tamen Pasqualigus *de Sacrificio Missae quaest.* 716. Quartus *ad Rubricas Missalis part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 10. et Giribaldus *de Sacramentis tract.* 5. *cap.* 9. *dub.* 2. *num.* 20. eamque sententiam probavit Congregatio sacrorum Rituum *an.* 1663. apud Meratum *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 20. *num.* 6., et in indice Decretorum *eod. tom. part.* 2. *num.* 400.

Tertia est: utrum Crucifixus in eo Altari requiratur, in quo extat tabernaculum cum sanctissima Eucharistia, praesertim cum tabernaculo parvus Crucifixus praefigatur. Forte quaestionem hanc locum non habere quis arbitrabitur, quod in Coeremoniali Episcoporum dicatur, *maxime decere, ut in Altari, ubi SS. Sacramentum est, Missae non celebrentur, quod antiquitus observatum esse credimus*, sive ut legebat vetus Coeremoniale, *quod antiquitus observatum esse videmus*; et quamvis id difficile visum sit nonnullis, eo quia in unico Altari, quod olim in Christianis Templis erigebatur, et Eucharistiam servare, et

Missam agere necesse erat, illis tamen perspectum est, qui olim Eucharistiam in sacrario Ecclesiae, vel in decenti armario parieti affixo servatam fuisse norunt, uti nunc etiam visitur Romae in Basilica S. Crucis in Jerusalem, et perpendit Mabillon. in Musaeo Italico *tom.* 1. *pag.* 89. *et tom.* 2. *pag.* 139. Verum suam habet haec quaestio difficultatem ob vigentem disciplinam, quae Eucharistiam in uno ex Altaribus Ecclesiae retinet, in quo passim Missa celebratur; praesertim cum Coeremoniale celebrationem hujusmodi absolnte non vetet, ut Lupus notavit *tom.* 11. *pag.* 356. *recent. edit.* Respondit ergo quaestioni, Crucem apponendam esse inter candelabra in illis etiam Altaribus, in quibus Divina servatur Eucharistia. Id docuit Pontifex in cit. comment. *de Sacrificio Missae part. IV. sect.* 1. *num.* 18. idemque censuit Congregatio sacrorum Rit. *an.* 1663. apud Meratum *Tom.* 1. *part.* 2. *num.* 400. in haec verba: *Crux parva cum Imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in quo asservatur inclusum SS. Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Cruce in medio candelabrorum.*

Quarta demum est: utrum Crucifixus in eo Altari sit apponendus, in quo Augustissimum Sacramentum publicae Fidelium venerationi exponitur. Congregatio sacr. Rit. ad hoc dubium, *an super Altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat?* respondit die 14. *Maii* 1707. *nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi apposita collocationem*: at cum varia tunc fuerint suffragia, cautumque sit, ne decretum ederetur, dubio iterum in eadem Congregatione proposito die 2. Septembr. 1741. decretum fuit, ut quaelibet Ecclesia morem, et institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret. Prudenter sane, et sapienter: sive enim qui Crucifixum amovendum, sive qui retinendum docent, valido fundamento non innituntur. Qui enim illum amovent ab exposita Eucharistia, eo quod haud decere putant, ut Christi Imago ibi sit, ubi Christus ipse est realiter praesens, animadvertant, id quoque contingere in quocunque Altari peracta consecratione: et tamen Ecclesia Crucem ab Altari post consecrationem removeri nunquam praecipit. Qui e contra Crucifixum retinent cum exposita Eucharistia, ea de causa, quod in expositione Christi gloria, in Missa mors Christi repraesentatur, meminerint in utraque actione ab Ecclesia eamdem Collectam a S. Thoma Aquinate compositam usurpari, in qua dicitur: *Ut redemptionis tuae* (hoc est passionis, et mortis) *fructum in nobis jugiter sentiamus*. Quare commendabili consilio cuilibet Ecclesiae, vel Dioecesi permissum est, ut morem suum retineat.

§. *Haec omnia* . §. *Si etenim* :

Haec proposuit Pontifex, ut perspectum esset, quam aliena sit a sacris Ritibus consuetudo, qua Missa celebratur, non ad Crucem inter candelabra prominentem, sed ad exiguum Crucifixum appositum minori tabulae alicujus Sancti, quae majori tabulae Altaris adjungi consuevit. Hanc praxim recenter inductam improbandam esse, persuadent omnia, quae hucusque expensa sunt: sed ob id etiam rejicienda est, quod ab exiguo Crucifixo illa non promanat utilitas, quam Ecclesia intendit, ut scilicet ab aspectu Crucis excitetur Sacerdos ad memoriam passionis Christi, quam viva imagine repraesentat, dum idem, quamvis diverso modo, sacrificium offert, quod in Cruce oblatum est, ut ex Tridentino *sess.* 22. *de Sacrific. Miss. cap.* 2. prosequitur Cardinalis Bona *rerum Lyturgicarum lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 8.

§. *Itaque vos* .

Episcopos demum hortatur Pontifex, ut huic consuetudini obsistant, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati adversus quoscumque quomodolibet exemptos, facultate sibi ad haec tradita a sacra Triden. Synodo *sess.* 22. *in Decr. de observan. et evitan. in Sacrific. Miss.* quam facultatem ipsis asseruit Congregatio Concilii Triden. interpres, ut testatur Fagnanus *ad cap.* Grave *num.* 46. *de off. ordin.* et Pontifex his litteris confirmat. Vetat, ne minores hae tabulae per Episcopos amoveantur: satis enim erit, si Episcopi Crucifixum a Sacerdote, et populo commode intuendum inter candelabra collocari procurent, privatis quidem monitionibus, si corruptela hujusmodi non admodum fuerit propagata, sin minus, edicto publico; atque illis demum promittit, Pontificiae auctoritatis praesidium ipsis petentibus non defuturum.

VII.

DECRETA

Sacrae Congregationis Concilii, quibus dubia quaedam declarantur orta super quibusdam clausulis apponi solitis in Brevibus Altarium Privilegiatorum, aut Jubilaei.

Clausulis in Brevis Altaris Privilegiati solita apponi *dummodo in dicta Ecclesia tot Missae quotidie celebrentur*, debet intelligi juxta declarationem datam

de mandato Sanctissimi a Sacra Congregatione Concilii ad sequentia dubia. *Primo, an absentibus Religiosis in causa Praedicationis tempore Quadragesimae, et Adventus, vel quando occasione Festivitatum, vel Funerum, aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentiae concessae cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus essent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Missarum non fuerit adimpletus, sint suspensae, vel potius remaneant in suo robore?*

Secundo, an idem sit statuendum, deficiente praefixo numero Missarum ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quam Saecularium?

Tertio, an pariter idem sit statuendum, deficiente praedicto numero Missarum ob absentiam ab Ecclesiis Saecularibus Canonicorum, et Sacerdotum per aliquos dies, et menses?

Sacra Congregatio Concilii Tridentini etc. 30. Julii 1701. respondit.

Ad primum, quoad primam partem pro tempore Adventus, et Quadragesimae remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat.

Ad secundum remanere suspensas.

Ad tertium provisum in primo.

Sub generali Indulgentiarum suspensione, quae fit anno Jubilaei, non comprehenduntur Altaria privilegiata, nec aliae Indulgentiae pro solis Defunctis concessae. *Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis proposita 24. Januar.* 1700. Altaria privilegiata pro Defunctis non comprehenduntur sub clausula illa: *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint*; nec sub alia clausula consimili; *Sacra Congregatio* 13. *Junii* 1676. Quod decretum, utpote alia comprehendens, et de mente Sanctissimi Innocentii XI. editum, per extensum hic datur.

Cum a Sacra Congregatione Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis proposita Cameracensis Archiepiscopus quaesivisset, quae vis, et sententia Clausulae, quae hodie Brevibus Indulgentiarum apponi solet (*Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam quolibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint*) *Sacra Congregatio, re diligentius examinata, clausulam sic explicandam censuit, Si videbitur Sanctissimo Domino Nostro; Ea minime contineri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitati, Regularibus, et Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ut iis, qui Christiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt,*

et qui Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque stationum urbis, et septem Altarium Indulgentias instar septem Altarium Basilicae Vaticanae concessas, neque demum quae pro unica vice conceduntur. Caeterum si alia Indulgentia sive plenaria, sive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus Ecclesiam, vel aliquod ejus Altare, seu Capellam visitantibus eodem anni die, vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Apostolicis mentio, has litteras ob adjectam clausulam esse prorsus irritas, ac nullas. Dat Romae 23. Junii 1676. De his autem facta relatione ad Sanctissimum Dominum Nostrum die 16. Martii 1677. sententiam Congregationis approbavit. Cardinalis Maximus. Michael Angelus Riccius Secretarius.

VIII.

DECRETUM

De Privilegio Altaris die 2. Novembris.

Cum ex veteri more, et laudabili Ecclesiae Instituto die secunda Novembris omnium Defunctorum memoriam recoli, eorumque Animae ab universis Christifidelibus orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus, et Ecclesiae suffragiis, potissimum vero acceptabili Sacrosanctae Missae Sacrificio juvari soleant: Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII. ex paterna sua charitate erga omnes Fideles tam vivos, quam defunctos, Animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia, et charitate Dei, nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis decesserunt, de inexhausto Catholicae Ecclesiae Thesauro abundantius suffragari quam maxime cupiens, ut celerius e Purgatorii poenis liberatae, ad aeternam gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio VV. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praepositorum, universali hoc Decreto perpetuis futuris temporibus valituro benigne concedit, ut Missa die praedicta Commemorationis Defunctorum a quocumque Sacerdote Saeculari, vel cujuslibet Ordinis, et Instituti Regularis celebranda gaudeat privilegio, ac si in Altari privilegiato esset celebrata: decernendo tamen, ut nonnisi consuetam eleemosynam unusquisque Sacerdos pro dicta Missa, licet privilegiata, accipiat, et in ea tantum quantitate, quae a Synodalibus constitu-

tionibus; seu a Loci consuetudine regulariter praefinita fuerit. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum die 19. Maii 1761.

Loco ✠ Sigilli

N. Card. Antonellus Praefectus.

J. De Comitibus S. Congreg. Indulg. Secret.

IX.

CONFIRMATIO

Decretorum Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

Super Celebratione Missarum, etiam cum declaratione, et innovatione Decretorum ab eadem Congregatione, auctoritate fel. rec. Urbani Papae VIII. desuper alias factorum.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet.

Alias super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicae licentia, nec non super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, et Religiosorum numero ultra reditus, et consuetas eleemosynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum VIII. illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis.

Cum saepe contingat in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piae Testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, Defuncto-

rum Animae suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christifideles gravi scandalo affecti plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter caetera fomentum praebeat, aut quod ii, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri, aut quod Ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, et reditus Ecclesiae, aut Monasterii adeo exigui, ut Sacerdos pro necessaria sua substentatione novis se oneribus obstringere compellatur: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique, ac justitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum a Christiana Republica convellere, atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani Divina Providentia Papae VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

Ac primo districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua, et exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuscumque, tam Saecularibus, quam Regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quin immo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.

Id vero, ut deinceps observetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, et indulta omnia quibusvis Personis Ecclesiasticis, ac Locis Piis, tam Saecularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur,

ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

Praeterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit, ac decernit, ut pecuniae, ac Bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam Saecularibus, quam Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub poena Interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Aedem Sacram, vel personam fide, et facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quam primum investiendi in Bonis immobilibus fructiferis cum expressa, et individua mentione oneris, quod illis adnexum reperitur.

Ac si eadem Bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem poena, ut supra, deponi, atque in aliis Bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque adnexione converti debeat.

Ad haec Sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, et Congregationibus, necnon omnibus, et singulis Ecclesiarum, ac Piorum Locorum, tam Saecularium, quam Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Saeculares quidem sine Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu, et licentia in scriptis, et gratis concedenda; alioquin Saecularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiae interdictus sit eo ipso: Regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda, vocisque activae, et passivae absque alia declaratione incurrat.

Eleemosynas vero manuales, et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant ab hujusmodi

eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.

Episcopus vero, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiae, Monasterio, aut Loco Pio incumbentibus, nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Ecclesiis, et Locis Piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciae, intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus praetermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quae Regularem disciplinam evertunt, ac praecipue nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant reditus, et eleemosynae cujusque Monasterii; inhaerentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis hac de re editis, Sanctissimi Domini Nostri auctoritate praecipiunt, ac mandant omnibus, et singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Praesidentibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis, et quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, Bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti existentium intra fines Italiae, et Insularum adjacentium, ut singulis, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, et rerum usu peritioribus, Bona immobilia, Census, reditus, et proventus omnes, consuetas item eleemosynas, et obventiones tam communes Monasteriorum, Conventuum, et Domorum ejusdem Provinciae, quam etiam singularibus Personis Religiosis assignatas, seu permissas in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate praecedentium habita ratione diligenter, et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera absorbere consueverunt.

Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, proximo Capitulo, seu Congregatione Generali, vel Provinciali coram tribus Ju-

dicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi reditibus, eleemosynis, obventionibus universis, et oneribus, ut supra, detractis, sedulo examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu, et Domo Regulari juxta regionis, et proprii Instituti morem, victum, et vestitum, et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem Bonorum, redituum, eleemosynarum, et onerum praecisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque Familiae Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis in singula quaque Provincia certus earum tantum personarum numerus Patrum Capitularium voto praefigatur, quae reditibus, eleemosynis, et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

Ne vero Superiores, qui id praestare debent, serius, aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

Numerumque Familiae, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, et Domorum hujusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis Generalis, vel Provincialis sententia, et auctoritate praefinitum, iidem Superiores tam Generales, et Provinciales omnes, quam Locales perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam praetextu augmenti redituum absque Sacrae ipsius Congregationis licentia; Superiores autem hujusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint, vel numerum, ut supra praescriptum quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium Officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, vocisque activae, ac passivae, et ad omnia suae Religionis officia, et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apostolica infligendis poenis Sacra Congregatio subjacere voluit, et declaravit.

Deinceps vero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi, praeter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, et ex reditibus, et consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra, detrahendis, competenter substentari valeant ad praescriptum Decreti fel. recor. Gregorii XV. hac de re editi; alioquin Monasteria, et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii lo-

ci visitationi, correctioni, atque omnimodae jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

Porro ne ullo unqnam tempore haec in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cujnsque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, sub poena privationis Officii, vocisque activae, et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post Octavam Corporis Christi, praesentes Ordinationes in publica Mensa perlegantur.

Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cujuscumque sint Ordinis, conditionis, et gradus, quam Laicis quocumque honore, et potestate praeditis, praesentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obstantibus etc.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

Excitatis autem super praemissorum Decretorum intelligentia, seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione, simili auctoritate illi a praefato Urbano VIII. specialiter attributa, responsiones, seu declarationes inferius apponendae,

Super primo Sacrae Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quaeritur, quid, si Legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, et si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundo, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint,

Quaeritur, an verba illa (*praescriptae fuerint*) intelligenda sint de praescriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertio, an cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente praescriptas celebrare?

Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellae, Legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, et unico Missae Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quinto, posito, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missae absque ulla praescriptione eleemosynae,

Quaeritur, an liberum sit Haeredibus eleemosynam sibi bene visam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

Sexto, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat,

Queritur, an verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

Septimo, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat,

Quaeritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiae, Altarium, Inservientium, paramentorum, luminum, Vini, Hostiae, et similium?

Octavo, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quae conferuntur in titulum, idest, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium, ad rationem redituum Beneficii?

Nono, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Decimo, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter caetera statuitur in haec verba: (eleemosynas vero manuales, et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino

abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant etc.)

Quaeritur, an hoc Decretum prohibeat absolute, quo minus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Undecimo, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?

Duodecimo, an poena Interdicti, et aliae appositae ab eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem praecipitur?

Decimotertio, an in hoc Decreto comprehendantur illae Capsulae, quae apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, et vulgo dicuntur *Casse de' Morti*?

Decimoquarto, an Administratores Ecclesiae ratione magnae devotionis, et concursu possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiae, et devotio, ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimoquinto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, et singulis Ecclesiarum, et Piorum Locorum tam Saecularium, quam Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*et aliis ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimosexto, super septimo ejusdem Sacrae Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum praefigatur numerus, qui ex consuetis reditibus, aut eleemosynis commode possint sustentari,

Quaeritur, an ubi haec praefixio facta jam fuit in vim similis Decreti sanctae mem. Pauli V. absque tamen computatione redituum cujusque Religiosi, sit denuo facienda, nec ne?

Decimoseptimo, an Novitii ad habitum Regularem admissi possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut supra, praefixione numeri, commode ali non possunt?

Decimo octavo, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi praeter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, et competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint jurisdictioni ordinariae,

Quaeritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebra-

tionem Missarum, comprehendat eas Religiones, quae non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimo, an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi etc., habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

DECLARATIONES

Seu Responsiones ad supradicta dubia.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit, videlicet

Ad primum, etsi Legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra, impositi ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse judicaverit; Verumtamen si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, et observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot prescripserit Ordinarius secundum morem Civitatis, vel Provinciae.

Ad tertium teneri.

Ad quartum Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellae, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem Civitatis, vel Provinciae.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiae, ac Loca Pia, seu illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae, et Loca Pia alios non habent

reditus, quos in nsum earumdem expensarum erogare licite possint, et tunc quam portionem retinebnnt, nnllatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis, ut supra, deductis, absolute tot Missae celebrentnr, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congrnam secundnm morem Civitatis, vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad nonum, debere absolnte integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad decimnm, respondit, non prohibere absolute: ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad undecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribnens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, qno minus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad duodecimum, has poenas non habere locum, nisi in snscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimum tertium, comprehendi.

Ad decimum quartnm, non posse, nisi de consensu eorum, qni eleemosynas tribuunt, ut supra, in responsione ad nndecimum.

Ad decimum quintnm, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimum sextum, nnmeri praefixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimum septimum, esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad decimum octavum, censuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locnm extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sacr. Congr. Secr

k

Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quamplures querelae, et recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujusmodi detestabiles abusus a Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piae disponentium, seu Benefactorum voluntati fides illibata servetur, Defunctorum animabus integra, et prompta praestentur suffragia, itidemque Deo major gloria, et Ecclesiis praestantior cultus reddatur, praevia auctoritate per SS. D. N. Innocentium Divina Providentia PP. XII. ei specialiter attributa, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, et postea in generalis hujusmodi Cardinalium Congregatione mature, et accurate discussa, recognita, et examinata edidit.

In primis praeinserta Decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime, et amplissime approbat, confirmat, et innovat, omniaque, et singula ibidem contenta, et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus, et singulis etiam speciali, et individuali nota, seu expressione dignis penitus observari, et omnimodae executioni demandari decernit, sancit, et praecipit.

Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac majori, ut par est, circumspectione procedatur; si qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, et erroneis intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittunt sub malitiosa, vel irrationabili spe earumdem condonationum, vel reductionem a S. Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica S. Petri de Urbe obtinendi; Congregatio praefata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, et monitos esse voluit, praefatas condonationes, et reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica utente suis facultatibus, et privilegiis, non nisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et praesertim cum illa: *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur*: admitti consuevisse, et solere; quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium, quam praefatarum Missarum usum, seu satisfactionem, et quascumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas, et illicitas, illasque omnino reprobat, damnat, et interdicit.

Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes, et singuli Rectores, Superiores, et Ministri quarumcumque tum Saecularium, tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera, seu Missas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant, utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, et obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, et temporalium litteris perspicuis, et intelligibilibus descriptorum, quorum implemento, si moraliter, et intra praescriptum, sed breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, seu perpetuas, sive temporales, sive manuales per se, vel per interpositas personas quoquomodo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, et ulterius tali casu in eadem Tabella similiter exprimant, se se propterea aliis Missis acceptandis, et celebrandis impares esse.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum, quam istarum adimplementum, et eleemosynas distincte, et diligenter adnotare, et adnotandas, seu adnotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, et oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, et singulas rationes hujusmodi in praefatis respective libris simili distinctione, et diligentia, tam praefati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendae erunt, describere, aut adnotare, sive describendas, vel adnotandas respective curare.

Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares praedicti, omnes, et quascumque eleemosynas tum manualium, tum perpetuarum, et temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo Conventuali deputandum retineantur, ac de iisdem eleemosynis, et celebratione Missarum coram Patribus Discretis, seu Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere, et respective reddere.

Quod si praedicti, ad quos cura Tabellae, capsae, et librorum praefatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint, et Superiores tum Saecularium, tum Regularium Ecclesiarum rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod praefati, qui in curam Tabellarum, et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, satisfaciant, in singulis respective casibus Saeculares poenam suspensio-

nis incurrant, Regulares vero voce activa, et passiva, ac gradibus, et officiis, quae obtinent, ipso facto, et absque alia declaratione privati sint, et intelligantur, nec non ad hujusmodi gradus, et officia obtinenda similiter inhabilitentur, et inhabilitati sint, et intelligantur.

Porro ne ullo unquam tempore omnia, et singula Decreta praedicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum Saecularium illa retineant publice exposita in eorum Sacrario: Superiores vero locales cujuscumque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, et efficere teneantur sub poena privationis officiorum, quae obtinent, vocisque activae, et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque Mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post Octavam Corporis Christi omnes, et singulae praemissae, tum insertae, seu confirmatae, tum in praesens factae Ordinationes una cum dictis declarationibus in publica Mensa perlegantur.

Meminerint igitur, et satagant Ordinarii, ut a personis, et in Ecclesiis quoquomodo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missae ea, qua par est, fide, et diligentia celebrentur, et cuncta, et singula Decreta hujusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio tum in Visitationibus, tum in aliis actibus, et modis, quos expedire, et convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, et singulis Decretis adversetur.

Caveant etiam respective omnes Regulares tum subditi, tum Superiores quicumque nedum locales, sed etiam Provinciales, et Generales, ne Missarum celebratio, et omnium Decretorum praemissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum praejudicio illarum, quibus Missae sunt applicandae, et cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur, alioquin ultra propriae conscientiae onerationem, poenam privationis vocis activae, et passivae, ac graduum, et officiorum, quae obtinent, nec non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, et officia obtinenda prorsus incurrant.

Curent propterea praefati Superiores Regulares in omnes, et singulos contravenientes debitis poenis diligenter, et prompte etiam per inquisitionem animadvertere, et insuper teneantur omnes, et singuli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus Regularis subscriptam, et juratam, quod omnibus, et singulis tum perpetuis, tum

mannalibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, et tenorem praesentium Decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino, et integraliter satisfactum, vel deficiente aliqna modica satisfactione, possit etiam hnjusmodi residuali implemento Missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta, et omnino adimplenda conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales praedicti vocem activam, et passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant.

Praeterea Provinciales, Vicarii, et Visitatores Provinciarum, seu Congregationum debebunt in fiue eorum regimlnis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quod executioni praesentium Decretorum sedulo invigilaverint, et ad eorum tenorem in omnibus, et singulis Conventibus, seu Monasteriis, vel Domibus Regularibus Provinciae, seu Congregationis de omnibus, et singulis oneribus, et obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum exactam, et diligentem rationem exegerint, ac contra delinqnentes ad declarationem, et executionem respective poenarum in Decretis contentarum processerint, et de adimplemento circa ea, quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint; alias ad vocem activam, et passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

Caeterum, qnia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Capellas, Oratoria, et Ecclesias, ac alia loca, et opera pia quomodolibet nuncupata, quae cuicumque curae, seu regimini, aut administrationi, vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis, et praeeminentiae etiam speciali, et individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumqne Ecclesiasticorum, et Laicorum hujusmodi mixtim commendata, adnexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive Manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; Hinc, salvis semper iis, quae in praeinsertis Decretis continentur, omnes, et quicumque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum, et Ecclesiarum, ac aliorum locorum, et operum piorum Rectores, seu Administratores, vel Directores, et alii hujusmodi Officiales, necnon ii, ad qnos cura Tabellae, et librorum in praemissis spectat, Tabellam, libros, et haec Decreta respective juxta modos superius expressos similiter retinere, nec non de oneribus, et celebrationibus, et eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, et respective iis, ad quos pertinet, reddere sub poenis arbitrio, et in subsidium excommunicationis teneantur.

Postremo omnibus, et quibuscumque, tam Ecclesiasticis personis cujuscumque Ordinis, status, gradus, Regulae, Congregationis, Societatis, conditionis, et dignitatis existant, quam Laicis quocumque honore, ac potestate praeditis omnia, et singula praemissa Decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis praedictis poenas in hujusmodi Decretis relaxandi, seu quoquomodo circa praemissa dispensandi, omnis, et quaecumque facultas sit penitus interdicta.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia, et singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium . . . . . . ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario, et individue exprimendi . . . . quibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suae auctoritate specialiter, et expresse derogat, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 23. Novembris 1697.

Joseph Card. Sacripantes Praefectus.

Ferdinandus Nuptius Sacr. Congr. Secr.

Quocirca, cum Dilectus Filius Noster Joseph Tit. Sanctae Mariae Transpontinae S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratae Congregationis Praefectus, praefata Decreta nobis retulerit: Nos considerantes eadem omnia, et singula Decreta, ea, qua decet, maturitate digesta, et examinata, ac in vim Apostolicae auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ut praefertur, attributae peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo, et inviolabiliter observari, nec non Constitutionis Nostrae munimine roborare volentes, Motu proprio, non ad cujuspiam Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine praeinserta Decreta, omniaque, et singula in eis contenta tenore praesentium auctoritate Apostolica confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis, et irrefragabilis Apostolicae firmitatis robur, et efficaciam adjicimus, quinimo motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, omnia, et singula in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, et ordinamus, ac ab omnibus, et quibuscumque, etiam speciali, et individua nota dignis, omnino exacte, et perpetuo servari volumus, sancimus, et mandamus.

Decernentes praesentes literas, cum omnibus, et singulis inibi contentis semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque, et quomodocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiliter observari, sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, quavis auctoritate, praeeminentia, aut potestate fungentes, et functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus semper his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus, et singulis, quae praefata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII., et respective per Nos illi specialiter attributa, decrevit non obstare, quae pariter, et iterum Nos tenore praesentium non obstare decernimus, et mandamus, quibus omnibus quo ad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, etiam harum serie plenissime, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentes literae in valvis Ecclesiae Lateranensis, ac Basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur, et affigantur, sicque publicatae, et affixae, omnes, et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent.

Pariterque, ut earundem praesentium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrarum Confirmationis, approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, et Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1697. Decimo Kal. Januarii. Pontificatus Nostri anno septimo.

J. F. Card. Albanus. B. Cardinalis Prodat.

I. Cattallus.

X.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV. qua mercimonia super eleemosynis Missarum vetantur sub poena censurarum, quarum absolutio Summo Pontifici reservatur.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV. salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae Sacrificium non solum omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunae, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex Catholicae Fidei cultoribus, qui ignoret.

§. 1. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri moerore undique accepimus, nonnullorum sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum virorum avaritia, quae est Idolorum servitus, ut eleemosynas quidem, seu stipendia propter Missarum celebrationem, juxta locorum consuetudines, vel Dioecesanarum Synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus praescripta colligant; Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynae, seu stipendia, vel consuetudine, vel Synodali lege pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur.

§. 2. Id quam absonum sit, atque alienum ab ipsa sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis, et pietatis stimulis ductus eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis, a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiae suspicione, et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni

subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant.

§. 3. Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Praedecessores Nostri, de consilio tum Congregationis S.R.E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote, stipendio, seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri Sacerdoti, Missam hujusmodi celebraturo, stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti, et consentienti se majoris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset.

§. 4. Ea propter vos, Venerabiles Fratres, in Apostolici Ministerii, et sollicitudinis Nostrae partem adscitos, rogamus, et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super Gregibus vestris enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tanquam a radice, mala omnia germinant, quam quidam appetentes erraverunt a Fide, et inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quae conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis, perfectionisque opinionem magis inficiat, evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire Mammonae docens, efficit, ut avari haereditatem non habeant in Regno Christi, et Dei. Quod si haec in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in Ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium remiserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per Altaris ministerium, tam sordide, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum Sacerdotalis caracteris dedecore in avaritiam praecipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut verbo, et exemplo praeeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam ut Ecclesiasticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum avertentes, per viam mandatorum Dei ad Coeleste Ovile currere doceatis.

§. 5. Quoniam autem ita comparatum est, ut praesentis poenae metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in vestris Dioecesibus proponendum, affigendumque universis notum facite, quemcumque, qui eleemosynas, seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive

alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem, seu Saecularem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, Clericum vero, sive quemcumque Sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per Nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suae, posthac bene consultum velit animae suae, nec tam salutares leges, censurasque Ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem in Populos etiam curae vestrae commissos redundaturam peramanter impertimur.

§. *6.* Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 30. mensis Junii, anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

XI.

REGULAE SERVANDAE QUOAD MISSAE INTERRUPTIONEM.

Inchoatum Missae Sacrificium absolvendum omnino esse, explorati juris est. Hinc Can. *Nullus. de consecrat. dist.* 1. suspensio edicitur in Sacerdotem, qui ante consecrationem ab Altari recedat: et Can. *Nihil. 7. Qu.* 1. excommunicatione punitur, qui consecratione peracta audeat a Sacrificio cessare.

Extant tamen graviores causae, quibus vel ex necessitate, vel ex prudenti consilio Sacrum ipsum vel dimittitur, vel interrumpitur. Tales sunt:

1. Si Sacerdos gravi morbo ex improviso corripiatur, aut moriatur:

2. Si violetur Ecclesia, vel incursus urgeat Hostium, vel alluvionis, aut ruina loci, aut aliud quidpiam id genus tale inopinato succedat;

3. Si quis anathematis poena publice damnatus, vel notus Clerici percussor in Templo adsit, et inde egredi pervicaciter detrectet:

4. Si Sacro in navi inchoato ob exortam tempestatem Calicis casus impendeat.

Praetermittitur enim hisce causis Missa, si eae ante consecrationem obvenerint. Si vero post consecrationem vel Corporis tantum, vel Sanguinis etiam, Missam Sacerdos illico conficiat sumpto Sacramento, ceteraque omittat; vel si Celebrans id peragendo non sit, Missa per alium expleatur ab eo loco, ubi alter desiit, et quatenus opus sit, etiam per non jejunum.

Si quis se non esse jejunum jam ad aram operans meminerit, vel peccato lethali, aut ecclesiastica censura constrictum se recordetur, Sacrum perficiat, si id novit post consecrationem, intimo excitato animae dolore, ac proposito obfirmato petendi, ubi primum liceat, absolutionem: ante consecrationem, si non timetur scandalum, ab altari recedat.

Concio post Evangelium rite habetur, vel publice ad Populum rei cujuspiam indictio.

Item puero in discrimen vitae perducto Baptismus, tum infirmo jam jam morituro Poenitentiae sacramentum, vel si confiteri is nequeat, extrema Unctio rite administratur, interrupto Sacro, ubi ex mora periculum immineat.

Plura de hoc argumento in Rubricis Missalis, et in opere Benedicti XIV. de Sacrificio Missae, ac apud Theologiae scriptores perlegenda occurrunt, quae Sacerdotibus scitu necessaria sunt.

XII.

ISTRUZIONE SOPRA LA ESPOSIZIONE DEL SANTISSIMO SACRAMENTO.

ALESSANDRO ec.

Quell' Opera, che in bontà, e in vaghezza le opere tutte oltrepassa dell' Altissimo: quell' Opera, cui altra non può formare più grande, più eccelsa, più singolare nè la onnipotenza, nè la sapienza, nè la ricchezza infinita di Dio: quel Frumento, vale a dire, degli Eletti, e quel Vino, che germina la verginità sacra dell' anima pura (1): il SACRAMENTO Augusto dell' Altare; è l' oggetto divino, sul quale occupiamo volontieri tutta la pastorale nostra sollecitudine. Noi non indrizziamo al presente la nostra voce a rammentare sul me-

(1) *Zach.* 9. 17.

desimo quelle sacre regole, che le leggi adorabili della Chiesa dettarono, e i sentimenti divoti di una Fede parlante sanno ispirare, e le pie pratiche di una Religione divina somministrano per riceverlo nella sacramentale Comunione. I nostri illustri Cooperatori, a cui è affidato l'insegnamento della divina parola, e il ministero de' Santi Sacramenti, non lasceranno di ammaestrare su di questo i Fedeli, onde con i sentimenti d'un cuore penetrato dalla propria indegnità nel timore, e tremore, misto con quella speranza, che anima la vera carità, aventi in dosso la nuzial veste della Grazia, degnamente si presentino nel celestiale convito a pascersi dell' AGNELLO immacolato. Ricordinsi essi, che mai rinverranno un soggetto, che più di questo richieda il loro zelo, e che più possa interessarne tutto l'impegno non solo per la sua divinità, ma per la serie altresì degl' ineffabili effetti multiplici, che quasi emissioni di Paradiso a guisa delle acque salutevoli, che scorrono dal Libano, da esso traggono la loro sorgente.

Noi non parleremo nè anche di questo Sacramento Augusto sotto il riflesso di Sacrificio. Pieni della più lusinghiera prevenzione pel nostro Clero, che il nostro gaudio costituisce, e la nostra festevole corona, crederemmo fare ingiuria alla di lui pietà, se c'intertenessimo a ricordargli il fervore, la compostezza, la gravità, la modestia, con cui debbonsi adempire i divini Misterj. Memori, che sull' esempio del Sacerdote Eterno santi eglino esser debbono, innocenti, impolluti, segregati dal resto del Popolo, trattino santamente le cose sante, e immolino la Vittima santissima della nuova Alleanza con quello spirito, con cui la offerse cruentemente nel Calvario Quegli istesso, che fu ad un tempo Sacerdote, Ostia, ed Altare.

Del Sacramento noi vogliamo parlare in quanto alla pubblica venerazione si espone del Cristiano Popolo, giacchè in così veneranda funzione a noi appartiene impedire qualunque abuso, che il tarlo del tempo corrompitore, e l'infreddamento della cristiana pietà, e le idee imperfette di non soda religione abbiano potuto introdurvi. Nulla diremo sulla origine di così pio Esercizio, di cui comechè alcuni egregj Scrittori deducano l'epoca dall' uso delle Processioni col Sacramento introdotte dopo il notissimo prodigio di Bolsena sotto Urbano IV. altri però più antico ne suppongono il principio, e Cristiano Lupo si divisa di rinvenirne un monumento in ciò che narrasi di S. Chiara (2). Noi lasciamo, che gli Eruditi ne faccino argomento delle dotte loro ricerhe, e ad

(2) *Diss. de Sacr. Process. Cap. 9. Il dotto Thiers ha pubblicato un' opera interessante su questo oggetto.*

essi rimettiamo ben volentieri quelli, che bramino di esserne istruiti (3).

Vindici bensì di quanto con sacra economia la Chiesa ha determinato su tale soggetto, ci limiteremo a richiamare alla osservanza le generali, e particolari providenze, che con reiterati decreti delle Sacre Congregazioni, e colla nota Costituzione di Clemente XII. e con altre Pontificie sanzioni vennero prescritte sul medesimo; onde e la Gloria maggiore di Dio se ne ritragga, e la più sicura santificazione delle anime.

I. Rammentiamo quindi in prima, che per canoniche disposizioni non può farsi esposizione pubblica dell' Augustissimo Sacramento nè anche nelle Chiese de' Regolari senza la nostra espressa licenza (4), spettando agli Ordinarj, giusta il Concilio Tridentino il provedere, e l' invigilare su tutto quello, che nelrispettive Diocesi appartiene al Culto Divino (5).

II. Dipenderà dalli Superiori delle Chiese la privata esposizione del Sacramento, la quale cioè si faccia o con aprire semplicemente il Ciborio, ove si conserva la Sacra Pisside, ovvero con porre sotto il Baldacchino l' Ostensorio col Sacramento ricoperto con un velo, che impedisca di vederlo.

III. Durante la esposizione solenne del Sacramento non ardano meno di quattordici lumi: i quali non potranno essere meno di sei, allorchè privatamente esso si esponga col semplicemente tenere aperto il Ciborio, nè meno di dodici, se si esponga, sebbene velato sotto il Baldacchino (6).

IV. Finchè il Sacramento sarà esposto, siavi ad adorarlo un Sacerdote, o almeno un Cherico con cotta sull' ultimo gradino dell' Altare in luogo separato, onde conoscasi, che è ivi pel Popolo a tributare pubblico omaggio di venerazione al medesimo. *Dum illud (Sacramentum Augustum) in Altari propositum est interdiu, Clerici duo Superpelliceis induti capite aperto ad Altare semper assistant*: così dispose l' illustre Arcivescovo di Milano S. Carlo (7). Il nostro Capitolo della Cattedrale, e quelli altresì delle Collegiate sieno i primi a dare questa pubblica testimonianza di loro singolar divozione: si faccia perciò nella circostanza di solenne esposizione una tabella nelle Sagrestie, in cui si notino le ore assegnate per l' adorazione con i nomi di quelli, che vi si preste-

(3) *Bened. XIV. tratta di questa materia nella sua Instit. Eccl.* 30.

(4) *S.C.C. Neapolitana*. 28. *Febr.* 1654 ... 14. *Ap.* 1674 ... *Bened. XIV. citata Instit... et Brasch. Promptuar. Synodal. cap.* 29. *n.* 3.

(5) *Sess.* 21. *Cap.* 8. *de Ref.*

(6) *Ben. XIV. Inst. cit.* §. 21. 23.

(7) *Acta Eccl.Med.Tom.* 1. *pag.* 249.

ranno. *Videant Canonici*, diremo col lodato Pontefice Benedetto XIV. (8) *ut reliquis exemplo praesint, eorumque nomina in tabellam referantur*. Questa legge comprenderà anche i Regolari. Le Confraternite uniscansi in questo divoto officio, nè mai oltre la persona Ecclesiastica sovraindicata manchino due Fratelli almeno con Sacco, che in luogo distinto fuori del Presbiterio vi facciano corona insieme cogli Angeli, che la Fede ci addita intorno al Divin Sacramento (9).

V. Nell'Altare, ove si fa la solenne esposizione, ad eccezione degli Angeli non si appongano sacre Reliquie, Imagini, o Statue di Santi, o figure di Anime purganti.

VI. Si pongano degli ornati di festoni anche nelle strade, onde si conosca esservi nella vicina Chiesa la Esposizione, e col festivo suono delle campane si invitino i Fedeli a concorrervi.

VII. Nelle Chiese, ove è esposto il Sacramento, si aggiunga nelle Messe anche private l' orazione del Sacramento, nè si suoni il campanello alla Elevazione. Non vi si celebrino Messe di Requie, e potendovisi celebrare secondo la Rubrica la Messa Votiva del Santissimo, sia questa al solito senza Gloria, e Credo. Si eviti di celebrare altra Messa, fuori delle solenni per l'Esposizione, e Reposizione nell' Altare, ove è esposto il Sacramento. Sull' apporvi la imagine del Crocifisso per la Messa si attenda alla consuetudine del luogo.

VIII. Il Velo umerale, ed il Pallio dell'Altare, e il Baldacchino Processionale saranno sempre di colore Bianco: ma se la Esposizione si farà dopo la Messa, pel Piviale si continuerà col colore de' Paramenti, che in quella siasi usato.

IX. Alla Processione per la Esposizione, e Reposizione intervengano le Confraternite, e il Clero addetto alla Chiesa, ove quella si fa. Le Litanie de' Santi, il *Pange Lingua* colle Orazioni corrispondenti si canteranno in tali funzioni.

X. In tempo della Esposizione non si facciano Sermoni, che al più dopo i Vesperi, previa la nostra licenza, e questi riguardino il Sacramento istesso; e si collochi l' Oratore in luogo tale, che non abbiano a stare gli Ascoltanti in posizione poco decente, o di irriverenza al Sacramento. Sia egli almeno nell' Ordine Diaconale, e sebbene Regolare, porti la Cotta, ma senza Stola, e resti col capo scoperto (10).

XI. Facendosi officiatura avanti l' Altare, ove è il Sacramento esposto, può

(8) *Loc. cit.* §. 20.

(9) *Editto del Card. Vic. sotto Clem. XII.* §. 7... *Ben. XIV. loc. cit.* §. 20.

(10) *Edit. cit.* §. 24.

il Clero sedere secondo il consueto, ma bensì senza mai cuoprire il capo (11). Si tralascino le solite riverenze al Clero, o ad altri, a cui quelle si dovrebbero.

XII. Chiunque o vada, o parta, o passi avanti l' Altare, vi faccia la genuflessione con ambe le ginocchia. Il Sacerdote, che sia in abiti sacri con in mano il Calice, dopo fatta la genuflessione scuopra il capo, e lo ricuopra prima di alzarsi (12).

Sono queste in compendio le regole, che vogliamo onninamente osservate nelle nostre Città, e Diocesi per le Esposizioni del Santissimo Sacramento. E' quì però, che spinti dalla istanza nostra quotidiana, e dallo zelo divoratore pel divin culto, a cui il nostro Ministero ci astringe, ci dilatiamo con trasporto ne'più teneri eccitamenti, onde non col solo esteriore apparato, o col solo materiale adempimento delle venerande Liturgie, o con una fredda assistenza della persona si creda onorare quel Sacramentato Signore, innanzi cui ogni umana grandezza è un nulla miserabile. Tremendo è Egli, e così il vide l'Estatico di Patmos, avente la spada vendicatrice a punizione degli empj: ma è altresì quell' Agnello, che siede nel trono di Misericordia, ove a nostro bene tutta Egli occulta la Maestà divina, anzi quella Umanità ancora, che specioso il rendea fra i figli tutti degli uomini (13).

Sia dunque con fiducia il nostro accesso a questo Dio nascosto, che lasciando una memoria immanchevole delle meraviglie dell' amor suo, noi attende per ricolmarci delle benedizioni di dolcezza. Sia frequente, e più che le circostanze particolari il permettano, assiduo il concorso, onde non abbiasi Egli a querelare giustamente, che i Figli, e i Fratelli il lascino abbandonato, e lungi di attingere con gaudio ai suoi fonti salutevoli acqua saliente alla vita eterna, forminsi cisterne dissipate, che mal contengano le acque. La carità guidata dalla fede, che mai vien meno, tutti conduca a sì sacro oggetto, e quando fra lo splendore de' lumi, e l'olezzante profumo de' timiami è esposto nelle nostre Chiese, e quando per via si conduce a conforto degl' infermi, acciò da esso avvalorati al viaggio si dispongano della eternità, e quando, come già in figura nell' Arca antica, a noi presentasi da mano Sacerdotale per benedirci a distruzione di que' nemici, che tentano di farci loro preda infelice. I tesori delle Indulgenze concesse dai Sommi Pontefici a chi accorre a tali funzioni, le

(11) *Coerem. Ep. Lib. 2. Cap. 33.*

(12) *S. R. C. Urbis 7. Septembr.* 1638... 19. *Aug.* 1659.

(13) *S. Thomas in Rythmo ad S. Euch.* *Si inculca altamente la recita frequente di questo Inno, in cui ammirasi la pietà, e la dottrina dell' Angelico Autore.*

ineffabili grazie, che ne ridonderanno sopra noi all' ombra benefica di Quello, che solo può appagare il nostro spirito, e il compenso in fine, che con ciò procureremo a riparazione degli oltraggi, che anime sozze gli commettono, sieno altri incentivi alla comune pietà, acciò dopo avere in vita onorato GESU' velato nel divin Sacramento, lieti il sosteniamo nostro Giudice, siccome nel di lui CUORE santissimo colla mediazione della MADRE adorata DEL SANTO AMORE auguriamo a tutti colla Pastorale Benedizione.

Dato in Roma dal nostro Palazzo 30. Novembre 1815.

ALESSANDRO CARD. VESCOVO.

Sebastiano Lazzarini Seg.

XIII.

INNOVANTUR

Poenae adversus Confessarios, qui Poenitentes ad turpia sollicitant, cum praecepto hujusmodi denuntiandi, et reservatione absolutionis quoad Calumniatores. Adimitur praeterea Sacerdotibus facultas Sacramentum Poenitentiae administrandi complicibus in peccato contra castitatem, cum poenis ec.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Sacramentum Poenitentiae, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad universi Dominici Gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, et Pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam Baptismi innocentiam datum est Divina benignitate perfugium, per Daemonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; et quod in salutem, et curationem animarum a Deo, qui Dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§. 1. Dudum quidem a fel. record. Gregorio Papa XV. Praedecessore Nostro

per suas literas in forma Brevium sub datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 30. Augusti 1622. Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos, ad turpia, et inhonesta sollicitantes; et deinceps successivis temporibus, ad earum literarum interpretatationem, ac declarationem, plura subinde a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum sub die 11. *mensis* Februarii Anno Domini 1661. prodierunt Decreta, et a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Praedecessore Nostro in Congregatione Generali Sanctae Romanae Universalis Inquisitionis die 24. Septembris 1665. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, et Sanctorum Patrum doctrina alienas, et dissonas propositiones, sexta videlicet, et septima, huc revocandae, damnatae, et prohibitae fuerunt. Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti sit ad aeternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem Sanctae Ecclesiae Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes Poenitentiae Sacramento nefarie abutentes, Poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino Praesides, et Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quae sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, praefatas literas hujusmodi, ac omnia, et singula Decreta praedicta ad illarum interpretationem, et declarationem emanata Apostolica Auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus: atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, et mandamus omnibus haereticae pravitatis Inquisitoribus, et Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et Locorum universi Orbis Christiani, in suis respective Dioecesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, et procedant contra omnes, et singulos Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum, et cujuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis Privilegio, et Indulto munitos, qui aliquem Poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediatae post Confessionem, vel occasione, aut praetextu Confessionis, in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare,

sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint: et, quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis severe animadvertant per condignas poenas, juxta memoratam Gregorii Praedecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et Ecclesiae Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam alias in praefata Constitutione tributam procedendi cum Testibus etiam singularibus, et dummodo praesumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.

§. 2. Meminerint praeterea omnes, et singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos Poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis praedictis personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, et Poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne Poenitentibus, quos noverint jam ab alios sollicitatos, Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei Judicio posthabito, et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur, quaecumque persona, quae execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis Privilegio, auctoritate, et dignitate munito, praeterquam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitae, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis, et Successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat.

§. 4. Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii, et Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et Sacramentorum contemptum, et Ecclesiae injuriam longe submovere, et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Daemonis potius, quam Dei Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt; nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura Sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, et singulis Sacerdotibus, tam Saecularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, et quovis Privilegio, et Indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica, et Nostrae potestatis plenitudine interdicimus, et prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis; nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personae complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has Nostras adimere intendimus; et nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§. 5. Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur *Cruciatae Sanctae*, aut alterius cujuslibet Indulti Confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri, cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, et Poenitentis genere jurisdictione, ut praefertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, et approbato. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, praesertim, quae nuncupantur *Cruciatae Sanctae*, vel Jubilaei Universalis, et plena-

m 2

rii, nec non quibusvis Ecclesiarum, et Monasteriorum, Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Constitutionibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et Decretis, etiam Motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis; Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus demum, ac praecipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam praesentes, quam futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessariorum, tam praedictam Constitutionem Gregorii Praedecessoris, quam praesentem hanc Nostram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, et accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, et Dispensatores Mysteriorum Dei memores praeterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque Aeterni Sacerdotis, qui Sanctus, Innocens, Impollutus per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo Viventi: sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quaerentibus, et pulsantibus eorum culpa Coelum claudatur; ne deperditae Oves, ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandae tradantur, ne prodigi filii egentes, et saucii ad coelestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§. 7. Ut autem praesentes Litterae ad omnium notitiam facilius deveniant ec. Nulli ergo omnino hominum liceat ec.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno I.

X. Sub-Datarius. *Pro D. Card. Passioneo.* *Cajetanus Amatus.*
Visa de Curia N. Antonellus. J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die xvij. ejusdem Mensis, et Anni.

XIV.

DECLARATIO

Super Constitutione, quae incipit: *Sacramentum Poenitentiae*, adversus sollicitantes anno MDCCXLI. edita.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolici muneris partes in procuranda praecipue rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo et assiduis hortationibus, et justa, ubi res postulat, Legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam Leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non praetermittimus.

§. 1. Sane cum Nos alias per quamdam Nostram Constitutionem, cujus initium est: *Sacramentum Poenitentiae*, Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo Kalendis Junii Pontificatus Nostri Anno Primo editam, omnibus, et singulis Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus interdixerimus, et prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personae complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi praeceptum commisso, excipere anderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, et facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, et alias, prout in memorata Constitutione, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictae Constitutionis parte, quae mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem

privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne Lex incertis conjecturis, et opinionibus jactata, in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur.

§. 2. Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem Nostram cum omnibus, et singulis in ea contentis, tenore praesentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus, et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari praecipimus, et mandamus. Praeterea habita super his cum Venerabili Fratre Nostro Vincentio Episcopo Praenestino S.R.E. Cardinali Petra nuncupato Poenitentiario Nostro Majori, ac dilectis Filiis Officii Poenitentiariae Apostolicae Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpenderunt, deliberatione; Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita interdici re ipsa, et prohiberi praedicto modo tunc audire, et absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiam si forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere, ac absolutionem impertiri.

§. 3. Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae Confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem Poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, et serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam Nostram Constitutionem inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: imo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis absque ullius infamia, vel scandalo audiendae. Ita enim ipsum teneri

vigore memoratae Nostrae Constitutionis declaramus; et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, et praecipimus.

§. 4. Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiae, vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut praefertur, constitutae Sacramentalem Confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit; quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte Poenitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Poenitentiae valorem requisitae non defuerint; (non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat) nihilominus Sacerdos ipse violatae ausu ejusmodi temerario Legis poenas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, et huic Sanctae Sedi reservatam incurrat, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in praefata Nostra Constitutione voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur, ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Februarii 1745. Pontificatus Nostri Anno quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

XV.

CONFIRMATIO, ET AMPLIATIO

Constitutionis Pii IV. editae contra Sacerdotes in Confessionibus Sacramentalibus Poenitentes ad turpia sollicitantes.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Universi Dominici gregis curam quamquam immeriti coelesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta Nos admonent, sale infatuato, non sit, in quo saliatur, et ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

§. 1. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus, sacrosancto Poenitentiae Sacramento, sollicitando poenitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex coelesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur, idcirco Nos ea, quae his perniciosissimis Diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.

§. 2. Alias siquidem a fel. record. Pio Papa IV. Praedecessore Nostro emanarunt literae tenoris subsequentis, videlicet. Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalen. in Regnis Hispaniarum haereticae pravitatis Inquisitori Generali.

Cum sicut nuper ec.

§. 3. Igitur ut literae praedictae perpetuis futuris temporibus, et ubique locorum inviolabiliter observentur, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum, praeinser-

tas literas hujusmodi, ac omnia, et singula in eis contenta, Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, illasque non solum in praedictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusvis Christiani orbis partibus firmiter, et inviolabiliter observari praecipimus, et mandamus.

§. 4. Ac praeterea ne in futurum de poena his delinquentibus imponenda, et de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, et declaramus, quod omnes, et singuli Sacerdotes tam Saeculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum Regulares, cujuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis, in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctae Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et praeterea omnes haereticae pravitatis Inquisitores, et locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et locorum universi Orbis Christiani in suis quemque Dioecesibus, et Territoriis per has Nostras Literas, etiam privative quoad omnes alios specieliter, ac perpetuo Judices delegamus, ut super his contra praedictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, Privilegia, consuetudines, et Decreta diligenter inquirant, et procedant; et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, et Officiorum quorumcumque, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae, et passivae, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, et carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiae, aliasque poenas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores poenas meruerint, debita praecedente degradatione, curiae saeculari puniendos tradant.

§. 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, et Ecclesiae Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impu-

n

nitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus praesumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis, delictum probatum esse, arbitrio suo judicandi, et curiae saeculari reum tradendum esse, pronunciandi.

§. 6. Non obstantibus omnibus, quae dictus Praedecessor in suis literis praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut praefertur, tractantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis praedictis; quod si hoc officium praetermiserint, vel Poenitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra; iidem locorum Ordinarii, et Inquisitores illos pro modo culpae punire non negligant.

§. 8. Volumus autem ec.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti M.DCXXII., Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XVI.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV. qua Confessarii vetantur exquirere a Poenitentibus complicum nomina.

Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, et divina Jesu Christi omnium Pastorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, Charitas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostrae universi Dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes Christiani Orbis Populos, ac Nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus . . . . Pervenit enim haud ita pridem ad aures Nostras, nonnullos . . . . . . Confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quandam, et perniciosam praxim in audiendis Christifidelium Confessionibus, et in saluberrimo Poenitentiae Sacramento administrando invehere, atque introducere caepisse; ut videlicet, si forte in Poenitentem incidissent socium criminis habentem, ab iisdem Poenitentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolu-

tionis Sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent; immo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandae complicis correctionis,, aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, vel emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi, vel falsas, et erroneas sequendo, vel veras, et sanas male applicando, perniciem tam suis, quam Poenitentium animabus consciscerent; ac sese praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile consecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo aeterno Judice constituerent. Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est; nec fieri potuit, quin ea de causa, et oblocutiones, et scandala, et non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta sint ..... Nos autem ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico Nostro ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re Nostram apud Vos obscuram, aut ambiguam esse sinamus, notum Vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a Nobis per praesentes Nostras in forma Brevis Literas reprobari, atque damnari, tanquam scandalosam, et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo, et necessario usu Fideles abalienantem. Ea propter, Venerabiles Fratres, quamquam de Pastorali vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus; Supremi tamen officii quoque Nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis Nostrae aperta significatione, et Apostolicis insuper hortationibus Nostris intensius acuere, et excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascunque prudentia suggesserit, initis rationibus, et efficacioribus quibusque Juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis; neque patiamini traditis curae vestrae ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque Divinae Misericordiae fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas, dealbandasque in Sanguine suo animas amantissime invitantur. Interea dum a zelo vestro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur vestrae pietatis, et observantiae argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrima coelestium charismatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem ec.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Mensis Julii MDCCXLV., Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Extat alia Constitutio ejusdem Benedicti XIV., qua confirmantur litterae Suprema *jam editae, et statuuntur poenae tum adversus omnes, et singulos docentes, licitam esse praxim exquirendi a Poenitentibus nomina sociorum, et complicum criminis, tum adversus Confessarios, qui in Tribunali Poenitentiae interrogare praesumant de nomine socii, seu complicis, et Poenitenti, si manifestare renuerit, Sacramentalem absolutionem denegare; et praefinitur ordo providendi in hujusmodi caussis: incipit haec Constitutio:* Ubi primum de perversa.

Extat in hanc rem tertia ejusdem Pontificis Constitutio, qua eaedem litterae incip. Suprema, *et* Ubi primum *confirmantur, ampliantur, et extenduntur ad Urbem, et Orbem: incipit haec Constitutio* Ad eradicandum pravum.

XVII.

CANONES POENITENTIALES

Praecipui ex variis Conciliis, et Libris poenitentiariis collecti
Contra peccantes in Praecepta Decalogi.

Contra Primum.

Qui auguriis, et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, poenitens erit annos septem.

Qui cum Judaeo cibum sumpserit, poenitens erit dies decem, pane, et aqua victitans.

Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, poenitens erit annos duos per legitimas ferias.

Contra Secundum.

Quicumque scienter pejeraverit, quadraginta des in pane, et aqua, et septem sequentes annos poeniteat, et nunquam sit sine poenitentia, et nunquam in testimonium recipiatur, et post haec Communionem percipiat.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, prae foribus Ecclesiae diebus Dominicis septem in manifesto, dum Missarum Solemnia aguntur, stet, ultimoque ex illis die sine pallio, et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque praecedentibus feriis

sextis in pane, et aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus; et singulis item septem illis diebus Dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; alioquin alia poenitentia afficiatur.

Contra Tertium.

Qui opus alioquin servile die Dominico, festove fecerit, poenitentiam aget tres dies in pane, et aqua.

Si quis ante Ecclesias, vel die festo saltationes (quas ballationes vocant) fecerint, emendationem pollicitus, poenitentiam aget annis tribus. *In graeco codice:* Clericus deponatur, Laicus excommunicetur.

Si quis in Ecclesia confabuletur, cum Divina fiunt, poenitens erit dies decem in pane, et aqua.

Si quis jejunia a Sancta Ecclesia indicta violarit, poenitentiam aget dies viginti in pane, et aqua.

In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Paschate non communicet, et praeterea a carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno quoque die poenitentiam aget dies septem.

Contra Quartum.

Qui Parentes injuria affecerit, tres annos; qui percusserit, annos septem poenitentiam aget.

Si quis contra Episcopum Pastorem, et Patrem suum insurrexerit, uno in loco, Monasteriove poenitentiam aget omnibus diebus vitae suae. Addit Gratianus, ut in primis omnia bona ejus proscriptione publicentur, deinde in uno Monasterio, ec.

Eadem poenitentia afficiatur qui contra Presbyterum.

Si quis in eo conspiravit, ut Episcopi doctrinam, vel praecepta irrideat, vel subsannet, aget in pane, et aqua dies quadraginta poenitentiam.

Si quis item Presbyteri, Parochive sui praecepta irriserit, poenitens item erit dies quadraginta in pane, et aqua.

Contra Quintum.

Si qua mulier sponte abortum fecerit, poenitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos poeniteat, unum in pane, et aqua.

Cujus filius sine Confirmationis Sacramento moritur, Parentes, quorum negligentia id factum est, poenitentiam ageut annos tres.

Si quis sponte hominem occiderit, ad januam Ecclesiae semper erit, et in obitu Communionem recipiat.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, ut homicida, poenitentia afficietur.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum praeciderit, poenitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

Si quis ictum Proximo dederit, nec nocuerit, tridui poenitentiam aget in pane, et aqua: Clericus, unius anni, et mensium sex.

Si quis Fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane, et aqua poenitentiam aget, quoad reconcilietur.

Qui nolens filium oppresserit, si post Baptismum, poenitentiam aget dies quadraginta in pane, aqua, oleribus, ac leguminibus; abstinebit ab uxore dies totidem; deinde poenitens erit tres annos per legitimas ferias: tres praeterea quadragesimas in anno observabit. Si ante Baptismum, quadraginta dies, ut supra, et quinquennii praeterea poenitentiam explebit.

Si quis explendae causa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non posset generare, aut concipere, homicida teneatur.

Contra Sextum.

Si Laicus solutus cum foemina soluta concubuerit, poenitens erit annos tres, et quanto saepius, tanto majóri poenitentia afficietur.

Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, poenitentia afficietur decennali, ille quinquennali.

Qui incestum fecerit, ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem constituunt poenitentiam.

Qui cum brutis coiverit, poenitentia afficietur annorum decem, et diuturniori etiam pro personae conditione.

Qui complexu foeminae, vel osculo polluitur, poenitentiam aget dies triginta: qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, dies decem poenitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec vero peccare voluit,

poenitentiam aget dies viginti; si vero impugnatione tentationis, et cogitationis inquinatur, poenitebit item dies viginti.

Si quae mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, poenitentia afficietur annorum trium.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit, poenitentiam aget dies quadraginta in pane, et aqua, et septem praeterea annos, e quibus unum in pane item, et aqua.

Si quis conjugem fornicari consenserit, diebus omnibus vitae in poenitentia erit arbitrio Sacerdotis periti.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, poenitentiam aget annos septem, mulier quinque.

Si quis maritus semel lapsus est, poenitentiam aget annos quinque.

Maritus, si ancilla concubina utitur, poenitentiam aget annum unum, quadragesimas tres, et legitimas ferias tribus mensibus. Illa, si invita violatur, quadraginta dies; si consentiens, quadragesimas tres, et legitimas ferias.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, poenitentiam aget annum unum.

Quicumque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet, et perpetuam poenitentiam aget.

Qui item Sacerdos hoc facinus admiserit, omni munere suae functionis mulctatus, poenitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim, deinde in Monasterium abiens toto vitae tempore ibi Deo serviet. Foemina autem res suas in eleemosynam pauperibus conferet, in Monasterioque Deo serviet omnibus vitae suae diebus.

Qui Monialem violarit, poenitens sit annis decem.

Presbyter si fornicationem admiserit, sponte confessus, poenitentiam aget annos decem hoc modo: Tribus mensibus a caeteris remotus pane, et aqua jejunabit, diebus autem festis modico vino, pisciculis, et legumine utetur, sacco indutus humi cubabit, diu noctuque Misericordiam Dei implorans. Deinde unum annum, et sex menses in poenitentia, jejunioque panis, et aquae explebit, praeter festos dies, in quibus vino, et sagimine, caseo, ovisque canonice uti poterit. Finito primo anno, et dimidio, sacrae Communionis particeps fiet, Psalmos in Choro ultimus canet, Officia minora geret. Postea verò quam septimum poenitentiae annum expleverit, omni quidem tempore, praeter Paschales dies, singulis hebdomadis per legitimas ferias in pane, et aqua jejunabit. Expleto septennio, usque ad finem decimi anni sextam feriam in pane, et aqua jejunabit.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, poenitentia afficietur duorum an-

norum. Vir se inquinans, primò dies decem; si iterum, dies viginti; si tertiò, dies triginta; sique nefarie agere perget, poenitentiae accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta; si major quindecim annis, dies centum.

Quicumque lenocinium exercuerit, poenitentiam aget annos duos per legitimas ferias.

Qui hoc facinus admiserit, Sacram Communionem non accipiet, nisi in fine.

Contra Septimum.

Qui Decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, et poenitentiam aget dies viginti in pane, et aqua.

Qui furatus est aliquid de Ecclesiae suppellectili, vel thesauro, quod sustulit, reddet, et tres carinas cum septem sequentibus annis poenitebit.

Qui de oblationibus, quae Ecclesiis factae sunt, aliquid retinuerit, poenitens erit dies quadraginta in pane, et aqua.

Qui Hospitalis domus administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet, quod abstulit, poenitensque erit annos tres.

Clericus furtum capitale faciens, septennii poenitentiam explebit, Laicus quinquennii, et quod furatus est, reddat.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit, restituta re, poenitentiam aget annum unum.

Si quis usuras accipit, rapinam facit, ideoque quicumque illas exegerit, poenitentiam aget annis tribus, uno in pane, et aqua.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit, idcirco tanquam de furto poenitentiam aget.

Contra Octavum.

Qui Proximo falsum crimen objicit, poenitentia afficitur, ut falsus testis.

Si quis contra Proximum lingua lascivus erit, triduana poenitentia expiabitur.

Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, poenitens erit dies septem in pane, et aqua.

Qui falsitatem, fraudemve in ponderibus, et mensuris admiserit, poenitens erit in pane, et aqua dies viginti.

Falsarius poenitentiam agat in pane, et aqua, quamdiu vivit.

Si quis murmuraverit, Judicio Sacerdotis poenitentiam aget pro culpae gravitate.

Si quis convicium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur poenitentia pro modo peccati.

Contra Nonum.

Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, poenitens erit annis tribus. Qui aliena furari concupiscit, furtum est; qui item aliena rapere cupit, rapina est; qui res Ecclesiae furari appetit, sacrilegium est; ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, quasi peccati mortalis poenitentiam aget Sacerdotis arbitratu.

Contra Decimum.

Si quis concupiscit fornicari, si Presbyter, poenitens erit annos quinque, Si Diaconus, vel Monachus, tres, e quibus unum in pane, et aqua; si Clericus, aut Laicus, annos duos.

Si Clericus, aut Laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaque semen effuderit, poenitens erit dies septem.

XVIII.

Instructio Sacrae Congregationis Supremae, et Universalis Inquisitionis in materia Sollicitationis.

Reverendo Padre.

Dopo essersi avuta lunga, e matura considerazione sopra il dubbio significato da diverse bande, se i Penitenti siano obbligati a denunziare i Confessori, da quali siano stati sollecitati nel luogo, et atto della Confessione, quando hanno acconsentito alla Sollecitazione: N. S. e questi miei Signori Eminentissimi nella Congregazione tenuta avanti S. S. ai 15. Luglio passato dopo aver anche inteso il parere d' una Congregazione particolare deputata a quest' effetto, hanno risoluto, che qualsivoglia Penitente è tenuto di denunziare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luogo, ed atto della Confessione, ancorchè Egli abbia acconsentito, e non è tenuto a propalare il Consenso, nè sopra ciò si interroghi dal Vescovo, o dall' Inquisitore, o da' loro Vicarj, avanti ai quali deporrà: nè meno il Confessore denunziato, procedendosi poi contro di Lui, nei Costituti, che gli si faranno, non s' interroghi sopra detto consenso, ed in caso ch' egli volesse dirlo da se, non si scriva il suo detto, co-

me cosa in ordine alla persona sollecitata non spettante al S. Offizio della Sagra Inquisizione. Le parti dunque di V. R. sono di significare ai Confessori la risoluzione, ed incaricargliene strettamente l' osservanza, acciò ne' casi, che occorrono alla giornata, conforme al tenore della Costituzione pubblicata da Gregorio XV. contro i Confessori sollecitanti, significhino a Penitenti l' obbligo, che hanno di denunziare i Confessori, da quali saranno stati sollecitati: ed avendovi acconsentito, e facendo difficoltà di scoprire il proprio Consenso, gli dichino apertamente, che non sono tenuti a propalare il proprio Consenso, che tanto i Penitenti, quanto i Confessori sollecitanti procedendosi contro di loro, non saranno di ciò interrogati, e dicendolo da se, non si scriverà il detto loro. E quando il Penitente persistesse tuttavia nella medesima renitenza, V. R. si contenti, che dal Vescovo, o dall' Inquisitore si dia autorità al Confessore di ricevere per Scrittura, e con giuramento la denunzia per portarla a chi gli avrà dato autorità di pigliarla. E se oltre le cose suddette occorrerà altro caso grave, pel quale il Penitente non si possa indurre, Sua Santità vuole, che se ne scriva, e si aspetti la risposta, ed intanto non si proceda all' Assoluzione. E tanto V. R. si contenterà di fare osservare nella sua giurisdizione, e facendo registrare la presente negli atti di cotesto S. Offizio per informazione sua, e de' suoi Successori; quali avranno mira, che la presente risoluzione risguarda solo quei Penitenti, che per aver acconsentito fanno difficoltà di denunziare; ma a quei che non hanno acconsentito, o avendo consentito, non sono in ciò renitenti, il Confessore non deve porre difficoltà alcuna, ma lasciare, che indifferentemente, e liberamente sodisfaccino all' obbligo, che hanno di denunziare conforme la Costituzione. Ed il Sig. Iddio la conservi.

Di V. R. Roma 27. Settembre 1624.

Come Fratello Il Card. Millino.

XIX.

Istruzione sulla materia delle denunzie di sollecitazione de' Confessori per la custodia del Sigillo Sagramentale.

Illmo, e Rmo Sig. come Fratello.

La Santità di Nostro Signore, e questi miei Eminentissimi Colleghi generali Inquisitori considerando, che i Rei di sollecitazione nelle Sagramentali Confessioni facilmente possono incorrere, o nelle spontanee comparse, o nei Costi-

tuti nella rivelazione delle Confessioni Sagramentali, senza fare riflessione alla violazione del Sigillo Sagramentale, che è *de jure divino*, e indispensabile per qualsisia gravissima causa, anche d'Eresia, hanno perciò stimato espediente di rinovare a cautela gli avvertimenti altre volte datisi a V. S. ed a tutti gli altri Vescovi, ed Inquisitori d'Italia, acciò nelli Processi di sollecitazione, ossia nelle spontanee comparse, o nei Costituti, non rivelino anche innocentemente le Confessioni con dire = *Confessandosi da me la tale di pensieri, e atti disonesti le dissi ec.* = Ma procedendo V. S. colla solita attenzione, ammonirà i sponte Comparenti, e nei Costituti a non deporre cosa alcuna, che concerna il Sigillo delle Sagramentali Confessioni, ma di riferire solamente ciò che riguarda il fatto, o detto di essi sollecitanti = *Confessandosi da me N. N. le dissi ec. o feci ec.* = senza dire altro, in ordine alla Confessione de' Penitenti: e se cadessero nell'errore di rivelare le Confessioni, non si dovrà la loro deposizione in questa parte ricevere in Processo, e se mai per inavvertenza di qualche Ministro, che acremente correggerà, si trovasse scritta in qualche Processo, si dovranno cassare dalli Processi originali tutte quelle circostanze, che riguardano la detta rivelazione di Confessioni Sagramentali. Così colla solita sua attenzione dovrà V. S. regolarsi, e il presente avvertimento comunicherà a tutti i suoi Vicarj, che hanno facoltà di far Processi in materia di fede, acciò colla dovuta attenzione invigilino all'esecuzione del presente ordine, e Dio la prosperi.

Di V. S. Roma 23. Marzo 1726.

Come Fratello F. Cardinal Paolucci.

XX.

Istruzioni, sul quando, e come si possono delegare li Sacerdoti Confessori per ricevere le denunzie nelle materie spettanti al S. Offizio senza Notaro.

Illustre, e Reverendo Signore come Fratello.

Questa Sagra Congregazione del S. Offizio con sue Circolari de' 27. Settembre 1624. e 24. Gennaro 1667. che si conserveranno in codesta sua Cancellaria, ha già conceduto a Vescovi, ed Inquisitori la facoltà in materia di sollecitazione di delegare in casi particolari li Confessori, quando le Persone sollecitate, non possono disporsi a denunciare nella forma giuridica ordinaria, per ricevere anco senza Notaro le denuncie, con istruirli nel modo di ben riceverle, e dargli il giuramento *de silentio servando, et fideliter sibi munus com-*

missum exercendo. Ora Sua Santità, sentito il Voto di questi Eminentissimi Colleghi, ha confermate, e nuovamente concedute a Vescovi, ed Inquisitori le predette facoltà di delegare come sopra qualsisia Sacerdote approvato per le Confessioni Sagramentali; Ma V. S. di dette facoltà parcamente, e doppo aver procurato, che le Donne sollecitate denunzino nella forma giuridica ordinaria, si prevalerà: e Dio la prosperi.

Di V. S. Roma 7. Luglio 1725.

Come Fratello F. Cardinal Giudice.

XXI.

Modo di ricevere senza Notaro le Denunzie di sollecitazioni per li Sacerdoti Confessori specialmente a ciò delegati.

Si fa un Memoriale dalla Denunziante, col quale narra di avere ad esporre cose pertinenti al Tribunale del S. Offizio, che però prega Sua Signoria Illustrissima commettere a Persona Religiosa, che con ogni segretezza vada a ricevere detta denunzia nel tal luogo, a fine di liberare da ogni scrupolo la coscienza di essa supplicante, sottoscrivendo a piè del Memoriale il Nome, e Cognome di essa Esponente, potendo mandarsi detto Memoriale per il Confessore al Prelato, il quale deve riceverlo con grandissimo Segreto, assumendo almeno due Persone gravi religiose, e zelanti, delle quali una se ne servirà per scrivere gli Atti, che occorrono, come sarebbe. *Die . . . Mense . . Anno . . . = In Palatio Episcopali N. in aula interiori ejusdem solitae habitationis Illustrissimi, et Reverendissimi D. Episcopi N. coram praedicto Illustrissimo Domino, assistente Reverendo D. N. . . . . Canonico Cathedralis N. et in praesentia mei N. N. Sacerdotis Ecclesiae N. Actuarii assumpti ad hunc actum comparet R. P. Fr. N. N. Professus Sacerdos Theologus Ordinis N. exponens videlicet.*

Vengo avanti V. S. Illustrissima a portarle questo Memoriale contenente negozio del S. Offizio, consegnatomi da N. N. il quale con occasione, che io sono andato a confessare nella Chiesa N. mi è stato dato da Lei, affine che io con ogni segreto lo presenti a V. S. Illustrissima, acciò deputi una persona, che riceva la Denunzia di questa supplicante, la quale mi ha detto, che se venisse di persona, darebbe da sospettare a' suoi Parenti altri negozj, che le potrebbero cagionare danno grave.

Ovvero se la supplicante non saprà scrivere, potrà inviare detto Religioso

a dire a bocca tutto ciò, che chi sa scrivere, direbbe per Memoriale, e si procederà nel modo come sopra dal Prelato, *mutatis mutandis*.

L' Attuario noterà ogni cosa per extensum.

Tunc Illmus Dñus praedictus commisit eidem P. Fr. N. N. Professo Religionis N. ut accedat ad locum N. ad finem accipiendi denunciationem faciendam a N. N. juxta Instructionem Tribunalis S. Officii, quam praecipit sibi dari a me, Notario assumpto, exacto prius juramento tam a praedicto R. P. N. N. tangendo, prout tetigit Sacra Evangelia, et pro veritate omnium supradictorum, et pro bene, et fideliter recipienda denunciatione sibi danda, et sub silentio omnia retinendi, quam a vobis Assistentibus et a me de non praesentia propalando, nec in totum, nec in partem, prout juravimus tactis praedictis Sacris Evangeliis. Imponendo dicto Patri, et Nobis de toto praesenti negotio silentium sub poena Excommunicationis latae sententiae statim incurrendae in casu contraventionis reservatae eidem Illmo Dño respectu Assistentis, et mei ipsius, et Sanctissimo Domino Papae respectu praedicti Reverendi Patris, et fuit dimissus praesens actus cum mandato, ut omnes subscribamus. Ego P. Fr. N. N. Professus Ordinis N. N. praedicta omnia exposui. Ego N. N. Canonicus Ecclesiae N. Assistens deputatus interfui. Ita est N. N. Sacerdos Ecclesiae N. Actuarius assumptus ad hunc actum ab Illustrissimo D. N. Episcopo N.

Il Delegato del Vescovo anderà con carta, e calamajo, se non potrà accompagnarsi col Notaro predetto, o Assistente, almeno esso solo nel luogo, tempo, e giorno più opportuno per osservanza del Segreto, e venendo la Denunziante ha da scrivere nel seguente modo.

Die . . . Mense . . . Anno . . . in tali loco . . . s' avverta che sia fuori del Confessionario, e non potendosi, si noti il luogo; *ubi solent Sacramentales Confessiones excipi* (sed haec omnia extra Sacramentum Paenitentiae) *comparaet coram me N. N. Professore Religionis, qui de mandato Illustrissimi D. Episcopi N. accessit ad finem etc. talis de tali aetatis suae annorum . . . . ut dixit, et ex aspectu apparet, saecularis, vel Monialis Professa, vel Bizzoca, Vidua quondam N. N. . . . Uxorata . . . Filia . . .* ponendo il nome del Padre, Madre, luogo, dove abita, professione, che esercita, confine della Parrocchia, Paese, o tempo, che ne manca, statura, pelo, segnali, ed altre circostanze, che possono descrivere la Persona, quando non fosse ben nota alla Corte Vescovile, *sponte, non citata, neque vocata, quae medio ejus juramento sibi per me dato tactis sacris Evangeliis mei Breviarii, prout tetigit, de veritate dicenda, prius monita de gravitate ejusdem, fuit interrogata ad quid veneris, quae respondit.*

Sono venuta, come dissi a V. R. la settimana passata, che mi volevo sgra-

vare la Coscienza, giacchè mi avete detto, che sono obbligata di denunziare il Confessore, che mi ha parlato di cose brutte, quando mi confessavo: desidero sapere, se avete parlato a Monsignor Illustrissimo, e che vi ha detto.

Cui a me fuit dictum, habere in commissis recipiendi formiter suam denunciationem, et proinde pro exoneratione suae conscientiae explicite fuit interrogata, ut dicat quidquid sibi occurrerit, circa praedicta a se superius nominata. Respondit.... E si pongano le sue proprie parole volgari, che dice, ben vero, siano chiare, ed esplicative del Confessore Sollecitante per nome, cognome, Religione, o Dignità, giorno, mese, Anno, volte che sollecitò, segni, e contrasegni, abitazione, luogo, ove abita, o abitava il Sollecitante, parole dette, espresse, segni, o atti fatti, e tutte le circostanze, che conducono alla replicata chiarezza del Sollecitante, e sollecitazione.

Avvertendo, che se la persona non si sapesse spiegare, il Deputato coll' Interrogatorj, che anderà facendo, farà spiegare le cose predette necessariamente.

Gl' Interrogatorj benchè si diano in volgare, si scrivono in latino v. g. Interrogata, *quaenam verba specialia, vel quosnam actus inhonestos fecerit praedictus N. Confessarius ipsi Testi exponenti, et dicat explicite, et clare omnia.*

Respondit. Mi disse ....

Se la sollecitazione è di qualche tempo, se le dice.

Interrogata *quare prius non exoneraverit suam Conscientiam denunciando praedictum* etc.

Respondit etc.

Interrogata *de Contestibus.*

Respondit. Questo fatto è passato da solo a solo fra me, e il detto N. N. mentre mi confessava nel Confessionario, come ho detto di sopra, e perciò non vi è persona, che lo possa deporre.

Interrogata, *an exerceat aliquam inimicitiam, vel aliquam exercuerit cum dicto N. N. Confessario, vel cum suis Consanguineis, aut amicis, vel e contra.*

Respondit etc.

Si avverta che le risposte (non mi ricordo) non si ammettono, ma si dimanda dopo quelle.

Et fuit dictum a me, ut bene recordetur etc..... Respondit etc.

Se parlasse con ira, e passione grande, che dasse sospetto d' inimicizia, dal Notaro, o dal Deputato si noti = videlicet = *Locuta est nimis iracunde etc. vel animose, aut temere etc.*

Interrogata, *an viderit ipsa Comparens praedictum N.N. Confessarium fecisse aliqua opera spiritualia, videlicet, orare, eleemosynas elargiri, Missas auscultare, et similia.*

Respondit etc.

Interrogata, *cujus famae sit praedicths N.N. Confessarius, et an audiverit aliquando ab aliis, praedictum N.N. patrasse similia?*

Respondit etc.

Quibus habitis: Ego ipse mandavi, ut se subscribat, imponendo silentium, ut nullatenus alicui dicat, se revelasse, et denunciasse praedicta in totum, vel in partem contra praedictum N. N. Confessarium sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae reservatae ipsi Dño Illño Episcopo, (e se sarà necessario) *Sanctissimo D. Papae; et fuit dimissum examen, praestito denuo juramento tactis etc. prout tetigit, de Silentio observando supra praedictis.*

Ita Ego N. N. Professus Ordinis N. de mandato Illustrissimi accessi, et interrogavi.

Ricevuta la scritta rivelazione, il Prelato avverta conservarla con estremo segreto, e se il caso sarà grave, ovvero fossero più relazioni contro uno stesso Confessore dovrà detto Vescovo farne copia (avvertendo darne il giuramento, quando assume persona molto grave per fare detta copia) ed includere gli atti in una sua, che potrà scrivere alla Sacra Congregazione del S. Offizio di Roma, affine che gli ordini, come si ha a portare in tal caso, e chiegga l' istruzione per non errare: avvertendosi di più non dare verun motivo contro il Denunziato, acciò non penetri esser Reo nel Tribunale, nè comunichi tal segreto al suo Superiore, o altro, che sia nel Mondo, perchè sarebbe errore grave in materia del S. Offizio.

Le Scritture sopra queste materie non si confidino a Ministri, ma si consegnino al Tribunale Supremo, ovvero si suggellino, scrivendovi sopra = *Scritture, che appartengono al Tribunale del S. Offizio* =, quali nessuno può aprire, lacerare, bruciare, occupare, sotto le pene espresse nella Bolla di San Pio V. = Si de protegendis = Cautelandosi affine, che in vita detti negozj passino, come quelli del Sigillo Sagramentale, e provvedere in caso di morte, non vadano in potere de' Commissarj delli Spogli, Ministri della Sedia vacante, o altri Cortegiani de' Prelati defonti.

E questo basti per una breve, e facile Istruzione.

XXII.

Preces dicendae a Confessario antequam Poenitentiae Sacramentum administret.
Ex Act. Eccl. Mediol. part. 4. Instruct. Poenitential. pag. 433.

℣. Cor mundum crea in me Deus. = ℟. Et Spiritum rectum innova in visceribus meis.

℣. Ne projicias me a facie tua. = ℟. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

℣. Redde mihi laetitiam salutaris tui. = ℟. Et spiritu principali confirma me.

℣. Docebo iniquos vias tuas. = ℟. Et impii ad te convertentur.

℣. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae. = ℟. Et exultabit lingua mea justitiam tuam.

ORATIO.

Domine Deus Omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim Tibi gratias agere, qui me indignum propter magnam tuam misericordiam Ministrum fecisti officii Sacerdotalis, et me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad orandum, et intercedendum apud Dominum Nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccatoribus, et ad poenitentiam revertentibus, ideoque Dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant, suscipe orationem meam, quam fundo pro Famulis, et Famulabus tuis, qui ad poenitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, quo resipiscant a Diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, et ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eumdem Dominum Nostrum etc. Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam.

XXIII.

CIRCOLARE

Della Sagra Congregazione dei Vescovi, che le Confessioni non si ascoltino fuori di Chiesa.

Mi hanno questi Emiuentissimi miei Signori comandato di scrivere a V. S. che onuinamente sotto gravi pene proibisca a tutti li Confessori di cotesta Città, e Diocesi l'ascoltare le Confessioni Sacramentali fuori di Chiesa, se non

ne' casi d' Infermità , per li quali i Penitenti non possono andare alla Chiesa. Tanto dunque eseguisca in conformità della precisa mente della Sagra Congregazione; ed il Signore Iddio la prosperi. Di V. S. Roma 6. Giugno 1687.

Come fratello il Card. Carpegna.

B. Panciatichi Segret.

XXIV.

CIRCOLARE

Della S. Congregazione del S. Offizio, che i Confessori non si deputino Giovani, ma di età, e d' intelligenza provetti, e questi non ascoltino le Donne avanti il Confessionario, ma da' lati di esso.

Da' casi di scandalo con circostanze, che frequentissimamente occorrono a gravissimo danno delle Anime nelle Confessioni Sagramentali per parte de' Confessori, da' quali viene però convertito in veleno quello, che dovrebbe essere antidoto delle colpe, avendo la Santità di N. Signore osservato, quanto, per ovviarli, sia necessario alli Vescovi l'avere un' attenzione la più precisa in eleggere Persone di proposito in ministerio di tanta importanza; quindi è, che la Santità Sua, col parere di questi Eminentissimi miei Colleghi Signori Cardinali Generali Inqnisitori, ha stimato bene, che io con questa mia Circolare ne faccia a V. S. particolar premura, volendo, che da quì avanti Ella con ogni maggiore studio, e diligenza procuri, che tali Soggetti non *sieno Giovani*, *ma d'età*, *e d' intelligenza provetti*, e ben morigerati, a' quali dovrà strettamente ordinare, che non sentano le Confessioni massime di Donne *avanti il Confessionale*, ma *da' lati di esso*, ed in luoghi pubblici, ed esposti a vista di tutti. E persuasa la Santità Sua della bontà, e zelo del suo Carattere, che da Lei verrà in ciò a pieno la sna mente adempita; Roma 14. di Decembre 1694.

XXV.

SOMMARIO

Di diverse Indulgenze, che può ognuno facilmente acquistare, qualora si eserciti nelle infrascritte opere di pietà, e divozione.

I. A quelli, che in articolo di morte con la bocca, o col cuore (non potendo con la bocca) invocheranno il Nome Santissimo di GESU', si concede In-

P

dulgenza plenaria, purchè sieno stati soliti ad invocarlo; ed a quelli, che in vita riverentemente nomineranno il Santissimo Nome di GESU', e di MARIA, venticinque giorni d'Indulgenza per ciascheduna volta; finalmente a quelli, che si saluteranno nella loro lingua, o in altra dicendo: *Lodato sia Gesù Cristo*, ed a quelli, che risponderanno: *In saecula*, ovvero *amen*, o *sempre*, vengono concessi cento giorni d'Indulgenza; e tutti quelli, che procureranno, che sia in uso questa salutazione, otterranno le stesse Indulgenze. Sisto V. e Benedetto XIII.

II. A quelli, che reciteranno in ginocchioni divotamente al suono della campana la mattina, o a mezzo giorno, ovvero la sera la solita orazione: *Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto. Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, e con la detta orazione tre volte l'*Ave Maria etc.* si concede Indulgenza plenaria in un giorno di ciaschedun mese a loro elezione, purchè in detto giorno veramente pentiti, confessati, e comunicati, preghino il Signore per la pace, e concordia fra i Principi Cristiani, per l'estirpazione dell'eresie, e per l'esaltazione della Santa Madre Chiesa. Negli altri giorni poi dell'anno, a quelli, i quali veramente contriti diranno l'orazione, come sopra, ogni volta, che ciò faranno, si concedono cento giorni d'Indulgenza. Le medesime Indulgenze si concedono a quelli ancora, che recitino in piedi detta orazione dal Vespero di ciascun Sabbato a tutta la Domenica seguente, e nel tempo Pasquale, ancorchè in detto tempo si reciti in piedi l'antifona: *Regina caeli etc.* col suo versetto, ed orazione corrispondente: *Deus, qui per Resurrectionem etc.* in vece dell'orazione suddetta; e quelli, che non sanno quest'antifona, acquisteranno l'Indulgenza, se reciteranno anche in detti giorni la sopraddetta orazione dell'*Angelus Domini*. Benedetto XIII. e Benedetto XIV.

III. A quelli, che reciteranno in ginocchioni al tocco della campana nella prima ora di notte il Salmo: *De profundis* in suffragio delle anime de' Fedeli defonti, o pure un *Pater noster*, ed un'*Ave Maria*, col versetto: *Requiem aeternam etc.* si concedono cento giorni d'Indulgenza per ogni volta. Quelli poi, che per un anno continuo avranno avuto questa pia usanza, conseguiranno Indulgenza plenaria in quel giorno da eleggersi a loro piacere, in cui pentiti, confessati, e comunicati pregheranno Dio, come sopra. Clemente XII.

IV. A quelli, che insegneranno, o andranno ad imparare, ovvero interverranno all'Istruzione sopra l'orazione mentale, che si farà in qualche Chiesa, o pure in altro luogo, si concedono sette anni, ed altrettante quarantene d'Indulgenza, purchè sieno veramente pentiti, confessati, e comunicati per

ciascheduna volta, che ciò faranno; a quelli poi, che ciò faranno assiduamente si concede l' Indulgenza plenaria, e remissione di tutti i peccati, quando veramente pentiti, confessati, e comunicati in un giorno da eleggersi a loro piacere in ciascun mese dell' anno, pregheranno il Signore, come sopra; la quale Indulgenza potrà applicarsi anche in suffragio delle Anime del Purgatorio. Questa Indulgenza plenaria ne' detti termini si concede anche a quelli, che per un mese continuo avranno impiegato mezz' ora, o almeno un quarto d' ora per ogni giorno nell' orazione mentale, i quali potranno eleggere quel giorno del mese, che più loro piacerà. Benedetto XIV.

V. A quelli, che reciteranno divotamente una terza parte del Rosario della Beata Vergine, si concede Indulgenza di cinque anni, ed altrettante quarantene: e se l' abbiano recitato ogni giorno per un anno intero, si concede, che una volta l' anno nel giorno da eleggersi da ciascuno acquistino l' Indulgenza plenaria applicabile ancora alle Anime del Purgatorio, purchè confessati, e comunicati preghino per la concordia de' Principi Cristiani, estirpazione dell' eresie, ed esaltazione di Santa Madre Chiesa. Sisto IV. Leone X. e Benedetto XIII.

VI. Indulgenza di cento giorni a chi in ginocchioni al suono della campana recita cinque volte il *Pater*, e l' *Ave* nel dopo pranzo del Venerdì in memoria della passione, ed agonia di N. S. G. C. per concessione di Benedetto XIV.

VII. A chi recita l' *Ave Maria* concedono diversi Sommi Pontefici sessanta giorni d' Indulgenza: similmente a chi recita la *Salve Regina* quaranta giorni.

VIII. Inchinando il capo ai SSmi Nomi di GESU', e di MARIA venti giorni d' Indulgenza; e trenta giorni a chi inchina il capo al *Gloria Patri*.

IX. A chi piega il ginocchio a terra per riverenza del SSmo Sacramento, dugento giorni.

X. La sa. me. di Pio VI. a chiunque almeno contrito di cuore reciterà una volta al giorno: *Sia lodato, e ringraziato ogni momento, il SSmo, e divinissimo Sacramento*, concede cento giorni d' Indulgenza. Per tutta l' ottava del *Corpus Domini*, e per tutti li Giovedì dell' anno a chi lo reciterà tre volte al giorno trecento giorni d' Indulgenza. Chi poi lo avrà recitato ogni giorno nel corso di un mese, confessandosi, e comunicandosi, e pregando pe' bisogni di Santa Chiesa, secondo la intenzione del Sommo Pontefice, riceverà Indulgenza plenaria.

XI. A chi dirà: *Sia benedetta la santa, ed immacolata Concezione della B. V. M.* cento anni d' Indulgenza concessa da Gregorio XV. e confermata da Clemente XII.

Vincolo per ogni titolo onorevole si disse dall' Apostolo il Matrimonio, (1) e Sagramento grande si nominò dallo stesso, per la figura non solo, che contiene della misteriosa Unione di Gesù (2) colla Chiesa, ma per quella santificazione altresì, che reca al propagamento de' Fedeli, in rendendoli col Battesimo Figliuoli di Dio, ed Eredi del Paradiso. Ma quell' Uomo inimico, che semina sempre la zizania fra il grano più eletto del Padre Celeste, non lascia di profondere infaustamente anche in azione così sagra il veleno del vizio, onde abbiamo spesso a compiangere addivenuto occasione infelice di scandali, e di reità quello, che dovrebbe essere oggetto di virtù, e di Religione. Pur troppo nella luttuosa corruttela del costume si moltiplicano quelli, che giusta le espressioni della Scrittura si accingono a questo Sagramento con cacciare Iddio dal proprio Cuore, e dalla propria mente, abbandonandosi solo allo sfogo della concupiscenza più che animali immondi, i quali sono privi d' intendimento (3). Impegnati quindi, come dobbiamo essere, ad estirpare dal Campo affidatoci dal Principe de' Pastori ogni virgulto, che frutti non dia di decoro, e di onestà, e a cingerlo della mistica siepe di utili Ordinazioni, abbiamo subito interessato lo zelo de' nostri Venerabili Cooperatori, onde apprestare rimedio a disordini di così fatali conseguenze. Egli è così, che molte provvide disposizioni siansi prese nelle Congregazioni, che in preparazione al Sinodo ora teniamo, e corrispondenti Decreti si emaneranno nel medesimo sopra oggetti di tanto rilievo: ma intanto la considerazione de' gravi castighi, che alli Profanatori del Sacro Vincolo Matrimoniale minacciò l' Arcangelo Raffaele nell' avvertirne il Figlio Tobia, non ci permette di tacere, ben conoscendo, che il silenzio servirebbe agl' infausti progressi del male: crediamo perciò essere del nostro Pastorale Officio

(1) *Honorabile connubium in omnibus*. Ad Heb: 15. v. 17.

(2) *Sacramentum magnum ... Dico in Christo, et in Ecclesia*. Ephes. 7. 32.

(3) *Hi, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Daemonium super eos*. Tob: 6. 17.

il pubblicare senza ritardo il presente Editto, ehe ingiungiamo ai RR. Parrochi di rendere noto al Popolo in due Feste dell'anno.

I. Conoscendosi, che i maggiori disordini derivano dalla prattica, e conversazione famigliare, che hanno fra loro i Sposi sotto il pretesto de' sponsali, non senza gravi offese di Dio, disturbo delle Famiglie, e scandalo de'Popoli, si ordina espressamente, ehe li Sposi di qualunque stato, grado, e condizione siansi, dopo aver contratti i sponsali sino all'effettuazione del Matrimonio per verba de praesenti non possano trattarsi, pratticarsi, conversare insieme, o discorrere domesticamente fra loro in alcun modo, luogo, o tempo, e molto meno di notte sotto qualsivoglia motivo, o pretesto, a riserva di qualche rara volta per sodisfare alla civile convenienza, presenti però i loro Genitori, o due stretti Congiunti, che potranno utilmente interpellarne il Parroco. Chi senza queste cautele si facesse lecito contravenire a queste disposizioni, incorrerà nelle pene, che crederemo convenire alle circostanze, quali subiranno i Genitori eziandio, parenti, e altri, che abbiano in cura i Sposi.

II. Più forti, e più esemplari castighi s'intimano a que'Genitori, Congiunti, o altri Custodi delle Spose, che lungi d' impedirne il libero conversare, ammettessero nelle loro Case i Sposi respettivi per ricreazioni, balli, e conviti, onde si avessero maggiori scandali, più gravi mormorazioni, e disordini ulteriori. I Parrochi invigileranno sù di un tanto inconveniente per darne parte a Noi, e alli Nostri Vicarii Generali.

III. Contratti i Sponsali fra persone atte al Matrimonio si faccino al più presto dai Parrochi li tre Proclami, che non possono differirsi oltre il lasso di due mesi, seppure un giusto motivo non lo richiedesse, ovvero l' assenza di alcuno de' Sposi non togliesse il pericolo della famigliare Conversazione, nè quali casi dovrà sempre ottenersene il permesso da Noi, o dal Nostro Vicario Generale.

IV. Rivelandosi al Parroco qualche impedimento, sospesi al momento i Proclami, se ne renderà intesa la Nostra Curia, vero, o falso esso sia, spettandone alla medesima la ispezione decisiva. Sarà perciò oportuna cosa, che dalli Curati s' istruiscano i Fedeli sull' obbligo di rivelare gli impedimenti, di cui sieno consapevoli, come eziandio delle censure, e della grave colpa, di cui si renderebbero rei col tacerli: al quale effetto più volte l' anno si spiegheranno dai medesimi i Canonici impedimenti, che o illecito, o invalido rendono il Matrimonio. Si rammenta, che scorsi due mesi dopo l' ultima denunzia necessita ottenere dalla Curia nuova licenza per fare di nuovo i Proclami per quindi passare alla Celebrazione del Matrimonio.

V. Si ricorda ai Parrochi, che e per le Denuncie, e per l' effettuazione del

Matrimonio abbisogna la preventiva facoltà della nostra Curia Generale. Essendo i Sposi di due diverse Parrocchie, i Parrochi di amendue faranno le denunzie, nè si potranno da uno congiungere in Matrimonio senza la fede dell' altro, che testifichi de' Proclami fatti. Dicasi lo stesso, se alcuno de' Sposi sia estradiocesano, nel qual caso la fede del Parroco dovrà essere autenticata dal Vescovo, e riconosciuta nella Nostra Curia.

VI. Prima di venire alle Denunzie i Parrochi esplorino a solo a solo divisamente lo Sposo, e la Sposa, se liberamente, e con piena volontà, e col consenso de' Genitori contraggono il matrimonio, se sieno in età leggitima, se sieno cresimati, se abbiano sodisfatto al Precetto Pasquale; e altre simili oportune interrogazioni faranno loro, onde differire le Denuncie colla Nostra intesa, se si rinvenghi cosa, che manchi, o si opponga alla conclusione del Matrimonio.

Veglino sopra ogni altro gl' Illustri Cooperatori del Nostro difficile Ministero, i Venerabili Parrochi alla esecuzione di queste Providenze, di cui sopra ogni altro essi riconoscono la necessità. Si occupi il loro zelo in richiamare l' attenzione di quelli, che hanno in custodia la male accorta Gioventù, a quelle cautele, a quell' impegno, a quella diligenza, che abbisogna, onde tenere lontani quei disordini, a cui una poco esatta disciplina di educazione la trascinerebbe. Memori del Divino insegnamento, che mai potrà nascondersi nel seno il fuoco ardente, senza che ne avvampino le vesti (4) alzino, quale tromba, la Pastorale loro voce contro la licenziosa Famigliarità de' Sposi, che tanto pronta occasione somministra alla dissolutezza, ed avvertino le incaute Fanciulle a non lasciarsi sorprendere con tradizioni di Anello, o con promesse di Matrimonio da certi Giovani maliziosi, che sono avoltoj rapaci, che volgono i loro artigli alla distruzione delle semplici Colombe: e loro inculchino per conseguenza di nulla decidere sopra oggetto così interessante senza il consenso di quelli, a cui sono affidate, i quali meglio potranno calcolarne i spirituali, e li temporali vantaggi. Posti così ad esecuzione questi mezzi, si verificherà, che preceduto, e accompagnato il Matrimonio dal Timor Santo di Dio, ed effettuato perciò secondo le espressioni della Scrittura *in Justitia*, *et in misericordia* (5), sarà benanche seguito dalle Benedizioni del Cielo, che si diffonderanno sempre copiose sopra l' Uomo giusto, e sopra le di Lui generazioni.

Il presente Editto pubblicato, ed affisso ne' luoghi soliti, e ritenuto sempre

(4) *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut Vestimenta illius non ardeant*. Prov. 6. 27.

(5) Oseae 2. 19.

nelle Sagrestie vogliamo, che abbia forza, come se fosse a tutti personalmente intimato.

Dato in Velletri dal Palazzo di Nostra Residenza, li 24. Ottobre 1816.

ALESSANDRO CARD. MATTEI.

Sebastiano Lazzarini Segretario.

XXXVIII.

Synopsis Edicti contra Defloratores, quod Romae jussu S. M. Clem. XII. die 13. Sept. 1736. latum est.

I. Statuitur, ut in suo robore manentibus poenis, quas in similes delinquentes sacri decreverunt Canones, stuprator poenae quoque corporis afflictivae subjiciatur, quae extendi quoque possit etiam ad triremes, si laicus, et ad ergastulum, aut relegationem, judicis arbitrio, si Clericus stuprator fuerit, juxta diversas casuum circumstantias, gradus, et conditionis, praesertim juxta diversam fraudem, et seductionem adhibitam.

II. Stuprata puella poenis quoque corporis afflictivis subjicitur, quae extendi etiam possit, judicis arbitrio, ad carcerem usque, pro diversis circumstantiis casuum, gradus, et conditionis, et praesertim juxta majorem, minoremve fraudem, et seductionem, quam passa sit, vel adhibuerit stuprata Puella.

III. Decernitur, ut dum stuprum secutum sit ex spe, et promissione futuri matrimonii, deflorata Puella actionem habere non possit in defloratorem, ut promissum adimpleat, nisi coram Judice legitime, et omnino concludenter probaverit obligationem defloratoris ex illa promissione contractam; firma tamen remanente quacumque alia actione, quam puella in defloratorem habere possit. Declaratur vero, legitimam, atque concludentem probationem satis non esse ad cogendum defloratorem ad matrimonium ineundum, quod promiserat, quoties inter contrahentes tanta sit conditionis disparitas, ut ex tali matrimonio magnum secuturum esset scandalum, et familiae ignominia. Eo tamen in casu deflorator neutiquam absolutus declaratur ab obligatione, quam habet compensandi damna etc.

IV. Quantum ad puellae parentes, consanguineos, aliosque, quibus vel naturae jure, vel positiva aliqua lege, ejusdem puellae cura, et educatio concredita sit, et ad quos pertinet de stupro secuto causam ad judicem deferre, et accusare, dum rei probentur aut lenocinii, aut conniventiae, statuitur, ut actionem omnino amittant petendi dotem nomine defloratae, (intacto semper

remanente jure, qnod defloratae competat) et aliam quamcumque actionem, quae eorum favore edi posset pro damnis, et interesse; atque decernitur in hisce casibus, qnod damnum, et iuteresse deberetur delinquentibus, quod Judicis arbitrio taxandum est juxta diversas circumstantias, a Fisco exigendum esse, et ab eodem pro arbitrio in pios usus erogandum.

V. Ultra amissionem antedictae compensationis, poenas corporis afflictivas contra eosdem stabiliendas decernitur; videlicet, Patres, Matres, Fratres, aliosque, ad quos spectet cura, et custodia puellarum, dum rei aperti lenocinii probentur, poenae subjiciendos injungitur carceris, aut triremis decem annorum, juxta diversitatem sexus. Si vero non aperti lenocinii, sed solius conniventiae rei fuerint, triremibus, aut respective carceri subjiciendos septem annorum, pro Judicis arbitrio, qui pro diversitate casuum, et personarum, poenam decernet simplici negligentiae debitam.

VI. Servi vero, ancillae, familiares, aliique stipendio conducti homines, quorum ope, auxilio, aut consilio stuprum secutum sit, vel triremibus ad septem annos, vel carceri, ut supra, subjiciantur; atque omnes generaliter, licet domestici non fuerint, si lenocinii rei convincantur, quinque annis carceris, vel triremis poena puniautur; arbitrio tamen judicis committitur, poenam ad majus quoque tempus extendere, juxta diversas circumstantias casuum etc.

VII. In omnibus autem supradictis casibus, conniventiae, vel lenocinii rei, antequam ad triremes mittantur, vel carceribus addicantur, per Urbem circumduci debent cum *Mitra*, et infamiae cartam ferentes, in qua sit eorum conscriptum delictum, ut fieri in iis solet, qui fustigatione puniuntur etc.

XXXIX.

INSTRUCTIO

Pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, tum in Curia Emi, et Rmi D.Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis caeterorum Ordinariorum, juxta modum a Sacra Inquisitione adprobatum Feria V. Die 21. *Augusti* 1670.

In primis testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul, et humana majestas laeditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, et gravitatem, et quod imminet poena triremium, et fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio, et habitatione.

3. An sit civis, vel exterus? et, quatenus sit exterus, quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit?

4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus? si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax: si vero dixerit, accessisse requisitum, interrogetur, a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus; et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes?

5. Interrogetur, an sibi, pro hoc testimonio ferendo, fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine?

6. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis, vel conditionis existant?

Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative:

7. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives, vel exteri? si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua Civitate, vel Dioecesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime, et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo, quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit, contrahere volentes esse cives:

8. Interrogetur, sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de praesenti?

9. Item, an ipse testis sciat, aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi Matrimonium?

Si testis responderit, non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra:

10. Interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum etc. et quod ipse testis nesciat?

Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur con-

cludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc.

11. Interrogetur de causa scientiae; ex qua deinde Judex colligere potest, an testi sit danda fides.

Si responderit, contrahere volentes habnisse uxorem, vel maritnm, sed esse mortuos.

12. Interrogetur de loco, et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat, eos fuisse conjuges, et nunc esse mortuos? Et si respondeat, mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio anthentico a Rectore Hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiae, in quo humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a Duce illius Cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possint, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae, et sufficientes.

13. Interrogetur, an post mortem dicti Conjugis defuncti aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota?

Si responderit negative:

14. Interrogetnr, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo, quod ipse testis sciat?

Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative:

15. Interrogetur de causa scientiae; qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, nec ne?

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos; et in aliis, servata forma Concilii Tridentini in cap. *Multa*. sess. 24.

Fides, aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, et sigillum; et attente consideretur, quod fides, seu testimonia bene, et concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis, quam exteri; nec admittantur homines vagi, et milites, nisi data causa, et maturo consilio, et No-

tarius exacte describat personam testis; quem si cognoscit, utatur clausula, *mihi bene cognitus*; sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita Notario, et quae attestetur de nomine, et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, Officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario, et extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea ab Episcopo specialiter deputanda: alias puniatur Notarius arbitrio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii praecipiant omnibus, et singulis Parochis in eorum Dioecesibus existentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationem in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Generali Vicario prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerunt examinati testes in eorum Tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium etc.

Contravenientes autem severe puniantur.

Franciscus Riccardus S. Rom. et Univ. Inquis. Not.

Loco ✱ Sigilli

XI.

Dubia circa exterorum Matrimonia, cum responsionibus Sacrae Congregationis S. Officii.

Ordines ultimo loco ab Urbe emanati circa Matrimonia cum exteris contrahenda, inter alia disponunt, quod Ordinarii praecipiant omnibus, et singulis Parochis in eorum Dioecesibus existentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Generali Vicario prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerint examinati testes in eorum Tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium.

1. Quaeritur, an illi ex Dioecesibus circumvicinis et ipsi teneantur tales probationes facere, an vero sufficiat fides denunciationum in eorum Dioecesibus factarum cum legalitate Ordinarii, et probatio eorum status post discessum ab ipsa Dioecesi?

Hujusmodi habentur pro exteris, et consequenter teneantur probationes facere.

2. Item, an contrahere volentes, in confinibus eorum Dioecesis habitantes, et ob vicinitatem ab eorum Rectoribus cogniti, teneantur easdem facere probationes, an vero sufficiant publicationes ab ipsis Rectoribus faciendae?

Etiam isti tenentur facere probationes.

3. An easdem teneantur facere probationes ii, qui ante aetatem nubilem a propria Dioecesi discedentes, ad aliam se contulerunt, et in ea postmodum semper habitaverunt?

Non tenentur, qui non fuerunt extra Dioecesim tempore habili ad contrahendum.

4. An in Civitate, in qua milites Hispani, Teutonici, Alemani, et aliarum longinquarum regionum residere solent, idem cum ipsis sit servandum, vel sufficiat, probationes in ipsa Civitate recipere de eorum statu a testibus ipsarum regionum de negotio edoctis?

Tenentur facere probationes juxta formam instructionis, quia isti facilius committunt Poligamiam.

5. An, facta per Parochum monitione Ordinario contrahere volentis, fides status ejusmodi sit ab eodem Parocho, vel a contrahere volente reportanda?

Tenetur fidem reportare, et Parocho consignare is, qui vult Matrimonium contrahere, sed est in libertate Parochi hujusmodi onus in se assumere.

6. An eaedem probationes sint servandae in casu necessitatis, et ab existentibus in articulo mortis sic contrahere volentibus?

Non sunt servandae in articulo mortis, intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias, cum hoc etiam, quod si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiae, juxta instructionem, antequam simul conveniant.

7. An requiratur attestatio proprii Ordinarii pro exteris, qui per decem annos, et ultra domicilium acquisierunt in loco, ubi sunt Matrimonium contracturi, si eorum status liber probetur per testes fide dignos tam originis, quam domicilii?

Requiritur.

8. An requiratur dicta attestatio pro illis exteris, qui unicam, vel plures duxerunt, et e contra, si mortuae fuerint in loco, ubi iterum Matrimonium contrahere desiderant, ac amplius post mortem a dicto loco non discesserunt?

Requiritur pariter.

XLI.

ESPOSIZIONE

Degl' Impedimenti del Matrimonio. Ex Sin.Velit.Card.Cybo.

Altri sono gl' impedimenti *impedienti* soltanto, che impediscono semplicemente il matrimonio, che vorrebbe contrarsi; altri sono *dirimenti*, i quali non solo impediscono di contrarre il matrimonio, ma lo annullano eziandio, qualora si fosse già contratto. Contraendosi il matrimonio, sebbene impedito dai primi, sarebbe valido, ma illecito: contraendosi però colli secondi è illecito, e invalido. Cinque sono gl' Impedimenti *impedienti*, vale a dire:

1. *La Proibizione della Chiesa*, quando cioè il Superiore Ecclesiastico abbia per ragionevoli motivi proibito ad uno temporaneamente di contrarre matrimonio:

2. *Il tempo vietato*, che secondo le disposizioni del Tridentino contasi dalla prima Domenica dell' Avvento fino all' Epifania, e dal Mercoledì delle Ceneri fino all' Ottava di Pasqua: può per altro ommettendosi la Benedizione, e ogni altra solennità Nuziale, contrarsi il Matrimonio, purchè vi acceda il consenso dell' Ordinario:

3. *I sponsali* anteriormente contratti, i quali se non si sciolgono legitimamente, impediscono il matrimonio con altri:

4. *Il voto semplice* di castità, o di assumere l' abito Religioso, o di promuoversi agli Ordini Sacri, o di vivere celibe:

5. Finalmente *la mancanza de' Proclami*, i quali essendosi prescritti dal Concilio Tridentino non possono trascurarsi, se pure l' Ordinario per gravi motivi non giudichi doverli dispensare o tutti, o in parte.

Gl' impedimenti *dirimenti* sono quattordici, e si comprendono per agevolare la memoria ne' versi seguenti.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultns disparitas, Vis, Ordo, Ligamon, Honestas,
Si sis affinis, si forte coire neqnibis,
Si Parochi, et duplicis desit praesentia testis,
Raptave sit Mnlier, nec parti reddita tutae.
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

1. *Error*. Il primo è l'errore circa la sostanza della Persona, cioè se io intendo di far parentela con Berta, e la fo con Antonia, ovvero intendo di far parentado colla primogenita, e me ne vien data un'altra; in questi Casi, e simili il Matrimonio è nullo: ma se l'errore fosse circa la qualità della Persona, come a dire, che credeva, fosse bella, e ricca, ma il fatto non ista così, il matrimonio è valido.

2. *Conditio*. Il secondo è la condizione, cioè servile, come a dire, se uno s'apparenta con una Schiava, che credeva esser libera, essendo egli così libero, il Matrimonio non tiene: il medesimo è, se la Donna libera piglia uno Schiavo, il che se sapesse, nol piglierebbe.

3. *Votum*. Il terzo impedimento è il Voto solenne fatto per Professione espressa, o tacita in una Religione approvata, o nel pigliar gli Ordini Sacri.

4. *Cognatio*. Il quarto impedimento è la parentela, la quale è in tre modi, cioè naturale, spirituale, e legale.

La naturale toglie, ed impedisce il matrimonio insino al quarto grado *inclusive*, e facendo il Matrimonio con tale impedimento sono scomunicati, se l'ignoranza non li scusa.

La parentela Spirituale proviene dalli Sagramenti del Battesimo, e della Confermazione, e questa impedisce, ed annulla il Matrimonio solamente tra colui, che battezza, o cresima, o tiene nel Battesimo, o nella Cresima, e colui, ch'è battezzato, o cresimato; e similmente tra quegli, che battezza, o cresima, o tiene, e tra il Padre, e la Madre del Battezzato, o Cresimato.

La parentela Legale è una propinquità, che nasce dall'Adozione, e questa ha tre gradi. Il primo è degli Ascendenti, e Discendenti, cioè dell'Adottante, e dell'Adottato, e quest'impedimento non si toglie per islegamneto dell'Adozione, nè per l'Emancipazione.

Il secondo è quasi trasversale, cioè fra l'Adottato, ed i Figliuoli naturali dell'Adottante durante l'Adozione, e stando il Figliuolo nella Potestà del Padre, e non altrimenti.

Il terzo grado è una certa Affinità legale, cioè tra la Moglie dell'Adottato, e l'Adottante, e tra l'Adottato, e la Moglie dell'Adottante, la quale dura perpetuamente, come la prima; e ciascuna di queste Parentele impedisce, ed annulla il Màtrimonio.

5. *Crimen*. Il quinto impedimento è il delitto, e questo è di due sorti. Il primo è, se uno ammazza il Marito con intenzione di contraere Matrimonio colla Moglie di lui, il quale Omicidio fatto con consenso d'ambe le parti impedisce, ed annulla per sempre, come impedisce, ed annulla ancora il Ma-

trimonio, sē uno solo delli Consorti machina la morte dell' altro, purchè v' intervenga l' Adulterio, che altrimenti non impedirebbe.

L' altro impedimento è l' adulterare scientemente colla Moglie d' altri, e contraere con essa il Matrimonio vivente l' altro Consorte, ovvero promettere di contraerlo dopo la morte di qnello; il che impedisce, ed annulla, ancorchè il primo Matrimonio non fosse ancora consumato.

6. *Cultus disparitas*. Il sesto impedimento è la diversità della Religione, perchè tra il Battezzato, e quello, che non ha il Battesimo, non può esser Matrimonio, non potendo riceversi Sagramento alcuno senza il Battesimo, ma può esser Matrimonio colli Battezzati, benchè fossero Eretici, Scomunicati, ed Apostati, essendo il Matrimonio valido, benche si faccia male a contraere con essi.

7. *Vis*. Il settimo impedimento è la forza, ovvero violenza, quando alcuno è forzato, o violentato a contraere Matrimonio, volendo la Santa Chiesa, e la ragion naturale, che li Matrimonj sieno liberi.

8. *Ordo*. L' ottavo impedimento è l' Ordine Sacro; onde se alcuno avendo l' Ordine Sacro contraesse, non tiene, ma resta scomunicato.

9. *Ligamen*. Il nono impedimento è, quando alcuna persona ha Moglie, o Marito, perchè non può contraere altro Matrimonio.

10. *Honestas*. Il decimo impedimento è la giustizia della pubblica Onestà, la qnale ha principio dagli Sposalizj, cioè quando si promette di doversi in futuro pigliar per Marito, o per Moglie, e questo impedimento consiste in una proibizione Canonica, la quale annulla (se gli Sponsali sono validi) il Matrimonio, che l' uno, o l' una di detti promettenti contraesse con qualche Parente nel primo grado dell' altro, o dell' altra; ma qnella pubblica onestà, che viene dal Matrimonio rato, annulla anche fino al quarto grado.

11. *Si sit affinis*. L' undecimo impedimento è l' Affinità, la quale non è altro, che una approssimazione di Persona: che nasce dalla copula carnale, la qtale se sarà lecita, come qnella del Màtrimonio, impedisce fino al quarto grado *inclusive*; se sarà illecita, sino al secondo pure *inclusive*.

12. *Si forte coire nequibis*. Il duodecimo impedimento è l' impotenza di poter consumare il Matrimonio, o che proceda da cagione naturale, o da accidentale, purchè sia perpetua.

13. *Si Parochi, et duplicis desit praesentia testis*. Il decimoterzo impedimento è, qnando si celebrasse il Matrimonio senza la presenza del proprio Parroco, e di due Testimonj.

14. *Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae*. Il decimoquarto impedimento è, quando alcuno rubasse una Donna, e mentre sta in sua potestà, contraes-

se con quella *de facto* il Matrimonio: tal Matrimonio è nullo; ma se prima la ponesse separata da se in luogo sicuro, e libero, e quella lo volesse per suo Marito, il Matrimonio sarebbe valido.

In oltre il difetto dell' età di quattordici anni compiti nell' Uomo, e di dodici parimente compiti nella Donna impedisce, ed annulla il Matrimonio, se la malizia, o prudenza da giudicarsi dall' Ordinario non supplisce a detto difetto.

XLII.

ISTRUZIONE AI NOVELLI CONJUGI

Cavata dalla Filotea di S. Francesco di Sales.

Celebrato il Matrimonio, si chiamino da' Parrochi, o da chi ha assistito al Matrimonio o come Delegato, o come Economo, in disparte gli Sposi novelli unitamente ai loro Genitori, ed Avoli, se vi saranno, esclusi però tutti gli altri, e ad essi si leggerà dal Parroco la seguente Istruzione.

La santità del Sagramento, che ora avete Voi ricevuto, richiede che siate avvertiti a vivere in esso con quella purità di cuore, e di corpo, che vi faccia evitar que' disordini, e peccati, i quali si possono pur troppo commettere dai Conjugi nel conversare tra loro. Affinchè ciò non avvenga, ingiunge la Chiesa ai Pastori delle anime di ammonire gli Sposi novelli intorno al modo, con cui debbono custodire, e mantenere l' onestà del letto maritale, che debb' essere immacolato, come afferma l' Apostolo (1), cioè lontano da quelle impudicizie, alle quali si abbandonano coloro, che non hanno di mira, se non lo sfogo della passione della libidine. L' oportuna istruzione, di cui abbisognate su questo proposito, non ci si può dare più acconciamente, che ricavandola da gravi, e sensati ammaestramenti, che ai Maritati ha lasciato il gran Vescovo S. Francesco di Sales (2). Affine di spiegare colla debita convenienza quello, che è lecito tra i Conjugi, e quello, che è loro vietato, si servì egli della similitudine del mangiare.

Il mangiare, dice il Santo, *è ordinato alla conservazione delle persone; e siccome il mangiare unicamente per nudrire, e conservar la persona, è cosa buona, santa, e comandata; così quello, che ricerca il matrimonio per la produzione de',*

(1) *ad Hebr.* 13. 4.

(2) *Filotea Part. III. c.* 39.

figli, e la moltiplicazione delle persone, è cosa buona, e santissima, perchè questo è il fine principale delle nozze.

Il mangiare non per conservare la vita, ma per la scambievole conversazione, e condiscendenza, che noi dobbiamo gli uni agli altri, è cosa molto giusta, ed onesta; e così parimente la scambievole, e legittima sodisfazione delle parti nel santo matrimonio è chiamato debito dal S. Apostolo Paolo, e debito sì grande, che egli non vuole, che l' una delle parti se ne possa esentare senza il libero, e volontario consenso dell' altra, e ciò neppure per capricciose pretensioni di virtù, o per collere, e sdegni.

Siccome quelli, che mangiano per l' obbligo della scambievole conversazione, debbono mangiare liberamente, e non quasi per forza, e di più debbono far quello, che conviene per mostrare di aver appetito, acciocchè la compagnia conosca, e creda, che volontieri, e con affetto si sta con lei; così il debito matrimoniale si dee rendere sempre fedelmente, e liberamente, come appunto se si fosse colla speranza di generar figli, ancorchè per qualche circostanza uno non avesse tale speranza.

Il mangiare non per causa delle due prime ragioni, ma semplicemente per contentare l' appetito è cosa tollerabile, ma non già lodevole, perchè il semplice piacere dell' appetito sensuale non può essere oggetto sufficiente per farvi un' azione lodevole. Lo stesso dicasi del commercio maritale, il quale quando si abbia non per generare figlj, o per rendere il debito, sebbene bensì tollerabile, lodevole non già.

Finalmente il mangiare non per semplice appetito, ma per eccesso, e disordine, è cosa più o meno vituperevole secondo che l' eccesso è più grande, o più piccolo. L' eccesso poi nel mangiare non consiste solamente nella troppo grande quantità del cibo, ma ancora nel modo, e maniera del mangiare. Similmente il commercio maritale, che è così santo, così giusto, così lodato, ed utile alla società; nondimeno in certi casi è pericoloso a quelli che lo pratticano, perchè qualche volta fa, che le loro anime s' infermino assai per i molti peccati veniali, quando vi sia qualche semplice eccesso, e talvolta le fa morire col peccato mortale: il che avviene, quando l' ordine stabilito per la generazione de' figlj, è violato, e pervertito, nel qual caso secondo che più o meno uno si allontana da quest' ordine, i peccati sono più o meno esecrabili, sempre però mortali. Imperciocchè essendo la generazione de' figlj il primo, e principal fine del matrimonio, non si può mai allontanarsi dall' ordine, che essa richiede, ancorchè per altro accidente essa non possa per allora avere il suo effetto, come avviene, quando la sterilità, o la gravidanza di già sopraggiunta impediscono la produzione, e generazione. Perchè in tali occorren-

ze il commercio corporale non lascia di poter essere giusto e santo, perchè le regola della generazione siano osservate, non potendo mai accidente alcuno pregiudicare alle leggi chi ha imposto il fine principale del matrimonio.

Un indizio di uno spirito geloso, vile ed abjetto è il pensare ai cibi, ed al mangiare avanti il tempo della refezione; ed anche di più quando dopo di essa uno si trattiene a pensare al gusto, che ha preso nel mangiare; ed in simile difetto radono talvolta i Maritati coll' immergere i loro pensieri, ed affetti nella sensualità, e piaceri carnali, che hanno gustato, o sono per gustare. Hanno essi di bisogno di avere dinanzi agli occhi l' esempio dell' Elefante. E' questa una grossa bestia, ma la più degna, che viva sopra la terra, e che ha più sentimento delle altre. Vi voglio dire un atto della sua onestà. Egli non muta mai la compagna, ed ama teneramente quella, che ha una volta eletta, colla quale però non conversa, che di tre in tre anni, e questo solamente per cinque giorni, e così segretamente, che non fu mai veduto in tal atto. Si lascia però vedere il sesto giorno, nel quale prima di ogni altra cosa se ne va direttamente a qualche fiume, nel quale lava tutto il suo corpo, senza voler tornare alla mandra, se prima non sia purificato. Non sono questi belli, ed onesti amori di un' animale, coi quali invita i Maritati a non impegnare i loro affetti nella sensualità, e piaceri, i quali in conformità dello stato loro avranno gustati, ma finiti quelli, lavarsene il cuore, e l' affetto, e purificarsi subito per praticare con tutta libertà di spirito le altre azioni più pure, ed elevate? In questo avviso consiste la perfetta prattica dell' eccellente dottrina di S. Paolo (3). Il tempo è breve, dic' egli resta, che quelli, che hanno moglie, siano, come non l' avessero: poichè secondo S. Gregorio colui ha moglie come se non l' avesse, il quale talmente piglia i piaceri corporali con essa, che perciò non venga punto disturbato dalle cose spirituali; e e quello, che si dice del marito, s' intende parimente della moglie. Sin quì vi ha parlato S. Francesco di Sales, e vi ha ammoniti ed istrutti intorno ai difetti, e peccati, che nel commercio maritale dovete evitare. Se questi giusti, e santi ammaestramenti saranno da Voi fedelmente eseguiti, discenderanno sopra di Voi quelle celesti benedizioni, che il Santo Arcangelo Raffaele promise al giovane Tobia, quando si unì in matrimonio alla Santa sua Sposa, benedizioni, che in questo giorno la Chiesa ha implorate sopra di Voi.

(3) 1. *ad Cor.* 4. 29.

XLIII.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV. de Matrimoniis occultis, quibus, et quomodo sint permittenda, quibusque cautelis celebranda, et in actis describenda, quomodo consulendum educationi, et indemnitati prolis.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Satis vobis compertum esse non dubitamus, *Venerabiles Fratres*, eam semper fuisse piae Matris Ecclesiae vigilem curam, ut Sacramentum Matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncupatum, publice, et palam a Fidelibus celebretur. Quod quidem, ut diligentius, quam antea factum fuerat, inposterum ab omnibus observaretur, sancta Tridentina Synodus, Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhaerendo, praecepit, ut imposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio Contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur; deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiae, coram Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus Testibus praesentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem sancta Synodus, apud Parochum diligenter librum custodiri, in quo Conjugum, et Testium nomina, diesque, et locus Matrimonii describantur.

§. 1. Providae tamen hujusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutae, prava horum temporum conditione sensim prolabi visae sunt, et enerves propemodum reddi, ob Matrimonia usu nimis recepta, quae occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, et in tenebris ignorantiae perpetuo jaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis praeviis factis denunciationibus, coram solo Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, adhibita praesentia tantum duorum Testium apposite a Contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta; remque peragi saepe extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo, semota alterius cujusvis praesentia, scientia initi Matrimonii, praeter Parochi, Contrahentium, Testiumque personas, alios penitus effugiat.

§. 2. Quantum a Sacramenti dignitate, et ab Ecclesiasticarum legum praescripto occulta haec Matrimonia, *Conscientiae* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, praesertim vero eorum, qui, Divini Judicii interminatione posthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri Matrimonii decepta, et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravae cupiditates excoecant, ut novum contrahere secretum Matrimonium audeant, post alterum secreto itidem contractum, et nondum prioris conjugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiae devenere, ut in hujus magni Sacramenti contemptum, post primas secreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his Matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque Matrimonii suspicionem submovendam, virum seorsim a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitàe consuetudo, et contemptum est verbum Domini: *Adhaerebit homo uxori suae, et erunt duo in carne una*: Sin haec vitae consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, et, utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti Matrimonii, quod in tenebris delitescit, et ab omnibus ignoratur.

§. 3. Leviòra quoque damna non sunt, quae susceptae proli irrogantur. Saepe enim contingit, illam a parentibus, et a matre praesertim amotam nec pie, nec liberaliter institui, sed incertis fortunae casibus objectam relinqui, nisi etiam parentes ipsi, contra naturae leges, ausu nefario illius vitae insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat, alia imminet liberis susceptis ex occulto Matrimonio lugenda avitarum facultatum, et bonorum jactura, pro quorum possessione assequenda quamvis clament jura sanguinis, illis tamen careant, necesse est, propter occulta parentum Matrimonia, et ademptam legitimitatis, et filiationis probationem.

§. 4. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta Matrimonia contracta a filiisfamilias contra patris juste dissentientis voluntatem, ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus Ordinibus constituti Pensiones, et Beneficia ad Divinum Cultum, et Ecclesiastica munia instituta, etiam

post initum clam Matrimonium retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

§. 5. Deflenda haec igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, quum ex hac Apostolicae Sedis specula omnes sibi vindicet Nostrae vigilantiae curas, temperare non possumus, quin Vos ipsos, Venerabiles Fratres, in partem Nostrae sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super grege Vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliores ad remittendum Publicationes, a quibus contracturi Matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si praecesserint Denunciationes; tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus Testibus praesentibus, Matrimonium celebretur, et deinde ante illius consummationem Denunciationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Praeterea licet Episcopo relictum sit omnimode super Denunciationibus dispensare, haec tamen facilitas non a sola Dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae, discretique arbitrii legibus; quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

§. 6. Parem quoque, imo fortasse majorem vigilantiam necesse est a Vobis adhiberi, ne post remissas Denunciationes celebretur Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso Parocho, vel a Vobis deputato, praesentibus duobus, vel tribus Testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriatur. Id enim, ut ad praescriptum sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis, et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur. A sacro Nostrae Poenitentiariae Tribunali eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi Matrimonium, quo vir, et foemina in figura Matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent. Facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset, eos, a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum Matrimonium praeviis Denunciationibus compelli. Hanc vero praxim Vobis duximus proponendam, non quia dispensatio praemisso casui solum congruat, quum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat sed quia Vestri Pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima, et urgenti causa dispensationis, ne Matrimo-

nia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

§. 7. Hunc porro in scopum Vos hortamur, et impense admonemus, ut personarum Matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a Vobis inquisitio: an scilicet ejus qualitatis, gradus, et conditionis sint, quae id probe exposcant; an sint sui, vel alieni juris, an filiifamilias, quorum nuptiae patri juste dissentienti sint invisae; ab Episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem praeberi filio inobedientiae occasionem: an res sit de Personis Ecclesiasticis, licet in minoribus Ordinibus constitutis, Pensiones, et Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet Vestra sollicitudo, antequam secreti Matrimonii licentia concedatur, quod Contrahentes clara, et indubia, et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamiae periculum.

§. 8. Quod attinet ad Ministrum secreti Matrimonii, volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex Contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, et diuturnus rerum usus quovis Sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quae tamen Vobis occurrant circumstantiae, quae alium Sacerdotem loco Parochi exposcere videantur, gravi impellente causa, is Sacerdos a Vobis eligatur, qui probitate, et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur.

§. 9. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Ministro a Vobis deputando districte praecipiatur, ne Matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate conjuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro Baptismatis Lavacro, ac Christo Judici districtam reddituros esse rationem, nisi filios, ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patiantur bonis temporalibus, a majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

§. 10. Celebrato autem Matrimonio, indilate a Parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum cum nota loci, et temporis, Testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestae rei memoriam praefatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo Matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujusmodi liber pro Matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, et sigillis obsignatus, in vestra Episcopali Cancellaria caute erit custodiendus, et eo tantum casu resigna-

u 2

ri, et aperiri, vestra accedente licentia, patiemini, quo alia id genus Matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiae administrandae necessitas, vel demnm aliqnod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: sedulo tamen animadvertentes, quod, re absoluta, denuo claudatur, et sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu attestationes clam celebrati Matrimonii a Parocho, vel Sacerdote, qui vices Parochi gessit, exarandae, Vobisque exhibendae, transcribantur in dicto libro, prout jacent de verbo ad verbum, a persona a Vobis deputanda, quae apud omnes integritatis, probatiqne nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, et attestationes ipsae in secretiori loco, sartae, tectaeque a Vobis serventur.

§. 11. Quod si ex occulto hujusmodi Matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aqua Baptismi in Ecclesia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum Matrimonium, facile est in libro Baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consulto reticeri; volumus, ac expresse mandamus, qnod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre suscepta proles Vobis denuncietur; dictaque denunciatio fiat vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo, et clare Vobis constet, quod proles tali loco, et tempore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus parentum baptizata, est legitima, licet occulti Matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia cum Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a Vobis est potestas adnotandi Matrimonia occulta celebrata. Liber, in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero Matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdemque cautelis in Cancellaria Episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout librum Matrimoniornm caute custodiri supra mandavimus.

§. 12. Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriae conscientiae vocibus obsurdescant, et nostris hisce mandatis parere negligant, debita poenarum districtione pro modo culpae a Vobis puniantur. Quinimo quum satis Nobis experientia compertum sit, in hujusmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, et a recte agendi semita revocari; mandamus idcirco, Matrimonia occulta a Vobis evulgari, et nota fieri, si certo Vobis constiterit, ex aliquo Matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla praestita Vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus, intra triginta dies a nativitate numerandos.

§. 13. Ne autem contumaces, et inobedientes, violatae fidei, proditique secreti Pastores suos insimulent, sedulo a Vobis curandum est, ut a Parocho, vel alio Sacerdote pro secreta celebratione Matrimonii a Vobis deputando, Conjuges clare, et aperte moneantur, ea lege, et pacto illis permitti secreti Matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro Baptismate, sed post Baptisma denuntietur Episcopo cum nota loci, et temporis administrati Sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra praemissum est: alioquin Matrimonium, licet contractum data per Episcopum secreti fide, in lucem proferetur in gratiam filiorum, et ad propulsandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam.

La Chiesa, che cerca in terra di emulare Quella, che trionfante solennizza in Cielo con eterno cantico le nozze dell' Agnello, procurò sempre di verificare in se quella ordinata schiera, che nelle loro antiveggenze mirarono con gaudio i Profeti richiamare gli amorevoli sguardi dell'Altissimo. Quindi l' esteriore apparato venerando delle Sacre Liturgie, e l' augusto sistema degli Ecclesiastici Riti, e la imponenza divota delle festive celebrità pompeggiò fra le angustie eziandio de' primi tempi: e le cupe Grotte perciò, e le profonde Arenarie, e le mortuarie Catacombe, lo spettacolo commovente presentarono delle sante cerimonie, che fra lo splendore delle faci, e fra l' odore degl' incensi vi solennizzavano i Fedeli, l' Ostia gradevole offerendo al Signore della Preghiera comune, e del pubblico omaggio di loro Religione. Ebbero così principio fra

quelle divote Adunanze le Processioni, che apprese già ne' misteriosi giri dell' Arca intorno alle mura della ostinata Gerico, agevolmente s' introdussero fra i primi Adoratori della Croce (1), e poscia a tanta solennità pervennero, ed a tanta pompa, quanta per tacerne degli altri ne contesta e Basilio il Grande (2), e Tertulliano (3), e il Nazianzeno (4), e Gregorio Turonense (5).

Ma quella freddezza di spirito, quelle umane considerazioni, que' subalterni fini, che le opere più sante, più che tignuola vorace, corrompono miseramente, in così religiosa funzione eziandio ebbero luogo; e dobbiamo perciò compiangere anche in essa mutato l'oro primo, e il fuco introdotto, e il vano della mondana menzogna. Tali abusi è nostro obbligo di svellere, per quanto è in noi, onde bella, e senza macchia sorga l'opera di Dio; ed è perciò, che necessario ci è reso pubblicare alcune prescrizioni, che analogamente ai sacri Canoni, e alle particolari nostre Costituzioni debbonsi onninamente eseguire.

I. Si ricorda, che senza nostro espresso consenso non può farsi nuova Processione (6) oltre quelle consuete: estendesi tale disposizione di diritto ai Regolari eziandio, i quali potranno solo fare le processioni nel recinto del loro Convento, o intorno alla loro Chiesa (7).

II. Si vietano le Processioni di notte, e procurisi perciò sempre che al tramontare del sole sieno esse compite.

III. Le Confraternite, e il Clero Secolare, e Regolare si adunino alla Chiesa, d'onde deve avere principio la Processione, non ammettendosi, che per via ad essa si uniscano. Le strade siansi ripulite, e nulla siavi, che presenti idea di vanità, o di profano apparato. Abbiasi questo in considerazione specialmente nelle Processioni del Corpus Domini, per le quali soglionsi fare per maggiore festività pubblici addobbi. Sono per tale riflesso vietati i sbari di mortari, e di fucile, o altro qualsiasi nelle strade, ove dovrà transitare la Processione. Le Botteghe, e pubblici Ridotti nelle strade, ove passa la Processione, si chiuderanno, durante la medesima, anche ne' giorni Feriali.

IV. Si osservi tranquillamente da quelli, che hanno luogo nelle Processioni il luogo, che loro rispettivamente compete. Nascendo su questo contese, i nostri Vicarj Generali, e Foranei prenderanno sul momento quelle disposizio-

(1) *Baron. in Annal. ad an. Chr.58. Lupus de Process.*
(2) *Lib.* 1.
(3) *Lib. 2. ad uxorem.*
(4) *Orat.* 42.
(5) *Lib. 2. cap.* 31.
(6) *Trid. Sess. 21. de Regular. c.13.*
(7) *S.C.R. in Savon.17.Sept.1671.*

ni provisorie, che crederanno più espedienti senza pregiudizio delli diritti delle parti da esaminarsi in seguito con maturità. Saranno puniti quelli, che con genio torbido vi si opponessero, e dessere causa a dissenzioni, e a litigj. Qualunque atto di pubblica disubbidienza, di insubordinazione, di inquietezza sarà severamente punito.

V. Si accompagni da ognuno tale esercizio di Religione con quelli sentimenti di pietà, di raccoglimento, di compostezza, che edifichino gli astanti, e grato rendano al Signore, che vede i cuori, il tribnto, che gli si offre di venerazione, e di preghiera. Sieno quindi e nell' abito esteriore, e nell' incesso, e nel portamento sbanditi tutti gli atti, che mal si convengono alla santità, e decoro dell' azione. Quelli, che in ciò mancassero, e quelli in specie, che lungi di presentare un spettacolo gradevole e agli Angeli, e agli uomini, dassero motivo di scandalo, incorreranno in pene afflittive, e pecuniarie.

VI. Si proveda da quelli, che saranno a ciò deputati, che le donne non vàdano miste cogli uomini: sienvi fra esse, e fra gli uomini due Ecclesiastici provetti, o due Fratelli col sacco, che intuonino il Rosario.

VII. I Parrochi notificheranno al Popolo nella Festa antecedente la Processione, che va ad eseguirsi nella settimana, indicando anche le Indulgenze, che possono lucrare quelli, che vi intervengono. Il suono delle campane la festeggerà nella sera avanti, e nell' atto, che succede.

VIII. Si inculca alli Superiori delle Chiese, alli Officiali delle Confraternite, alli Deputati delle Processioni di fare in modo, che tutto succeda con quell' ordine, con quel sistema, e con quella edificazione, che merita l' augusta funzione, che si compie.

Sia per tal modo, che allo spirito si corrisponda della Chiesa nell' introdurre questi pii esercizi, e frutto ne sia l' atterramento delle mistiche mure della perversa Gerico, e l' abbondanza della ruggiada del cielo, e della pinguedine della terra, la pienezza vale a dirè delle Benedizioni Celesti, quale a tutto il nostro Gregge imploriamo colla mediazione della Madre di ogni grazia MARIA SANTISSIMA.

Dato in Roma dal Nostro Palazzo li 10. Agosto 1816.

ALESSANDRO ec.

Sebastiano Lazzarini Seg.

XV.

ORDINAZIONI, E TASSA PEI FUNERALI.

ALESSANDRO ec.

Fu sempre anche presso le Nazioni Pagane un' oggetto di Religione tutto quello, che gli ultimi offici riguardano, che prestansi alli Corpi de' Defonti: ma consapevoli noi, che furono essi Tempj viventi del Signore, dalle acque salutari in prima del Battesimo, e poi dai sacri Crismi in tante guise consacrati, illuminati da quella Fede, che verità sì venerande ci insegna, dobbiamo con assai maggiore premura procurare l'adempimento di ciò, che in riflesso alle medesime i Sacri Canoni, e le particolari Ordinazioni prescrivono. Sono a questo dirette le disposizioni, che a comune regolamento si sono sulli Funerali ingiunte nel Sinodo: ma perchè possono vili interessi deturpare un' azione, che quando anche la Religione tacesse, la stessa naturale carità ci raccomanda altamente, abbiamo creduto di determinare una Tassa col consenso del Venerabil Ceto de' Parrochi a tal fine chiamati a congresso, quale vogliamo onninamente, che si osservi nelle nostre Città, e Diocesi.

Noi non dubitiamo, che saranno tutti fedeli, e docili nell' uniformarvisi, memori di ciò, che il Rituale Romano rimarca, che cioè sieno tutti contenti *iis eleemosynis, quae aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit*, essendo i Sacri Riti, e le funeree Cerimonie instituite dalla Chiesa *ad Defunctorum salutem, simulque ad Vivorum pietatem, non ad quaestum* (1). Il Pontefice S. Gregorio con aurea sentenza ad un Vescovo di Sardegna il proclamò, quale vorremmo scolpita negli animi di tutti (2). *Procul nimis est a Sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quaerere .... Valde enim irreligiosum, ut aut fortasse venalis, quod absit, dicatur Ecclesia, aut Vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum Cadaveribus studeatis quaerere quolibet modo compendium.*

ORDINAZIONI GENERALI.

I. Il Parroco ricevuta la notizia della morte di alcuno de' suoi Parrocchiani, farà colla campana suonare il segno del Transito, onde scossi i Fedeli da

(1) *Rit. de Exequiis* §. *Caveant*. (2) *Lib.* 7. *Ep.* 56.

tal segno riflettano di dovere anch' essi morire un giorno, e si affrettino a fare suffragj pel Defonto. Si darà la mattina tal segno, qualora avvenga la morte nella notte. Sarà sua premura informarsi della volontà del Defonto specialmente sul Funerale, affine di invigilarne all' adempimento.

II. Saranno firmate dal Parroco le liste pei funerali, se si richiedono dalli Eredi, onde ravvisinsi uniformi alla Tassa.

III. Essendo il solo Parroco a norma del Rituale l'unica Persona necessaria per le Sacre Cerimonie pei trasporti de' Cadaveri alla Chiesa, non potranno sforzarsi gli Eredi ad invitare altri neppure col titolo di Compagno, se si eccettui il Cherico per la Croce.

IV. Nel portarsi i Cadaveri alla Sepoltura si faccia la strada più comoda, e più breve, nè si portino in giro: Il Parroco dovrà indicare, quale essa debba essere (3). Non si usino per la strada canti concertati, e musicali, ma sia esso grave, e divoto secondo il Rituale. Il Clero Secolare, e Regolare, e le Confraternite dovranno alternativamente cantare, o recitare secondo il respettivo istituto i Salmi, che a ciò sono assegnati nel Rituale istesso (4). Pei Morti di Stola nera non si pongano nel Feretro ornamenti di vanità, ma solo le cose convenienti al grado, e alla dignità, e proprie di lutto.

V. Quelli, che sono invitati alle Associazioni, si trovino all'ora assegnata nella Chiesa del Parroco del Defonto, sebbene sieno essi una corporazione Regolare, ovvero alla Chiesa Cattedrale, quando anche non sia il Defonto di quella Parrocchia, qualora debba intervenire il Capitolo della medesima (5).

VI. Si osservino con esattezza le leggi prescritte sulli diritti di tumulazione, allegate nel Sinodo, nè siavi, chi attenti di violarle.

VII. Sia istrutto ogni Parroco su quelli, che i Sacri Canoni dichiarano indegni di Ecclesiastica Sepoltura: interpellino però i Vicarj Generali, e Foranei ne' casi particolari, in cui credano doverla negare a qualche Defonto, purchè non sia qualche infante non battezzato, pe' quali evvi fuori del Sacro il luogo destinato.

VIII. Quando le Esequie si fanno sopra il Cadavere subito depositato nella Chiesa, assisteranno alle medesime tutti quelli, che dal Clero, e dalle Confraternite si chiamarono per l' associazione: cantino anch' essi le preci prescritte, unendo alla voce il cuore, onde eterno riposo implorino al Defonto, e

(3) *Bened. XIV. Instit.* 70. §. 7.

(4) *Rit. de Exequ. Bened. XIV. Instit.* 36. §. 14.

(5) *Statut. Cleri Rom. pag.* 36. §. 1. *et S.C.C. pluribus in Resolut.*

pari sorte felice ottengano a se stessi, persuasi, che possono sul momeǹto essere anch'essi chiamati alla eternità, ed eguale lugubre cerimonia possa per loro rinnovarsi in quel punto.

IX. La Quarta funerale, gli emolumenti, la porzione di spoglio sieno religiosamente sodisfatte secondo le Costituzioni Sinodali, e in uniformità alla presente Tassa.

X. I Parrochi sono particolarmente incaricati di queste disposizioni, e copia della presente Notificazione sarà sempre affissa nella nostra Cattedrale, e in tutte le Sagrestie, non che in tutti gli Oratorj delle Confraternite.

TASSA DEI FUNERALI.

1. Per la levata, e per l'accompagno, quando i Cadaveri siano minori di anni sette, si diano libra una, ed oncie sei Cera, cioè una torcia di una libra, e sei candele di un'oncia: se poi la levata è di notte, si dia il doppio, cioè la torcia di una libra, e dodici candele di oncie due.

2. Per la levata dei Cadaveri sopra li sette anni, si diano al Parroco per il così detto *mazzetto* libre tre cera, cioè la torcia di due libre, e sei candele di due oncie; se poi la levata sarà di notte, si daranno libre quattro, cioè la torcia di due libre, e dodici Candele di due oncie.

3. Rapporto ai Cadaveri dei Poveri, il Parroco dovrà associarli gratis, e nascendo qualche vertenza sulla povertà del defonto, spetterà a Noi, o al nostro Vicario Generale di scoprirne la verità, e darne gli ordini opportuni.

4. Per i passaggi, che si faranno per le Parocchie nel trasportare li Cadaveri da una Parocchia all'altra, la sola Chiesa, da cui si leva il Cadavere, e quella, in cui si seppellisce, dovrà percepire il solito emolumento, o sia mazzetto di accompagno.

5. Se saranno invitati Sacerdoti, e Chierici ad accompagnare qualunque Cadavere, si darà a questi la Candela di due oncie, ed un paolo alli Sacerdoti, e bajocchi cinque alli Chierici.

6. Accedendo i Religiosi, come invitati all'accompagno dei Cadaveri, si dia a questi la Candela di due oncie, ed al Convento la solita torcia di due libre.

7. Le Confraternite chiamate ad associare li cadaveri avranno gli emolumenti regolati secondo il numero delle Coppie, che si vorranno, e nel modo seguente.

8. Per Coppie quattro di Fratelli si percepirà dalla Confraternita scudo uno, e darà la Confraternita medesima a ciascuno de'Fratelli la candela di un'

oncia, fra i quali vengono compresi li quattro Incollatori, Quello, che porta lo Stendardino, ed il Proveditore, e la candela sarà propria di ciascun Fratello. Accrescendosi poi il numero delle coppie, crescerà l' emolumento alla Confraternita in ragione di un paolo per coppia.

9. Accompagnandosi il Cadavere prima dell' Aurora, o dopo le ventiquattro ore, la Candela dei Fratelli sarà di oncie due, ed alla Confraternita si accresceranno baj. sessanta.

10. Per quei Cadaveri, che vengono accompagnati di notte colla sola Croce, e Cataletto, si darà alla Confraternita di tassa scudo uno, e bajocchi cinquanta, compreso l' obbligo di seppellirlo.

11. I poveri saranno associati dalla Confraternita della Pietà per Carità, e saranno seppelliti senza pretendere alcun emolumento.

12. Se li parenti stabilissero di fare esporre il Cadavere con due sole torcie di due libre l' una, e sei candele di mezza libra per la Messa cantata, e due Candele di due oncie per ciascun Altare della Chiesa, in questo caso il Cadavere dovrà essere esposto sopra il Cataletto. Come ancora se si esporrà il cadavere senza farvi celebrare alcuna Messa letta, allora i parenti del Defonto non saranno tenuti a mettere le due candele di due oncie per ciascun altare, ma bensì due soltanto nell'Altare, incontro al quale sarà esposto il Cadavere. In ordine alli Defonti, ascritti al Numero di qualche Confraternita, dovranno questi essere esposti nella maniera suddetta (purchè dalli parenti del defonto non si ordinasse diversamente), e dovrà la Confraternita dare alla Chiesa tutta la Cera promessa nella Patente, e le quattro Candele di mezza libra, che dovrebbero ardere intorno al Cadavere, si devono mettere nell' Altare, e queste arderanno sino al tempo della Messa cantata.

13. Se poi si volesse esporre il Cadavere sopra la così detta *pietrella*, allora si dovranno mettere intorno al Cadavere quattro torcie di due libre, e quattro Candele di una libra, oltre sei Candele parimenti di una libra nell' Altare per la Messa Cantata, e le due Candele di due oncie per ciascun Altare per le Messe lette, se saranno ordinate.

14. Finalmente se il Cadavere sarà esposto sopra il pavimento, le torcie dovranno essere non meno di sei tutte di due libre, oltre le altre, come si è detto di sopra, e sarà in libertà dei Parenti di accrescere il numero delle Torcie, come loro piacerà.

Li Sig. Canonici poi, Beneficiati, e semplici Sacerdoti, stante il loro carattere, dovranno essere esposti in maniera decente rivestiti coll' insegna ecclesiastica del loro Ordine, e Grado (6), ed il numero delle Torcie sarà ad arbi-

trio delli Parenti, qualora li medesimi non avessero disposto rapporto alla pompa del loro Funerale.

15. Coloro, che brameranno di fare apporre nella facciata, ed altra parte della Chiesa le armi gentilizie della Famiglia del defonto, dovranno pagare un Zecchino di oro da applicarsi a beneficio della Sagrestìa.

16. Siccome nell' esposizione di qualunque cadavere vi dovrà essere la Messa Càntata, questa dovrà sempre celebrarsi con li Ministri, e si daranno per emolumento baj. settantacinque da distribuirsi fra il Celebrante, Ministri, Cantori, e Sagrestano, e per le esequie si daranno ai medesimi le Candele di un oncia per accendere, e altre di due oncie, compresivi li Chierici della Chiesa, ed al Celebrante si daranno doppie, cioè due candele di due oncie, e due di un oncia per accendere.

Dalla sudetta tassa di baj. 75. per la Messa cantata con Ministri viene esclusa la Basilica Cattedrale di S. Clemente, mentre per questa la tassa per la Messa cantata con Ministri sarà di scudo uno, e baj. cinque, e per la messa cantata semplice di baj. 75.

Se dagli Eredi del Defonto si vorrà far cantare l' Uffizio de Morti, si daranno per il Parroco baj. venti, e baj. dieci per ogni Cantore, restando all' arbitrio di dare la candela per il medesimo Uffizio.

17. Rapporto poi al suono della Campana, ed all' esposizione del Cadavere, si osserverà la Tassa seguente.

Per il suono della Campana baj. trenta.

Se il Cadavere sarà esposto nella Barra, baj. quindici.

Se sarà esposto sopra la pietrella, baj. trenta.

Se sarà esposto per terra, baj. cinquanta.

Se sarà esposto sopra il palco essendo Sacerdote, baj. ottanta.

Per la Basilica poi di S. Clemente, se il Cadàvere sarà esposto nel mezzo della Chiesa, vi si dovranno accendere intorno torcie ventiquattro di due libre, oltre altre quattro di una libra per li controlumi, e sei Candele di libra per l' Altare maggiore.

Nel caso fosse invitato il Capitolo per l' associazione, si darà alli Sig. Canonici, Benefiziati, e Seminario la Candela secondo il solito, qual metodo dovrà osservarsi anche nelle esequie da farsi ai Cadaveri esposti, come sopra. Rapporto poi all' accompagno, sotterratorio, e funerali ordinarj, si osserverà il metodo prescritto di sopra colle seguenti distinzioni.

(6) *Rit. de Exequ... Edict. sub Clement. XI. 9. Jan. 1705.*

Per il suono della Campana grande si pagheranno baj. sessanta.

Se il Cadavere sarà esposto incontro la Cappella della Madonna SSma delle Grazie, si darà alla Sagrestia scudo uno.

Chi vorrà esser sepolto nel sepolcro della suddetta Cappella, pagherà, com'è il solito, scudi dieci.

Chi finalmente vorrà esser sepolto in luogo separato, premessa la dovuta licenza, pagherà scudi dieci, oltre la spesa dello scavo, quali scudi dieci si applicheranno alla Sagrestia.

ALESSANDRO CARD. VESCOVO.

Sebastiano Lazzarini Segretario.

APPENDIX

QUARTAE PARTIS

Num. I.

FORMULA JURAMENTORUM

§. 1.

Juramentum ferendum ab iis, qui Dignitatem, vel Canonicatum, vel Paroeciam adepti sint.

Ego N. provisus de Ecclesia N. (*si Ecclesia in titulum collata fuerit*) *seu* de Dignitate, Canonicatu, *vel* de Beneficio in Ecclesia N. juro, me futurum fidelem, et obedientem Sanctae Matri Ecclesiae Catholicae Romanae, et Emo ac Rmo D. S. R. E. Card. Episcopo Ostien. et Veliternen. et cuicumque ejus legitimo Successori: neque me de bonis Ecclesiae praedictae, *seu* Dignitatis, Canonicatus, *vel* Beneficii, aut de ejus fructibus, seu super eis pacta illicita cum ullo prorsus inivisse; Juro item, de bonis ejusdem Ecclesiae, *seu* Dignitatis, *vel* Canonicatus, *vel* Beneficii, tam Mobilibus, quam Immobilibus Inventarium, quamprimum potero, me facturum, et intra Menses duos Ordinario exhibiturum: Possessiones, et Bona in ipsam Ecclesiam, *seu* Dignitatem, *vel* Canonicatum, *vel* Beneficium pertinentes, et pertinentia non vendidurum, donaturum, pignoraturum, aut alias quovis modo contra juris dispositionem alienaturum, immo alienata, et distracta pro posse recuperaturum, et Ecclesiae, *seu* Dignitatis, *vel* Canonicatui, *vel* Beneficii jura defensurum: Ecclesiaeque ipsi, *seu* Dignitati, *vel* Canonicatui, *vel* Beneficio per me deserviturum, et ad eam, *vel* eum, *seu* illud assiduam Residentiam facturum: et Constitutiones, ac Statuta praedictae Ecclesiae N. me servaturum. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

§. 2.

Juramentum pro iis, qui Beneficio simplici donati sunt.

Ego N. provisus de Beneficio in Ecclesia N. juro me futurum fidelem, et obedientem Sanctae Matri Ecclesiae Catholicae Romanae, et Emo, ac Rmo D.

S.R.E.Card. Episcopo Ostien. et Veliternen. et cuicumque ejus legitimo Successori: Neque me de bonis Beneficii praedicti, aut de ejus fructibus, aut super eis pacta aliqua illicita cum ullo prorsus inivisse; Juro item de bonis ejusdem Beneficii tam Mobilibus, quam Immobilibus Inventarium, quam primum potero, me facturum, et intra duos menses Ordinario exhibiturum, juxta praescripta in Dioecesana Synodo. Possessiones, et Bona ad ipsum Beneficium pertinentes, et pertinentia non venditurum, donaturum, pignoraturum, aut alio quovis modo contra Juris dispositionem alienaturum, immo alienata pro meis viribus recuperaturum, et Beneficii jura defensurum. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

§. 3.

Juramentum pro iis, qui ex Praesentatione Beneficia suscepere.

Ego N. nominatus, et praesentatus, *vel* electus ad Ecclesiam, *seu* Canonicatum, *vel* Beneficium N. juro, neque me, Ecclesiae, *seu* Canonicatus, *vel* Beneficii obtinendi gratia, ut ad illam, *vel* ad illum, *vel* ad illud praesentarer, vel nominarer, vel eligerer, neque alium quemquam meo nomine, me sciente, et consentiente, quidquam Patrono, seu Patronis, vel cuiquam alteri promisisse, donasse, compensasse, aut prius datum confirmasse, vel apud quemquam deposuisse, aut mutuo dedisse, vel donasse, sive prius mutuo datum, donatum, commodatum, aut quocumque titulo mihi debitum remisisse: neque de bonis aut fructibus, et oblationibus praeteritis, praesentibus, et futuris, donationem, remissionem, locationem, promissionem fecisse, promisisse, aut inivisse. Juro me futurum fidelem, *ut in prima formula* §. 1.

§. 4.

Formula pro Examinatoribus.

Ego N. Examinator in Synodo electus promitto, spondeo, ac juro, munus, et officium mihi demandatum me fideliter quacumque humana affectione postposita, et sincere, quantum in me est, executurum. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

§. 5.

Formula Juramenti praestandi a Punctatore Capituli.

Ego N. Chori Ecclesiae Cathedralis, *vel* Collegiatae N. Punctator electus, promitto, spondeo, et juro, me officium, quod suscepi, fideliter, et sincere, quantum in me est, executurum, et impleturum, nec quidquam in eo favore, aut gratia humana acturum. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

§. 6.

Juramentum emittendum per Officiales a Capitulo electos.

Ego N. hujus Cathedralis (*vel* Collegiatae) Ecclesiae Canonicus juro, me Officium Camerarii, *vel* Sacristae, *vel* Syndici, *vel* Archivistae, *vel* Secretarii ab hoc Capitulo injunctum, sincere, et fideliter, sicut humana conditio patitur, impleturum, juxta ejusdem Capituli approbata statuta. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

§. 7.

Formula Juramenti praestandi a Cancellariis.

Ego N. Curiae Episcopalis N. Cancellarius electus, promitto, spondeo, et juro, me officium, quod suscepi, fideliter, et sincere, quantum in me est, executurum, et impleturum, nec quidquam in eo favore, aut gratia humana acturum: sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

§. 8.

Formula juramenti a Ludi Magistris emittendi.

Ego N. juro me, quantum humana fragilitas poterit, fideliter servaturum decretum Sacrosancti Concilii Lateranensis V. sub Leone X. celebrati, quo sic statuitur = Ut Magistri Scholarum, et Praeceptores pueros suos, sive adolescentes, nedum in Grammatica, ac ceteris hujusmodi erudire, et instituere de-

beant ; verum etiam docere teneantur ea, quae ad Religionem pertinent, ut sunt praecepta divina, articuli Fidei, sacri Hymni, et Psalmi, ac Sanctorum vitae ; diebusque festivis nihil aliud eos docere possint, quam in rebus ad Religionem, et bonos mores pertinentibus; eosque in illis instruere, hortari, et cogere, in quantum possint, teneantur, ut nedum ad Missas, sed etiam ad Vesperas, divinaque officia audienda, ad Ecclesias accedant, et similiter ad praedicationes, et sermones audiendos impellant; nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere possint: Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

II.

EX CLEMENTIS XIII.

Constitutione: Quum primum: *de Clericis Negotiatoribus, et in saecularia negotia se immiscentibus.*

Quum primum incomprehensibili Pastoris aeterni judicio in Beati Petri Cathedra constituti, Dominici Gregis curam suscepimus . . . . . .

In quo sane duo Vobis magnopere cavenda erunt: Primum videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Saepe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudolenter componant, ut, quatenus eorum crimen in judicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi, suaeque cupiditati inservientis, persona, aut alieno nomine tabulis, et rationum libris inscripto, negotiationem, aut conductionem, de qua quaeritur, ad se nequaquam pertinere contendent: modo scientes, intra quos fines districtior legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut, si de lucrosis quaestibus a Superiore arguantur, defendere possint, non se turpi cupiditate adductos ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua, sed suorum, aut sanguinis, aut alio necessitudinis vinculo sibi conjunctorum bona, negotiationibus implicita, ad eorum sustentationem, ex charitatis officio, et directionis titulo, procurare se praedicabunt.

Quamvis autem, propria etiam experientia in Episcopalis officii muneribus obeundis, satis edocti simus, quam difficile sit judicium ferre de peculiaribus

quibusdam casibus, in quibus potiorem sibi partem vindicat bona, vel mala fides illius, qui de illicita negotiatione accusatur; non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuam fore, ubi saltem Ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super hujus gravissimi Ecclesiasticae disciplinae capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod Vestram, Ecclesiaeque mentem ab obscurioribus etiam eorum praevaricationibus abhorrentem saepius testatam facietis; iisdemque, oblata opportunitate, graviter denuntiabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes, et corda scrutatur, nihilque apud supremum illius Tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc Ecclesiae Praesulem decipere, indictasque legibus poenas declinare satagunt. Caeterum non omnino impossibile erit latentem rei veritatem plerumque agnoscere, occultumque crimen revincere, si debita cura, atque solertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitae tenore se produnt, rerumque, et casuum adjuncta, quae allatas excusationes probabilius admittendas, rejiciendasve suadent: id, quod exemplis illustrare facile possemus, nisi de Fraternitatum Vestrarum sapientia, et rerum usu, quantum par est, in Domino confideremus.

Alterum vero, quod aeque cavere debetis, illud est, ne pravas Canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur, aut indulgentia praeter fas extenditur, praeter mentem, et spiritum Ecclesiae, ex privatis opinionibus adinventas, et sine legitimi superioris assensu ad proprii cujusque casus opportunitatem accomodatas, apud Vos ullo modo valere sinatis, ubi Clericorum Saecularium, aut Regularium negotiationem, Vobis judicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quaestio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in Dioecesi ab Ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus, vel potius interdictus censeri debeat, haud aequum erit pro judicandi norma accipere vel frequentiam ipsorum actuum, de quorum natura quaeritur, vel ipsam contrahentium opinionem; sed, ad tollenda dubia, reprimendamque opinantium licentiam, et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc Apostolicam sedem, quae, sicuti alias complures hujus generis quaestiones per organum praesertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum definivit, ita etiam in posterum quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet, idoneis editis responsis, ex quibus agendi, judicandique regula desumi valeat.

Quo in genere, quum acceperimus, perspicuam nostram, et Apostolicae Sedis declarationem desiderari super eo, an Clericis liceat Cambium activum contrahere; quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subjectam putemus,

nihilominus, ad omnem causandi occasionem amputandam, praesentium Litterarum tenore declaramus, ac definimus, Cambium activum, natura sua, esse actum verae, et propriae negotiationis, ideoque Ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam, illud contrahere; quicumque vero e Saeculari, vel Regulari Clero Cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri poenis, atque censuris, quae in Clericos negotiatores constitutae noscuntur.

Si autem Ecclesiasticorum quispiam, ad se excusandum, quod saecularibus negotiis se immisceat, necessitatem proferat indigentiae, non quidem suae (quandoquidem unicuique Clerico canonicus Ordinationis Titulus, vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet, iisque forsan deficientibus, debet ipse honestioribus artibus, suaeque professioni conformibus, propriis necessitatibus consulere) sed aut Parentum, aut Sororum, aliarumque Personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur; primum volumus, atque decernimus, hujusmodi excusationem a Superiore Ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque Clerico minime suffragari posse, quominus ad Canonicae legis praescriptum pro modo culpae puniatur, nisi doceat, se antea praefatas necessitates Apostolicae Sedi, si intra Italiam, et Insulas adjacentes existat, si vero in remotioribus Regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu opportunam dispensationem, et facultatem praedictas Personas industria sua juvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario impetrasse.

Deinde pro eo, quod pertinet ad hujus Curiae Nostrae Officia, notum facimus, Nostram mentem, et voluntatem esse, ut hujusmodi dispensationes, et facultates nunquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductae causae veritati nitantur, et nisi simul constet, praedictas indigentias nulla alia ratione levari posse; eoque etiam casu nunquam Ecclesiasticis permittatur ejusmodi negotiationis genus assumere, cujus administratio Clericalem Statum, et Caracterem dedeceat: quin immo in ipsis Indultorum Rescriptis, et Literis, indicentur, ac praescribantur honestiores modi, quibus Clericus, justa moderatione servata, et intra veram indigentiae mensuram pauperibus Consanguineis opem praestare valeat. Quae omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinent, in hujusmodi dispensationibus, et facultatibus concedendis observare debebunt, hoc insuper advertentes, ne ea, quae vel ab ipsis, vel ab Apostolica Sede, peculiaribus quibusdam Clericis hoc in genere aliquando permissa, et, justis concurrentibus causis, frequentius forsan indulta dignoscuntur, (exempli gratia, ut Ecclesiarum fundos certa annua pensione conventa, colendos, exercendos.

que conducerent) eadem a reliquis Ecclesiasticis, tamquam generaliter omnibus concessa, absque justa causa, et sine speciali Indulto usurpentur.

Caeterum facultates ipsas, etiam, ut supra dictum est, obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro irritis, et revocatis ipso jure habeantur, quoties allegatae Conjunctorum indigentiae cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum executione, tum observantia, Ordinariorum localium vigilantiam, atque conscientiam onerari volumus, et re ipsa oneratam fore denuntiamus.

Verum non uni dumtaxat negotiationi tribuenda est, quae nunc temporis cernitur, Ecclesiasticae Dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus Ecclesiastici Viri proprium decorem, totiusque Caetus, et Ordinis existimationem eo frequentius, atque securius abjicere dignoscuntur, quod eos norunt non tam aperte adversari litterae sacrorum Canonum, et Constitutionum ab Apostolica Sede editarum, proindeque se censuris, et poenis ibidem statutis nequaquam subiiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex praedictorum relatione cognovimus, in ipsa Bonorum suorum administratione, eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium, et ceterorum, quae in propriis, Ecclesiaeve fundis enascuntur, seu aluntur, nec non in comparandis rebus, quae vel ad proprios usus, vel ad fundos praedictos instruendos sunt necessariae, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis, et sollicitudinibus hujus Saeculi deditos, ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut qui sacrae dignitatis praestantia supra humanae conditionis sortem evecti merito reputantur, infra ipsos abjectissimi status homines se se demittant; et qui Filii lucis esse, et apparere deberent, saeculi filios, terrenae aviditatis anxietate, superare videantur. Hos ajebant omnibus Nundinis, atque Mercatibus, laicali propemodum apparatu, ac specie se sistere, nec quidquam minus, quam Clericalis moderationis, atque modestiae, vel Ecclesiastici decoris, et gravitatis specimen praeseferre.

Quibus Nos quidem palam edicimus, nihil per Nos interdictum iri, quod ipsis, pro recta, et provida Ecclesiastici Patrimonii administratione, quo ad ipsam actus naturam, permissum dignoscitur, vel etiam a Sanctis Patribus, et Ecclesiasticarum legum Conditoribus eorum diligentiae commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quae Clericis, quoad rei substantiam, non prohibentur, et tamen eorum usus, sub certis dumtaxat modo, et forma, iisdem permittitur, iis autem, qui praescriptum modum excesserint, statutamque Ecclesiasticae disciplinae formam violaverint, tum temporales poenae, tum etiam spi-

rituales censurae a sacris Canonibus infliguntur; cujus rei innumera extant exempla in generalibus canonici Juris legibus, ac etiam in peculiaribus Dioecesum statutis, quae plura de vita, et honestate, de habitu, et tonsura Clericorum sive observanda, sive vitanda, praescribunt; ita Vos, Venerabiles Fratres, oportet, Ecclesiasticorum omnium, qui in Dioecesibus Vestris versantur, agendi rationem circa praemissa circumspectantes, si quid Vobis constiterit frequentius ab iis admitti, quod Clericalem statum dedeceat, non solum eos instructionibus docere, ut collatae sibi dignitatis celsitudinem cogitantes, non sibi licere putent, indecoris actibus eam deturpare, debitamque Ecclesiastico Ordini existimationem, et reverentiam, quae etiam spiritualibus populorum utilitatibus plurimum prodest, ex Laicorum animis abolere, utque memores, se in sortem Domini vocatos esse, non tam, quae sua sunt, quam quae Jesu Christi quaerant, et curent: sed praeterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis Decretis conditis, ac severioribus Edictis propositis, ejusmodi Clericorum turpitudini, et cupiditati obviam ire; ac delinquentium culpas, habita minoris, majorisque scandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus poenitentiis emendare, nunc demum districto poenarum, ac etiam censurarum gladio, ad caeterorum exemplum coercere, et punire.

Et parem quidem, vel etiam majorem Pastoralis zeli Vestri sollicitudinem, atque constantiam requirit illud corruptelae genus, quod plures Ecclesiasticos viros inficere, et ab Ecclesiae servitiis abductos ad Saeculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui industriam, operamque suam, quam totam Divino cultui, et Proximorum utilitatibus, ex charitatis lege, impendere deberent, laicorum obsequiis, abjectisque servitiis addicere, aliquando etiam eorum negotiis administrandis, curandisque pro temporali, eaque satis vili mercede locare non recusant. In quo difficile est judicare, an magis deflenda sit eorum caecitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius reprehendenda sit laicorum praesumptio, qui Sanctuarii Ministros, a quibus Christianae vitae documenta, aeternaeque Salutis subsidia petere deberent, tam parvipendunt, ut eos in domesticis officiis sibi dicto audientes, servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

Verum quod altius animum Nostrum sollicitat, illud est, ne forte hujusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat, quod nempe aliquibus ad Clericalem statum temere adspirantibus quandoque contingat, fallacibus, corruptisque documentis Ordinarium suum decipere, confictoque sibi Patrimonio, cujus fructus, aut nulli sint, aut ad ipsos non vere pertingant, ad sacros Ordines, absque reditibus ad honestam vitae sustentationem sufficientibus,

promoveri. Quare ne quis Vestrum miretur, Venerabiles Fratres, si hac occasione arrepta, Vos omnes, et singulos enixe hortamur, atque monemus, ut cautiores hac in re, oculatioresque Vos praebeatis, ne cui Subditorum Vestrorum detur ad sacram Ordinationem obrepere, qui ex Beneficio Ecclesiastico, vel Ecclesiastica Pensione, aut ex Patrimonio sibi constituto, in casibus a Jure permissis, omni submota collusione, ac fraude, eam reipsa non percipiat annui reditus summam, quae Synodalibus cujusque Dioecesis statutis, aut legitima consuetudine definita dignoscitur.

Clericos autem, et Sacerdotes, in Laicorum domibus ejusmodi ministeriis addictos, quae eorum gradum, et professionem dedeceant, quaeque eos a Divinis obsequiis, et propriae perfectionis cultura ad illiberalium occupationum, et saecularium negotiorum agitationem traducant, quantumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere adnitantur, ne patiamini quietos in suo dedecore insordescere, aut forte obfirmatos de sua ab Ecclesiae castris defectione impune gloriari; sed omni Pastoralis sollicitudinis studio, et quatenus opus sit, tota Ordinariae, et Delegatae Jurisdictionis Auctoritate, servatis servandis, eosdem ad Ecclesiasticae vitae instituta, et ad Clericalis Militiae munera revocate.....

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Die XVII. Septembris MDCCLIX. Pontificatus Nostri anno secundo.

III.

DECRETA.

Sacrae Congregationis Concilii de negotiatione Clericorum.

Primo: an liceat eis terras Patrimoniales, et Beneficiales per Laicos colere?

Secundo: An pro necessario culturae usu possint emere boves, et alia Animalia, et foetus illorum vendere?

Tertio: An ii, qui in propriis terris habent quercus, vel castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosque alere, et pro familiae sustentatione vendere?

Quarto. An iidem Clerici cum foliis suarum arborum possint in propriis Aedibus arti Sericae operam dare. vel idem opus dare ad medietatem, seu ad quartum, et fructus inde percipiendos vendere absque reatu illicitae negotiationis?

Quinto. an Clerici paupores ad suam, suaeque familiae sustentaticnem possint terras Ecclesiae conducere?

Sexto. An possit locare boves, oves, Animalia, quae habent ex successiote, vel aliis debitis, vel décimis, eorumque fructus vendere?

Septimo. An liceat ex olivis, vineis quercubus et aliis arboribus existentibus in terris patrimonialibus, et Beneficialibus, et aliis obtentis vendere oleum. vinnm, glandes, et alios fructus ad sustentationem suae familiae; Item et frumentum hujusmodi ex bonis patrimonialibus aut Beneficialibus?

Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, praevia matura consideratione, et inhaerendo declarationibus alias factis.

Ad primum respondit, licere Clericis Agros Beneficiornm, et bonorum patrimoninm laicorum opera colere absque metu illicitae negotiationis.

Ad secundum, posse similiter Clericos pro cultnrae usu boves et alia animalia necessaria emere, illornmqne foetus justo pretio, et honesta ratione vendere, nec ob id prohibitae negotiationis praetextu versari posse, aut debere.
Ad tertium, item, et posse Clericos habentes in propriis bonis quercus, et castaneas, sues emere, eosque alere pro sua, et familiae sustentatione, dnmmotamen in emendis, alendis, distrahendisve nihil sordidum, aut indecens Ordini Clericali exequantur.

Ad quartum, licere Clericis folia arborum in propriis bonis esistentium alicui laico concedere, eo pacto adjecto, ut lucrum ex bombicibus inter utrumque dividatnr, et pariter eisdem licere earnmdem arbornm foliis per se ipsos absque officii eorum detrimento arti Sericae operam dare pro sua, et familiae sustentatione: dummodo tamen artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeant, et quo ad hoc Episcopi licentia, quae gratis sit concedenda, obtineatur.

Ad quintum. Clericos pauperes ad suam, suaeque familiae sustentationem posse terres Eccleriae conducere absqne reatu illicitae negotiationis; bona vero laicorum non posse, nisi ex mera, et praecisa necessitate.

Ad sextum. Posse retinere, et locare boves, et oves, et alia animalia, qnae habent ex successione. vel decimis, nec non fructus illorum vendere reatu illicitae negotiationis.

Ad septimum. Eosdem posae vendere granum, hordenm, et alios fructus récollectos ex bonis Patrimonialibus, vel Ecclesiasticis pro sua, et familiae sustentatione. R. Card. Ubaldinus. Franciscus Paulutius Sacrae Cougregationis Concilii Tridentini Secretarius.

Eadem ratione responsum fuisse Clericis Terrae Maidae Nicostraten. Dioecesia anno 1627. refert Fagnanus in cap. *Multa sunt negotia* 1. Ne Clericis, vel Monachi num. 34. et seqq. adducens ipsam declarationem.

Consimilia Dubia proposita a Sacerdotibus, et Beneficiatis Dioeces. Alexand. et Ugent. cum responsionibus ejusdem S. C.

Primo. An Sacerdotes, et Clerici Beneficiati possint operas suorum bovum, quos ero laborandis prediis suis patrimonialibus, seu beneficialibus retinent, dum sibi vacant, aliis locare pro certa mercede absque periculo spoiii, et poenarum Clericis negotiatoribus impositarum?

Secundo. An possit, si boves emerint, vel in suis praediis natos educaverint, et instruxerint, conducere, ut vulgo dicitur *a giovatico* pro certa tritici quantitate quolibet anno persolvenda?

Tertio. An possit oves centum, vel saltem quadraginta simili actione concedere pro certa Caseorum quantitate pro eorum, et suae familiae usu?

Quarto. An in suis molendinis pro tritico, et pistrinis pro oleo, post quam suum triticum, et olivas molueriot, alienum triticum, et alienas olivas certa mercede constituta molere possint: suppositis infrascriptis; quod id ad immemorabili tempore semper fuerit factum, et observatum, quod singulis annis non expedit pro solo servitio proprio triginta, vel quadraginta ducatos impendere in conficiendis pistrinis; nam fiunt ex juncis, vel aliis materiis, quae mensibus quinque, aut sex corrumpuntur, et in uno equo, et quatuor personis inservientibus ipsis pistrinis, et quod molitura olivarum durat pro quatuor, quinque, vel sex menses, juxta annorum fertilitatem?

Quinto. An possint assumere onus colligendi, et faciendi a sua familia colligere *olivas* pro certa olei portione Domino Oliveti reddenda, supposita in hoc immemorabili consuetudine?

Sexto. An possint in bonis amicorum, et propinquorum operas diurnas praestare, ut illis easdem in praediis restituant?

Ad dubia proposita responsum fuit, ut sequitur.

Ad primum. Affirmative. Si tot Juga bovum retineantur, quot sunt pro praediis necessaria, vel si ultra necessitatem boves illi nati sint ex vaccis, quae pro necessitate culturae praediorum, vel alio licito modo tenentur.

Ad secundum, quo ad boves emptos, negative, quo vero ad boves proprio, affirmative (1).

Ad tertiam. Affirmative, si oves propriae fuerint, et non emptae: ad illum affectum, et praecedenti Molinae doctrina; et si emptae, duumodo ad comparandum necessaria ad victum, et non ad lucrum.

Ad quartum affirmative, duobus concurrentibus, videlicet dummodo ob hanc causam non se subtrahant ab iis, in quibus ex Officio Clericali incumbere debent, et dummodo non ad lucrum, sed ad necessaria vitae comparando, pro se, et sua familia, non enim hujusmodi artificium sordidum videtur, aut inhonestum in illis partibus, cum per unum equum, et quatuor famulos seu operarios fiat, et non per ipsos Clericos (2).

Ad quintum negative, nisi proprii redditus sibi, suaeque familiae non sufficiant; nam hoc casu ad comparandum victum etiam aliena praedia conducere licet (3).

Ad sextum, si opera non sit sordida, et inhonesta, possunt fieri hujusmodi commutationes (4).

IV.

EPISTOLA

Sacrae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum de pio Exercitium spiritualium opere.

Inter gravissimas Pastoralis officii curas, quibus Sanctissimus Dominus Noster assidue praemitur, in eam praecipuo studio incumbit, ut quicumque in sortem Domini vocati sunt, praesertim vero Sacerdotes, et animarum Rectores, tum Sacrarum Litterarum, Divinarumque rerum scientia, tum etiam vitae, morumque honestate caeteris antecellant, ac in omnibus, juxta monitum Apostoli praebeant semetipsos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in

(1) *P. Molina de contract. disp.* 342. *sub num.* 4. *quam refert. et sequitur Quaranta in verb. vectigal.* §. similiter ad illicitae.

(2) *Quaranta ubi supra post alios.* §. difficultas versatur, *circa med. et fin.*

(3) *Glos. in Can.* Pervenit, *in Glos.* Conductores 86. *distinct. quod est de mente omnium Doctorum; et testatur Quaranta ubi supra* §. quaeritur *in fine.*

(4) *Quaranta ubi supra* §. Difficultas *in fine ex Doctrina Silvestri.*

gravitate. Quum enim ipsi sint sanctiora Ecclesiae Membra, Dispensatores Mysteriorum Dei, Christiani populi Duces, et Magistri, Mediatores inter Deum, et homines, Lucernae super candelabrum positae, ut luceant omnibus, qui in Domo sunt, nihil est, quod alios magis in pietatem, Divinumque cultum accendat, quam illorum vita, et exemplum: omnes siquidem in ipsos, tamquam in speculum, oculos conjiciunt, ut inde sumere possint, quod imitentur. Porro quum diuturna experientia compertum sit, ad retinendam, conservandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem, et sanctimoniam maxime conducere, ut Ecclesiastici Viri spiritualibus Exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad Divinarum rerum contemplationem extollitur, recte, sancteque vivendi norma, vel instituitur, vel confirmatur; proinde Sanctitas Sua pro eximio, quo flagrat, omnium salutis zelo, vehementer exoptans, ut pium hoc, et saluberrimum Exercitiorum spiritualium opus ubique locorum magnopere frequentetur, ac vigeat, universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, ceterosque tum Italiae, tum etiam Insularum adjacentium Ordinarios, enixe admonet, ac in Domino hortatur, ut illud in sua quisque Dioecesi, quo majori poterunt conatu, ac studio promovere satagant: praecipue vero iis districte injungit, ac praecipit, ut quae dudum San. Mem. Innocentius XI. P. M. pro Encyclicam Epistolam à Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium consultationibus praeposita ad universos Italiae, ut Insularumque adjacentium Episcopos datam die 9. Octobris 1672. quoad hujusmodi spiritualia Exercitia a singulis Clericis decem dierum spatio, antequam ad sacros Ordines assumantur, peragenda mandavit, exacte, ac inviolabiliter observari, et exequi curent, et quos iisdem Exercitiis, per antedicti temporis spatium minime operam dedisse cognoverint, a sacra Ordinatione repellant penitus, atque arceant. Praeterea Sanctitas Sua eosdem Ordinarios admonet, et hortatur, ut fructu, qui sane uberrimus ex praedictis spiritualibus Exercitiis percipitur, opportune proposito, ac explicato, universos ex Clero sibi subjectos, sed praecipue animarum Rectores, Confessarios, Canonicos, aliosque Beneficiatos Chori servitio adstrictos diligenter excitent ad eadem Exercitia saltem semel in anno peragenda in Domibus Religiosorum Societatis Jesu, seu Presbyterorum Congregationis Missionis, si adsint, sin minus in alia pia, seu Regulari Domo ab ipsis Ordinariis ad id designanda, et adprobanda. Ut autem alacrius ad ejusmodi spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas Sua omnibus praefatis animarum Rectoribus, Confessariis, Canonicis, Beneficiatis, aliisque Sacerdotibus, et Clericis, qui per decem dies singulis annis eadem Exercitia peregerint in Domibus prae-

fatis, ibique diu, noctuque permanserint, ac interea temporis vere poenitentes, et confessi Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, Plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno Exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit: quod ipsum servari praecipit, quoad Canonicos, Beneficiatos, aliosque personali residentia adstrictos, et Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, et quotidianas suorum respective Canonicatuum, et Beneficiorum distributiones quascunque, perinde ac si Choro, divinisque Officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem Exercitia peragant, obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus, et Quadragesimae tempore, ac in solemnioribus Festivitatibus, nec unquam omnino omnibus simul Canonicis, aliisque Choro inservientibus, sed eo adhibito modo, ut Chori servitium nunquam intermittatur, et quoad Parochos, idoneis prius subrogatis Oeconomis ab ipsomet Ordinario adprobandis, qui animarum curam laudabiliter administrent. Mandat insuper Sanctitas Sua, ut hae literae publicentur in ista Dioecesi, et in Cancellariae registris pro perenni eorum, quae in illis continentur, observantia describantur, et ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur etc.

Romae die 1. Februarii 1710.

V.

DISCIPLINA CHORI.

Divinam Psalmodiam Sponsae consolantis in hoc exilio absentiam suam a Sponso coelesti, decet esse non habentem rugam, neque maculam; quippe quum sit ejus Hymnodiae filia, quae canitur assidue ante Sedem Dei, et Agni, ut similiter prodeat, nihil, quantum fieri potest, praeferre debet, quod Psallentium animos Deo, et Divinis rebus, ut convenit, attentos, avocare alio, et distrahere possit. *Urbanus VIII. Constit.* Divinam.

Universis itaque, qui Choro sunt addicti, antequam eo conveniant, paullulum attente secum cogitent, et Loci illius sanctitatem, et conveniendi causam, et Divinarum Laudum, quarum munus Angelorum est, facti propterea *Almae Sionis Aemuli*, officia, et ad Chori disciplinam sese instruant. Disciplina enim Chori plena Religionis est, et plena Pietatis: ideo sancte ab iis servanda,

qui in eum Locum ad Dei laudes celebrandas conveniunt. *Custodi Coeremonias, quas Ego mando tibi*, dixit Moyses, Domino praecipiente, ad Populum: *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias Coeremonias, venient super te omnes maledictiones etc. Deuteronom. cap.* 28. *num.* 15.

Dum superpelliceum, aut Rochetum induunt, cogitent, quam personam sustineant, nempe a sordibus, labeque puram. Hoc indicat ipse telae lineae candor, per quem puritas designatur.

Quum Almutiam, seu Cappam pelliceam humeris imponunt, animo revolvant in se extinctas, ac plene mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones, et cupiditates, ut ejus rei significans est illa animalis intermortui pellis, et repetant frequenter: *Dominus pars haereditatis meae*.

Abstineant semper, maxime dum Chorali Veste induti sunt, ubicumqué sint, vel in Sacristia, vel alio Loco, a jocis, a ridicule dictis, facetiis, ac verbis futilibus, et inanibus: memores sententiae *D. Bernardi de Consideration. Lib.* 3. *cap.* 13. *Nugae in ore Sacerdotum sunt blasphemiae*.

Dato signo cum Campanula Sacristiae, non properanter, sed gravi incessu in Choro procedant, corde repetentes: *Introibo in Domum tuam, adorabo ad Templum Sanctum tuum. Psalm.* 5. *v.* 8.

Altari majori Canonici caput profunde inclinent: Reliqui genuflectant: *Coerem. Episcop. Lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 3. Locum suum quisque adeat, in quo devote oret, donec initium Officii ab eo, qui Choro praeest, fuerit indictum.

Inchoato Officio quicumque advenerint, non ante locum suum petant, quam genuflexi ante Altare paullulum oraverint; factaque illi reverentia, vel genuflexione, Canonicis exhibeant honoris officium, et stallum suum adibunt: *Coerem. Episcop. loc. cit. n.* 4.

Canonicum advenientem omnes, qui in Choro sunt, consalutent: Idemque servetur in surgendo, et stando, videlicet, ut surgente, vel stante Canonico Officia Divina celebrante, vel Antiphonas canente, omnes surgant, et stent; et sic de caeteris: *Coerem. cit. n.* 7.

Dissonum est, et Loci sanctitati valde contrarium, Litteras, scripturasve legere, relata a Nunciis referre, invicem confabulari, quum non conveniat ibi de rebus, etiam ad spiritus profectum spectanctibus, sermònem inter praesentes inducere, et habere: propterea non habeantur colloquia, non risus, non nutus, ne Divina res perturbetur.

Nullus appareat actus inconveniens, nec quis praesumat sedere in stallo cum veste super genua elevata, tibiarum indumenta detegendo, vel cum Veste in anteriori parte non totaliter clausa. Quum sedet non superimponat genu alteri

genu. Nunquam sistat incompositus instar cogitabundi, vel taedio, sopore, et somno affecti, aut torpore pressi. Tandem in Choro non licet flabellum, chirothecas, aut manicam pelliceam deferre. Meminerint omnes, in iis maxime, qui publice orant, maximam in actibus etiam externis Sanctitudinem decere: *Acta Mediol. Eccl. in Synod.* 4. *Provinc. Part.* 1. §. *Ne quis*.

Nemo privatim officium recitet. Qui cum aliis non psallit, aut cantat, fructus, et distributiones non facit suas. Qui forte tardius advenerit, cum aliis de Choro prosequatur Officium, suppleturus in fine ea, quae initio omisit.

In psallendo satagat unusquisque, ut ad Asteriscum conveniens pausa intercedat ad effectum servandi sacrae Vulgatae editionis puritatem inconfusam, atque illibatam, et significandi interpunctiones, et distinctiones in Sacris Bibliis appositas: *Rubr. Breviar.* 22. *n.* 8.

Conveniret sane, ut SS. Encharistiae Sacramento patente, ob illius reverentiam omnes in Choro praesentes, et assistentes, semper, durante Officio, stent capite detecto, et nunquam sedeant: *Coerem.Episcop. Lib.*2. *cap.*33. *n.*33. Verum si ob officii longitudinem id praestare non possint, vel aliter e consuetudine servetur, sedeant, nunquam tamen caput cooperiant. *Sacr. Rit. Congr. in Conimbricen.* 9. *Junii* 1742. *Gavant. in Rubr. Breviar. Tom.* 2. *Sect.* 10. *cap.* 2. *n.* 3.

Loca ue mutentur, nec quisquam Stallum suum deserat, aut variet quovis colore, aut praetextu, praecipue ascendendo ad Sedem Antiquiorum, licet isti non sint praesentes.

Nemo, Officio non completo, Choro exeat, nisi ex legitima causa, et gravi, qua absoluta statim sollicitus redeat.

In punctando serventur leges sancitae in Synodalibus Decretis.

Tandem ne quis gestum aliquem ab aliis diversum exhibeat, ut, quum alii stant, quis sedeat, vel genuflectat, et e contrario; sed detur opera, ut omnes uniformi ritu, attente, devote, ac reverenter Divinis Mysteriis, atque Officiis assistant, ac diligenter silentium servetur, et ea, quae subsequuntur, religiose adimpleantur.

IN OFFICII DIVINI RECITATIONE

STANDUM.

Ad Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, qui sunt de Textu Evangelico: *Ad Symbolum Apostolorum*, ut ad Fidei professionem promptiores videamur; *Coerem.Episc. Lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 6.

Ab initio cujuslibet Horae usque ad primum Psalmum incoeptum: *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 2. *et* 3. *Cap.* 6. *n.* 6. *et* 7.

Ad Invitatorium; *Ad Hymnos*, qui sunt Dei Laudes solemniores, inter quos *Te Deum* numeratur.

Ad Capitula, *Lectiones breves*, *Responsoria brevia*, *Versus*, *Absolutiones*, *et Benedictiones*, quae Lectiones praecedunt. *Coerem. Episc. Lib.*2. *cap.*1. *num.*11.

Ad Textum Evangelii ante Homiliam.

Ad Cantica *Magnificat*, *Benedictus*, *Nunc dimittis*, quia sunt verba Evangelii. Item ad Symbolum *Quicumque vult salvus esse*, quia agitur maxime de Mysterio Sanctissimae Trinitatis.

Ad Preces in Prima, exceptis diebus, in quibus flexis genibus sunt dicendae. Ad Martyrologium autem est sedendum.

Ad Lectiones Officii parvi B. Mariae V. in Adventu, quia sunt Evangelium.

Ad intonationem Antiphonarum Canonicalium, *et per totas Antiphonas majores* praecedentes Festum Nativitatis D. N. J. C. *Coerem. Episc. Lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 9. *et Lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 10. *et cap.* 3. *n.* 12.

Ad Orationes, quibus immediate Deum alloquimur. *Ad Commemorationes*, *et Suffragia Sanctorum*, excepto tamen quum dicuntur Preces feriales, ut infra: nam tunc solus stare debet, qui recitat Orationes ad Legile, aliis genuflexis.

Ad Antiphonas pariter *B. Mariae V.* in fine Horarum stare oportet tempore Paschali, et omnibus Dominicis, a primis Vesperis inclusive. Aliis autem diebus genuflectendum; *Rubr. Breviar.* 36. *n.* 3.

Stare debet *qui Antiphonas intonat*, *Lectiones legit*, *aut Responsoria*.

Quid agendum, Eucharistia patente super Altare, superius dictum est.

In reliquis Officii partibus semper sedendum, dummodo non sit opus genuflectere, quemadmodum infra exponetur.

GENUFLECTENDUM.

In ingressu Chori omnes, praeter Canonicos, ad Crucem Altaris genuflectant: Canonici autem profunde Caput inclinent. Idem, quum Choro exeunt. *Coerem. Episc. Lib.* 1. *cap.*18. *n.* 3. Item ad orationem *Aperi* genuflectitur ab omnibus.

In Invitatorio ad verba *Adoremus*, *et procidamus*: In Hymno *Te Deum* ad verba *Te ergo quaesumus*. *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 8. *et* 10.

Ad Versiculum primos Hymnorum *Veni Creator Spiritus*: *Ave Maris Stel-*

la: item ad versic. *O Crux ave spes unica* etiam tempore Paschali. Dum Hostia consecrata est super Altare exposita ad versus *Tantum ergo*: *O salutaris Hostia*: *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 12.

Ad Antiphonas B. Mariae V. in fine horarum: *Rubr.* 36. *n.* 3. ut supra.

Ad Orationem Dominicam, *Salutationem Angelicam*, *Symbolum Apostolorum* post Completorium, excepto tempore Paschali, et Dominicis a primis Vesperis inclusive.

Ad Martyrologium in Vigilia tantum Nativitatis D. N. J. C. quum pronunciatur versus: *In Bethleem Judae* usque ad illa verba *Nativitas Domini Nostri Jesu Christi secundum carnem*.

Lector genuflectit in fine cujuscumque Lectionis, exceptis Canonicis, ad illa verba *Tu autem Domine*: *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 14.

Ad Preces Feriales in diebus poenitentiae dicatis, *Rubr. Brev.* 34. *n.* 3., *et* 4.

Ad Preces in Officio Defunctorum, et Psalmis Gradualibus suis respective Locis. Psalmi vero Poenitentiales cum Litaniis, et Orationibus genibus flexis sunt recitandi. *Rubr. Breviar. hoc loco.*

Genuflectendum in Triduo Passionis a versiculo *Christus factus est* ad totam Orationem *Respice quaesumus Domine*; quae dicenda est pariter *nudato capite*, propter humiliationem Christi in Cruce morientis: *Coerem. Ep. Lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 23. *et seq.*

Ad Orationem *Sacrosanctae* post Officium ad obtinendum, quod indulsit Leo X.

INCLINANDUM

Capite semper detecto:

Ad versus *Gloria Patri*, etiam pro lucrandis Indulgentiis concessis a S. M. Joanne XXII. et Urbano IV. *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 5. *et alibi.*

Ad *Triadem Sacrosanctam*, quoties nominatur, praecipue in Hymnorum conclusione, et in Cantico Trium Puerorum ad versum *Benedicamus Patrem*, *et Filium*, quia tenet locum versiculi *Gloria Patri*. *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 8.

Ad Nomen *Jesus*, *Mariae*, *et Sancti*, de quo fit Officium, nec non ad Nomen *Pontificis Regnantis*. *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 46.

Ad versus Psalmorum *Laudate Pueri*, quando pronunciantur verba *Sit Nomen Domini benedictum*. Ad Psalmum *Confitebor*, quum dicitur versus *Sanctum*, *et terribile Nomen ejus*.

Ad *Confessionem*, quae fit *ad Primam*, et ante *Completorium* usque ad versus *Misereatur* inclusive.

Lector ante Lectiones petendo Benedictionem inclinat versus Hebdomadarium, quum dicit *Jube Domne:* neque dicendum *Domine*, quia h'c Dei titulus est pronunciandus ab eo, qui solus Officium recitat: ille titulus est hominis praeclari, et Deo sacrati: *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 12.

SIGNANDUM.

Signo Crucis signandum os pollice ad Orationem ante Divinum Officium *Aperi Domine. Rubr. Brev.* 13. *n.* 1.

Item initio Matutini quum dicitur *Domine labia mea aperies. Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 6.

Insuper signandum pariter pollice in pectore ad *Completorium* ad illa verba *Converte nos Deus*, juxta laudabilem consuetudinem, ut cor nostrum ad Dominum Deum nostrum convertatur.

Extensa autem manu signandum, quotiescumque dicitur *Deus in adjutorium* in principio cujuslibet Horae Canonicae: non quidem signandum, quando hic versus ter pronunciatur in *Prima* post orationem *Sancta Maria*. Modus autem signandi simul, et pronunciandi hic est. Pro unoquoque verbo *Deus, in adjutorium meum intende* qui pronunciat, tangit manu *primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, ultimo dexterum. Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 5., *et cap.* 3. *n.* 5.

Ad versum *Adjutorium nostrum* ante Confessionem in *Prima*: non autem ad eundem versum immediate praecedentem verba ℣. *Benedicite*. ℟. *Deus. Dominus nos benedicat*, quia ad haec tantum verba Crucis signum est formandum.

Item signandum ad *Adjutorium* in *Completorio*.

Laudabile est signum Crucis fieri ad Antiphonam de Cruce in Officio feriali manu extensa, vel pollice ad pectus, ut alii consueverunt.

Ad initium trium Canticorum Evangelii, *Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis* pariter signandum. *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 14.

Tandem in fine *Completorii* quum dicitur *Benedicat, et custodiat nos etc.*

IN MISSA CONVENTUALI

STANDUM.

In aspersione Aquae lustralis, quae fit a Celebrante in Dominicis, omnes stare debent aperto capite, et aspergenti reverenter caput inclinare. Canonici

sunt singulatim aspergendi, et Celebrans aliquam honoris significationem erga illos adhibebit ante, et post aspersionem. Caeteri de Clero insimul aspergantur quasi per circulum. *Sacr. Rit. Congr.* 20. *Decembris* 1605.

Ab Introitu usque ad *Kyrie* a Canonicis standum: caeteri in Choro genuflectant. *Rubr. Missal.* 17. *n.* 5. *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 32.

Omnes stent ad *Gloria in excelsis*, *Collectas*, *Evangelium*, *et Praefationem*, *a Consecratione usque ad Consummationem inclusive*. Tandem oportet stare ad *Benedictionem cum ultimo Evangelio*. *Gavans. in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 17. Ad *Gloria*, *et Credo* quum sedent, caput detectum inclinent ad ea verba, in quibus ipse Celebrans ex Rubrica pariter inclinat.

Dum a Choro canitur *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, *Agnus Dei*, qui in Choro sunt, bini ea recitent stantes, ac subinde sedeant. *Rubr. Missal.* 17. *n.* 7.

Advertendum obiter, initio Evangelii signandum esse pollice in fronte, ore, et pectore. Servanda insuper laudabilis cousuetudo ita signandum ad versum *Pax Domini*.

GENUFLECTENDUM.

Ad illa verba in Symbolo Apostolorum *Et incarnatus est*, ad quae verba in Missa Annunciationis B. Mariae V. et Nativitatis Domini duplici genu propter solemnem tanti Mysterii Festivitatem. *Rubr. Missal.* 17. *n.* 3.

Quoties genuflectit, qui canit Evangelium, omnes similiter genuflectant: hoc contigit ad versus *Et Verbum caro factum est*, in Evangelio Epiphaniae, et per illius Octavam *Et procidentes adoraverunt Eum*, in Evangelio pariter Feriae IV. post Dominicam IV. Quadragesimae, dum pronunciatur *Et procidens adoravit Eum*, in Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce ad verba Epistolae *In Nomine Jesu omne genu flectatur*: quando canitur Passio ad illa verba *Expiravit*, *Emisit Spiritum*. *Rubr. Missal.* 17. *Coerem. Episc.* 2. *cap.* 21. *n.* 13. *et* 16.

Genuflectendum, quum canitur a Diacono *Flectamus genua*, in Tractu ad versum *Adjuva nos Deus* usque in finem, et in Missis de Spiritu Sancto ad *Veni Sancte Spiritus*.

In Missis porro Feriarum, et Defunctorum genuflectendum *ad omnes Orationes*, et a *Praefatione ad totam Orationem Dominicam*, exceptis *Vigiliis Paschae*, *Nativitatis Domini*, *Pentecostes*, *et quatuor Temporibus Pentecostes*. *Rubr. Missal.* 17. *n.* 5. *Coerem. Episc. Lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 7.

Quando in Missis Defunctorum distribuendae sunt Candelae, hoc fieri debet post Epistolam. Accenduntur autem ad Evangelium, et ad Elevationem Sa-

cramenti, et post Missam, dum fit absolutio. *Missal. Rom. in Rubr. 13. n. 3. de Ritu serv. in celebr. Mis.*

QVOAD PILEOLVM:

Caput omnino aperiendum, quotiescumque Canonicus Chorum ingreditur, vel egreditur, aut a proprio Stallo discedit pro Lectionibus, vel aliis Ministeriis in Choro subeundis.

Quum aliquis Antiphonam intonat, Orationem dicit, aut Lectionem legit,

Ad aspersionem Aquae lustralis in Dominicis: ad Evangelium Missae: ad incensationem, et pacem. *Coerem. Episc. Lib. 2. cap. 31. n. 4.*

Hebdomadarius, qui Benedictiones in Matutinis pronnnciat. *Coerem. Episc. Lib. 2. cap. 6. n. 12.*

In Missa Conventuali a Consecratione usque ad Sanguinis sumptionem. *Sacr. Congr. Episcop. in una S. Angeli 5. Novembris 1602.: ibid. Qui assistunt in Choro Missae Conventuali non possunt portare Pileolum per totum Canonem. Nicol. verb. Pileol. n. 2.*

Quotiescumque in Evangelio, vel in Missa Celebrans genuflectit, Chorus pariter genuflectat capite semper aperto, ut supra dictum est.

Quando Sacerdos induit sacra Indumenta, consuetas Orationes devote recitans, laudabile esset, si staret aperto capite sine Pileolo.

VI.

CONSTITUTIO

Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIV. De applicatione Missae Parochialis pro Populo, Conventualis vero pro Benefactoribus Ecclesiae. Item de Divinae Psalmodiae cantu.

Cum semper oblatas Nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates Vestras libenter amplectimur, ut sincerae Nostrae erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori animi alacritate idipsum praestamus, quum ad excitandum Fraternitatum Vestrarum zelum pro conservatione rectae disciplinae in Clero regimini Vestro commisso, praesentibus rerum, et temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostrae omnium Ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse

confidimus, quam si Divini Cultus augmentum, atque exactam Ecclesiasticarum Sanctionum in singulis Dioecesibus custodiam, religiosae vigilantium Pastorum curae identidem inculcando, commendemus.

§. 1. Hujus porro Epistolae ad Vos scribendae occasionem Nobis, atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam Parochialem pro populo ipsorum curae commisso; tum etiam applicatio Missae Conventualis, quae pro Benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui Missas canunt in Ecclesiis Parochialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis: tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici praedictarum Ecclesiarum Choro assistentes. Cujus quidem argumenti minime nova, sed a Scriptoribus frequenter habita tractatio est: cumque ea res in hujus Almae Urbis Nostrae Congregationibus, et potissimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa, ac definita fuerit, quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, et sibi consona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Praedecessorum Nostrorum approbationem, et confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad Vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicae Sedis sententia praedictis de rebus cuilibet innotescat, et Fraternitatibus Vestris quaedam veluti norma, ac regula suppetat, juxta quam Synodales, aliasque Vestras circa praemissa Constitutiones, Ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum, juxta ea, quae in praesentibus tenenda, atque servanda praescribimus, omni, qua decet, sollicitudine, ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum Vestrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostrae Curiae Tribunalia forsitan habendi: utpote quos omnino rejiciendos esse praecipimus, ac jubemus. Quamobrem has ipsas litteras Nostras in singulorum Tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum praescriptum tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quam de Vestris Decretis, quae ipsis praesentibus inhaerentes edituri estis, judicia exigi, et conferri mandamus.

§. 2. Et quidem quod nuper enunciavimus, sacrosanctum Missae Sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro Populo ipsorum curae commisso,

id veluti ex divino praecepto descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.* per haec notabilia verba: *Cum praecepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, et pro his Sacrificium offerre*. Et qnamvis minime defuerint, qui per inanes, et frivolas interpretationes hnjusmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extennare contenderint: quum tamen relata Concilii verba satis clara, et perspicua sint, quumque praedicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative praeposita constanter edixerit, eos, quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodqne magis interest, quum haec intelligentia a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, et confirmata; nihil jam amplius ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in Vestris respective Dioecesibus omni studio procnrare debeatis.

§. 3. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhnc degentes, munus Secretarii praedictae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanae Cathedralis, partim in Metropolitanae Bononiensis, Patriae nostrae dilectissimae, quam adhnc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non, inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

§. 4. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut, quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant, ac deputent, uti videre est *in sess.* 6. *cap.* 2... *sess.* 7. *cap.* 5... *et* 7... *sess.* 22. *cap.* 6... *sess.* 25. *cap.* 16. non raro autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiae onera, usqne ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod habituali cura penes alium, seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant, vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujusmodi curae sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a praedicta applicatione Missae pro populo nonnunquam alienos se osten-

dunt. Itaque mens Nostra, et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes, et singuli, qui actu Animarum curam exercent, et non solum Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes, et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica, et individua mentione digni, aeque teneantur Missam Parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.

§. 5. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi Parochiae suae reditus non suppetere. Alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, umquam in usu fuisse. Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem, et confirmationem extendimus; et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore praesentium decernimus, et declaramus, quod licet Parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes congruis praefinitis reditibus destituantur, et quamvis antiqua, seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Dioecesibus, seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

§. 6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes Missae Sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro populo teneri. Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus *sess.* 23. *cap.* 14. praecipit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, et Festis solemnibus Missarum sacra faciant; *si autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*; in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos, ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare, et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro populo celebrare, et applicare debere: eum vero, qui uberioribus hujusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiae Parochialis proventus, ut pingues, et uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt reditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia, et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum

querelae adversus hujusmodi decretum, tamquam plus aequo rigidum, excitatae Nobis innotescant; idcirco opportunum censemus Fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missae pro populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus Festis de praecepto; quum praedicti Dominici, aliique Festi dies ii sint, in quibus juxta praeceptum Concilii Tridentini *sess.* 5. *cap.* 2. *et sess.* 24. *cap.* 4. quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem: iidemque sint dies, de quibus eadem Sancta Synodus statuit, *ut moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei*; et quibus Parochi subditos suos in Doctrina Christiana erudire debent, juxta id, quod a praedicto Concilio *in cit. cap.* 4. Episcopis praecipitur, ut nempe *saltem Dominicis, et aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis Fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et Parentes, diligenter ab his, ad quos spectabit, doceri curent*.

§. 7. Et quia in nonnullis Dioecesibus numerus dierum Festorum de praecepto, de Apostolica nostra auctoritate, et consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus Festis Christifideles et Missam audire, et ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae Sacrificium; Nos, ut obortae jam dubitationes circa onus applicationis Missae Parochialis in hujusmodi diebus Festis penitus eliminentur, statuimus, et declaramus, quod etiam iisdem Festis diebus, quibus populus Missae interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare, et applicare teneantur.

§. 8. Quia vero propria nonnumquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a Fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero, qui, Ecclesia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub Vicarii, seu Oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipsis constituti, et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missae recipere; idcirco nos tam istorum, quam

illorum inopiam summopere miserantes, et eisdem, quantum Nobis integrum est, consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes, et singuli praedicti teneantur diebus festis Missam pro populo celebrare, et applicare; attamen, quod pertinet ad praedictos Parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc, ut, etiam diebus festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, et licite possint, et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis, infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

§. 9. Quod autem spectat ad Vicarios, seu Oeconomos Ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio *cit. sess.* 24. *cap.* 18. cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi, et constituendi *cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione*, vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Ecclesiae fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum praebeatur pro onere celebrandi, et applicandi Missam pro Populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Camerae Nostrae Aposolicae exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quae is denunciare non praetermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi Ecclesiasticae Nostrae Ditionis, caeterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

§. 10. Ac demum quoad illos, qui tanquam Vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet ratione alicujus Ecclesiae Parochialis ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitae; quamvis a recol. mem. Praedecessore Nostro S. Pio Papa V. praefinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quae incipit, *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris anni 1567. distincte statuitur: nihilominus ubi praescripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre Vicariis praedictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens Vobis reputetur propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo onere celebrandi, et applicandi Missam pro

Populo diebus festis de praecepto, utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 7. dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam praedictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes, et opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

§. 11. Haec igitur circa Missam Parochialem statuenda, et Fraternitatibus Vestris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quae pertinent ad Missam Conventualem, neminem Vestrum latere putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Parochialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis tum Horae Canonicae debitis modo, et forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur; quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter, et per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes Apostolica auctoritate Nostra confirmamus, et approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: ut scilicet Missa Conventualis, quae singulis diebus canitur a Clero praedictarum Ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur, eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de praecepto, applicari debere superius declaravimus.

§. 12. Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Ecclesiis hujusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiae benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur, et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missae Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet Ecclesiae, cujus servitio addicti sunt, quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive beneficia Choralia obtinent, et Missam Conventualem suis respective vicibus celebrant.

§. 14. Profecto non solum prioribus Ecclesiae saeculis, verum etiam temporibus haud longe a Nostra aetate remotis, (quod vos ex Historia Ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata

omnium, et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptycis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missae Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi consuevit, licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes, ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi Diptycorum usus sensim defecit, ob idque in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum, et disciplinam orandi pro iis, et Sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam Conventualem pro benefactoribus in genere originem, atque rationem desumit.

§. 15. Quemadmodum vero loquendo de Missa Parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere, ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus festis de praecepto; ita pariter usuvenit quoad applicationem quotidianam Missae Conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores provide e medio sublatae fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Nostra approbamus, et confirmamus.

§. 16. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Ecclesia vigentis se ab hujusmodi onere eximi posse persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus, et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

§. 17. Alii a Missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali praebenda obtinent; vel quia, praeter munus Canonici, seu Beneficiati, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exercent, dum Missam Conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro Populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eamdem pro Ecclesiae benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis praedictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiae benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam appli-

care [teneutur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret ,] applicetque.

§. 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non semper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis, aut Mansionariis, quos minus aequum videtur pro Missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum.

§. 19. Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quae ob detractam eleemosinam quotidianam pro Missa Conventuali ad nihilum fere redactae, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiae praestandi. Tridentina quidem Synodus *sess.* 24. *cap.* 15. opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit, perspecto ex Vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Praedecessoribus Nostris eidem impertita, et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missae Conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

§. 20. Non modo Ecclesiis Parochialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae, atque etiam aliquando tres Missae Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam, et applicandam esse; nunc expendendum superest, an earumdem Ecclesiarum Capitula jurisdictioni Vestrae respective subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

§. 21. Hujusmodi quaestio ab aliquibus ex Vobis Ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est; jamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam, et tertiam Missam Conventualem pro benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum, et Beneficiorum tenuitate: ex quo inferri poterat hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur.

§. 22. Verum quum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam

Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio Nostro remittendam esse censuerit; Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus; laudandos nempe, et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent: Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae, tertiaeque Missae Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur.

§. 23. Huic demum Epistolae nostrae finem imponentes, Fraternitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam, et vigilantiam in id conferatis, ut in Ecclesiarum Vestrarum Choris, praeter devotam celebrationem, debitamque applicationem Missae Conventualis, Horae Canonicae non praepropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur.

§. 24. Equidem scimus, in aliquibus Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum Choro praesentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus Beneficiatis, aut Mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam praetensa Ecclesiarum suarum privilegia. At quum Synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 12. loquens de Dignitatibus, et Canonicis, qui Choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *in Choro ad psallendum instituto Hymnis, et Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*; quumque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro assistitur, ideoque receptae in universa Ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur: quum insuper opinio illa numquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi praeposita examinata sit, quin statim explosa fuerit, et improbata, quamvis praesumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis, et rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium hujus Nostrae Urbis super hoc instantibus: quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus ab hac etiam Apostolica Sede approbatis, et confirmatis; nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius, vel alterius Ecclesiae Canonici se muneri suo satisfacere per simplicem

in Choro assistentiam absque Divinae Psalmodiae cantu. Verum nisi illis praesto sit Apostolicum non praesumptum, vel abrogatum, sed legitimum, ac vigens privilegium, sive Indultum, jure, ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, Praebendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres, haec omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quae tanti est momenti, utpote quae ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus, et corruptelas, quas arguendo, et increpando evellere debebamus, dissimulatione, ac silentio Nostro fovisse, et confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus Vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 19. Augusti 1744. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

VII.

EDITTO

Sulle Conferenze de' Casi.

ALESSANDRO ec.

Il pascolo quotidiano di Ezechiele nel divorare il Volume della Legge (1), lo spiegarlo, come Esdra (2), l'onorarlo, ed amarlo giusta i voti di Malachia (3), sono quelle necessarie prerogative, che colla santità del costume debbon risplendere in tutti coloro, che chiamati nella sorte del Signore sono quasi luce del Mondo, quasi sale della Terra, e quasi Città collocata sul Monte alla vista, alla direzione, ed alla sicurezza del Popolo. Ma perchè fra i Ministri del Santuario pompeggino felicemente sì eccelse prerogative, la ragione, e la esperienza persuade, che mezzo sommamente vantaggioso riesce il comunicarsi reciprocamente le idee col conferire fra loro, onde intendere ciò, che dalla Chiesa è stato deciso, ciò, che i più dotti hanno insegnato, e ciò, che i provetti hanno dalla prattica appreso. Ed è per questo, che nell'Ecclesiastico ve-

(1) *Ezech.* 3.
(2) *II. Esdr.* 8.
(3) *Malach.* 2.

diamo insinuarcisi di fermarci fra la moltitudine di prudenti Sacerdoti per partecipare della loro sapienza, e apprenderne la vera dottrina del Signore. *In multitudine prudentium Presbyterorum sta, et sapientiae illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire* (4). Nè ad altro fine dobbiamo credere dirette queste conferenze, che tanto nel Clero si inculcarono fin da'loro tempi e da S. Gregorio il Grande (5), e dall' Arcivescovo di Siviglia S. Isidoro (6), e da quello di Reims Incmaro (7), e poscià ne' consecutivi tempi furono in uso presso molti Vescovi (8); fino poi a meritare, che da Clemente VIII. si insinuassero a tutti i Vescovi, e da Benedetto XIII. finalmente si comandassero nel Concilio Romano, ove volle anche prescriverne il regolamento (9).

Ma di pari necessità è altresí per gli Ecclesiastici il conoscere le Sacre Scritture, che sono quel Testimonio, che illumina gli occhj, e sul cui lume debbono essi le vie proprie non meno, che quelle de' Popoli indirizzare alla verità, e alla salute. Era perciò, che e di giorno, e di notte a quelli principalmente, che aveano scelto Cristo per loro porzione, prescrissero di applicarsi alle Divine Carte i Padri tutti, giungendo S. Girolamo a dichiarar loro, essere ignoranza di Cristo l' ignoranza della Scrittura (10). Il che se di ogni tempo si verificò, debbesi molto più adempire in quest' epoca, in cui moltiplicatisi infelicemente i figliuoli di Belial trovasi ogni Ministro nella necessità di edificare con una mano, come già Neemia nella ristaurazione del Tempio (11), e impugnare coll' altra la spada delle Divine Scritture a distruzione de' Nemici della Chiesa, i quali con nuovo genere di empietà vanno ora unendo alle altre maniere di combatterla quella ancora di disseminare corrotti destramente i Libri santi.

Quindi penetrati, come siamo, da queste verità, è certo con rincrescimento il più acerbo dell'animo nostro, che vediamo intralasciato, o almeno illanguidito assai il salutare esercizio delle divisate Conferenze Ecclesiastiche, e ben poco praticato lo studio delle Sacre Lettere dal Clero delle nostre Diocesi. Impegnati quindi a porre riparo a così funesto disordine, fermi nella massima di vedere esattamente effettuato, quanto in conformità delle provide disposizioni del Concilio Romano si ingiunse dal nostro sempre commendevole Predecessore

(4) *Eccli. 6. 35.*
(5) *Lib. 1. in Ezech. Tom.X.* §. 34. *Ed. Maur.*
(6) *Lib.Sent.Cap.33. et in Reg.Monach. Cap.15.*
(7) *In Capit. ad Presbyt. Cap.15.*
(8) *Acta Eccl. Mediol. par. 9. Lambert. Instit. 102.*
(9) *Tit. XV. Cap. 9. e nell'Append. Num. XVII.*
(10) *Proem. in Isa.*
(11) *II. Esd. 4. 17.*

il Sig. Card. Antonelli, ordiniamo col presente nostro Editto, che le sovraennunciate Conferenze, o Congregazioni dette nel lodato Concilio de'Sacri Riti, e Casi Morali, si tengano due volte il mese nel giorno assegnato nel Calendario, in fine del quale si riporteranno il Caso Morale, ed il Quesito Liturgico da risolversi. Esse si lasceranno ne' mesi di Agosto, Settembre, Ottobre.

Tutti gli Ecclesiastici dimoranti in ciascun luogo di nostra Diocesi, Cherici costituiti in *Sacris*, e quelli anche Minoristi, che sieno in Teologia, Sacerdoti semplici, Confessori, Curati, Vicarj Foranei, Canonici, Arcipreti, interverranno a queste conferenze, e l'attestato della loro frequenza regolarà le ordinazioni de' Cherici, l'abilitazione de' Sacerdoti alle Confessioni, e la distribuzione delle Proviste. Presidente di queste Conferenze sarà in Velletri il Canonico Teologo, ed in sua assenza l'Arciprete della Basilica; altrove i Vicarj Foranei, ed in loro assenza il Canonico Arciprete della Collegiata, o il Parroco della Chiesa. La Sagrestia della Chiesa Principale è il luogo fissato per le medesime, se diversamente non venga disposto da Noi. Il metodo, che si prescrive in questo Editto, sarà esattamente osservato, e responsabili ne dichiariamo il Nostro Vicario Generale, e li Vicarj Foranei.

